# ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ANNUS XVI.

FASC. 1.

OLOMUCII 1940

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

# ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 K, pro externis 40 K.

Redactores: Prof. dr. *Jos. Vašica,* msgre *Frant. Jemelka,* prof. dr. *Jos. Matocha,* collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Úřednická 7.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*

Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. *Grivec,* Ljubljana; dr. Jos. *Slipyj,* rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. *Salaville;* prof. dr. M. *Jugie;* dr. Georgius *Hofmann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. *Ammann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus *Spáčil,* dr. Thomas *Kurent,* S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas *Živković,* prof. univ. Zagreb; dr. Rochus *Rogošić,* prof. theol. Makarska; dr. Ignatius *Świrski,* prof. univ. Wilno; dr. *Špůrek,* prof. theol. Obořiště; dr. Ant. *Salajka,* Praga.

Contenta in fasc.: 1.


Pag.

Dr. Joseph *Luska,* De argumentis Eugenii Akvilonov contra conceptum ecclesiae prout ea est societas 1

Dr. Franciscus *Cinek,* Orthodoxi dissidentes in Bohemia et Moravia 27

Dr. Joannes Chrys. *Jaroš,* C. ss. R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos . 44

Recensiones: Mathias *Šaruga,* De notione et de dissolutione necnon de fine matrimonii in Ecclesia orientali Serbica. (Jaroš, C. Ss. R.). P. Pascal *Tekeyan,* Controverses Christologique en Arméno-Cilicie dans la seconde moitié du XIIe siècle (1165-1198). (Dr. Luska). P. Stephane *Bello,* La congrégation de S. Hormisdas et l'Église chaldéenne dans la première moitié du XIXe siècle. (Dr. Luska). Nova Revija (-a). Cirilometodski vjesník. (-a). Ivan *Marianov,* Hogy mindnyájan egyek legyünk. (-a). *Ráček* Blažej S. J., Církevní dějiny v přehledu a obrazech. *Neumann* Aug., ThDr., Předhusitské kláštery a veřejné blaho. *Kollmann* Ignatius, PhDr., Acta S. Gongregationis de Propaganda Fide res gestas Bohemicas illustrantia Prodromus. *Beneš* Jaroslav, Dr., Rozumem ke zdroji pravdy. Filosofické úvahy. Škola v duchu národním a křesťanském.

# Acta Academiae Velehradensis

*Tomus XVI.* *A. D. 1940.* *Fasc. 1.*

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 150/40. IMPRIMATUR
Olomucii, 17. II. 1940. † LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

# DE ARGUMENTIS EUGENII AKVILONOV CONTRA CONCEPTUM ECCLESIAE PROUT EA EST SOCIETAS

*Joseph Luska.*

(Continuatio)

## PARS DOGMATICA.

Accedentes ad partem dogmaticam generatim unum praemittere velimus; scilicet argumenta et obiectiones Akvilonovi singillatim sumuntur et crisi subiciuntur; possent forsitan summatim proponi vel in classes dividi; tamen, quia varii generis sunt, melius singulas examinare videtur, ut potius verum a falso distinguatur.

### *Methodus laboris dogmatici.*

Communis definitio Ecclesiae per notionem societatis fidelium non plene respondet eius essentiae; agitur de scientifica definitione. Ratio autem huius defectus definitionis in methodo dogmatica minus recta est.[1] Expositio Akvilonovi

1 Nam theologi a conceptibus abstractis laborem incipiunt et ad realitatem vivam, quae est Ecclesia, pervenire volunt, quod impossibile apparet (Cerkov, pag. 71 s). — Vides influxum Chomjakovi qui tantopere inculcat realitatem vivam et necessitatem vivendi in Ecclesia, ut homo possit ad conceptum Ecclesiae pervenire (Soč. Chom. II, pag. 7, 8, 10).

Duae viae inquisitionis theologicae ab Akvilonovo assignantur.[2] Introductio in theologiam per philologiam maxime viget. Nomen obiecti primum examinatur et postea ad scientificam explanationem progreditur, recta methodo putatur. E. gr. nomen angeli (graece, hebraice) est nomen officii, non naturae... Similiter de Ecclesia incipiunt: Ecclesia in textu originali graeco vocatur... significat communiter adunationem certarum personarum... ergo Ecclesia est coadunatio credentium. Ita fere semper doctrina in definiendo conceptu Ecclesiae facit. Philologice invenitur fundamentum quaesitae definitionis et doctrina pure synthetica methodo tantum particularia definitionis adiicit; est sola traductio, et non semper bona. Doctrina theologica debet hoc agnoscere, aliter in tota dogmatica faceret philologicum modum constructionis scientificae definitionis.

Superioritas alterius viae patet, si primam viam in consideratione habemus. Non licet incipere ab abstractis principiis vel a philologia, quia Ecclesia non est speculativa veritas,[3] sed vera et viva realitas. Exinde incipiendum et per oculos fidei ad scientificam definitionem conceptus Ecclesiae accedendum est.

Responsio

Aptissime theologi incipere ab explicando nomine Ecclesiae videntur, nam tali definitione nominali significatur, quid res sit et de quo agatur. Nec sola definitio philologica locum habet in tractatibus theologicis sicut Akvilonov obicit, nec necessarium videtur secunda eius via progredi. Potius una methodus ex duobus ab eo assignatis convenienter coniuncta proferri possit. Nec spernenda est prima via sic dicta philologica. Nam „cum nomen ipsum etymologice spectatum quandam certam praefert significationem et constat pro aliqua re significanda usurpatum esse ab iis, qui et vim nominis et eandem rem plane noverant, definitio, ex ipsa vi nominis petita, habenda est ut realis; exhibet enim verum conceptum obiectivum rei: licet quia non primas essentialesque omnes notas rei exhibet, non sit adaequata definitio".[4]

2 Новозавѣтное ученіе о Церкви, стр. 15—22; Церковь Христова въ дѣлѣ нашего спасенія. О двухъ путяхъ къ рѣшенію вопроса. (Странникъ 1895, I, 676—678.)

3 Умозрительная истина. — Chomjakov similiter sentit et easdem expressiones habet, possibilitatem tamen definitionis omnino reicit.

4 Dom. Palmieri, Tractatus de Romano Pontifice, pag. 1.

## *A) Singulae propositiones examinantur: cur Ecclesia per conceptum societatis definiri non potest.*

1. Non est definitio, sed pura *descriptio*.

Primum argumentum, per quod Akvilonov definitionem Latinorum de Ecclesia qua societate evertere conatur, est: „Societas credentium non est logice recta definitio integrae eius essentiae, sed tantum pura descriptio."[5] Quae descriptio solam causam constituentem, materiam, ex qua componitur, designat. Nihil de genere constructionis Ecclesiae, nec de modo et forma unionis materiae. Ante omnia necessarium est sive quomodo efformata sit et quomodo in sua natura existat, sive legem internam eius existentiae, stylum constructionis cognoscere. **Expos. A.**

**Responsio** Ad hanc eius propositionem adnotari potest: Nomen „societas credentium" non est descriptio, sed vera definitio Ecclesiae.[6] Utique non est omnino perfectissima, nec est definitio unica, neque pleno sensu essentiam Ecclesiae omni ex parte exprimit; possunt etiam aliae dari, quae elementum supernaturale melius indicent. Est definitio inadaequata, quia Ecclesia est non tantum visibilis societas omnium Christi fidelium, sed comprehendit insuper spiritualem invisibilem partem, ad quam et omnes iusti in gratia sanctificante constituti pertinent.

Quoad definitionem mediante conceptu societatis breviter sequentia dici possunt. Ecclesia sicut omnis societas tres notas vel determinationes amplectitur:[7]

Primo — finem communem, ad quem omnia membra diriguntur.

Secundo — obiecta, materiam aptam, quae conduci debet ad hunc communem finem.

Tertio — auctoritatem convenientem, quae directionem assumere possit.

Tametsi Ecclesia quid commune cum aliis societatibus habet,

5 Церковь, 72s. — Fere ad verbum similia habet: Pilgram Friedrich, Die Psychologie der Kirche. Mainz 1860, S. 2—3. — Akvilonov verisimiliter ista ex Pilgram sumpsit.

6 Sermo est de sola Ecclesia terrestri et Ecclesia Novi Testamenti.

7 Cf. E. Dublanchy in Dictionnaire de Théologie Catholique, IV, 2110 s.

tamen per speciales peculiaritates ab omnibus distinguitur. Primo — finis Ecclesiae est supernaturalis, qui est continuare missionem Jesu Christi et animas ad salutem aeternam perducere. Secundo — peculiaris natura eius auctoritatis, nam Ecclesia auctoritatem eminenter supernaturalem possidet. Quae potestas communicatione gratiae per sacramenta exercetur; deinde infallibilis est Ecclesia in omnibus, quae a Deo revelata sunt; et praeterea potestatem habet obligandi fideles ad omnia, quae saluti eorum necessaria sunt. Ecclesia prout societas pro subiecto quidem homines habet, non tam quoad corpus, sed potius ad eorum destinationem supernaturalem respectum habet, cui omnia temporalia adaptari debent. Non solum receptio sacramenti baptismi et acceptatio fidei revelatae, sed etiam submissio constans auctoritati directrici ecclesiasticae requritur, ut homo finem supernaturalem assequi possit.

Haec breviter in conceptu societatis supernaturalis, quae est Ecclesia, per differentias specificas indicata continentur.

2. Ecclesia est *vita divina*. Atqui haec vita divina non potest dici societas.[8]

**Expos.** A. Omnis homo tendit ad veram vitam. Principium omnis vitae Deus est, propterea tendentia ad veram vitam est conatus similis fieri Deo. Quo maior talis tendentia, eo melius pro homine, nam omnis vita sigillum divinae perfectionis in se portat; hoc est finis religionis. „In religione homo in immediatam, vivam, personalem relationem ad Deum constituitur . . . inter Deum et hominem nulla mediatio interesse potest."[9] Homines in suo toto unum indivisum organismum efformant. Verum est neminem posse devotum fieri pro alio; e contrario nemo potest fieri religiosus homo sine alio. Si quis vere religiosus fieri vult, debet esse membrum Ecclesiae Christi. Deus in carne apparuit et opus nostrae redemptionis per-

[8] Церковь, pag. 10—24.

[9] Ibidem, pag. 11. — Никакое посредство, immediata relatio ad Deum intelligitur: sine Pontifice Romano. Sed valde apparet hic mentalitas e Platone vel potius e Plotino sumpta, de immediata theosi a materia ad spiritum directe ascendendo. Postea clare insinuatur apud Akvilonovum etiam momentum unitatis absolutae in applicatione ad Ecclesiam: item ex haereditate plotinismi haustum.

fecit; propterea non alio quam tali modo vera vita incipere potest, nempe in Ecclesia, quae est continuatio operis Redemptoris.

Patet[10] Ecclesiam esse veram vitam, vitam in Christo, vitam divinam. Quomodo haec vita divina vocari potest societas?

Quae dicit Akvilonov, in Ecclesia qua societate supernaturali optime verificantur, nec conceptus societatis excluditur.[11] Ecclesia est societas ordinis supernaturalis non solum propter suum finem, sed propter principium activum, principium socialis activitatis, qui est ipse Spiritus Sanctus.[12] Essentia Ecclesiae simpliciter et absolute omnem captum ipsumque votum naturae hominum socialis excedit. „Ecclesia iure dicitur, sub Christo theandrico, et ipsa theandrica. Capitis enim vitam corpus participat; in ipso eliciuntur operationes, quae sunt simul Dei et hominis, divinae et humanae, i. e. theandricae. Sed titulo plane diverso. Unio enim hypostatica Dei et hominis in capite Ecclesiae Christo, per aliquam solum umbram seu analogiam producit sui imitationem in corpore, nempe per assimilationem *adoptivam*."[13] Scribit s. Joannes: „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus" (I Jo. 3, 1). Sumus filii Dei, sed filii adoptivi. Responsio

Per talem distinctionem obiectionem Akvilonovi, quae aliter multum verae profundissimaeque veritatis in se includit, explicare iuvat. Similis est sequens obiectio.

3. Essentia Ecclesiae consistit in vinculo spirituali, *Spiritu Sancto;* quod non est societas.[14]

Homines mutuo in se influunt et efformant unum organismum. Agitur de vinculo spirituali, de vi divina, quae in hominibus operatur. Qui non negat in se actionem vitam dantis Spiritus, omnis necessitatem Ecclesiae concedere debet. Expos. A.

Essentia Ecclesiae consistit in vinculo spirituali, quo homines

10 Ex multis locis, e. gr. Cerkov, pag. 85: Ecclesia est religiosa organisatio verae vitae (quod etiam vero sensu sumi potest). — Ceterum influxus protest. Dorner et Chomjakovi cernitur.

11 Rem bene explicat M. d'Herbigny, Theologica de Ecclesia, I, pag. 166.

12 In sequenti adhuc magis evolvetur.

13 d'Herbigny, Theologica de Ecclesia, I, pag. 166.

14 Vide Церковь, pag, 25s.

inter se coniunguntur; Spiritus Sanctus dat omnem vitam ecclesiasticam. Quomodo ille potest dici societas?

Responsio

Bene Akvilonov inculcat necessitatem gratiae Spiritus Sancti, ex quo omnis vita supernaturalis in Ecclesia. Spiritus Sanctus formalis pars Ecclesiae vocari potest,[15] non tamen simpliciter et absolute dicere licet Ecclesiam esse Spiritum Sanctum vel Spiritum Dei,[16] ex quo auctor definitionem Ecclesiae per conceptum societatis evertere studet.

Spiritus Sanctus non solum nobis gratiam sanctificantem communicat, sed inhabitat in nobis in quantum membra Ecclesiae sumus. Non solum per sua dona, immo propria sua praesentia secundum I Cor. 6, 19: „Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est." Vel alibi dicit Scriptura: „Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos; et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus" (2 Cor. 6, 16). Agitur de inhabitatione. Spiritus Dei in Ecclesia vivit, per eam manifestat historicam sui in mundo activitatem; quae inhabitatio, unio cum Ecclesia-societate supernaturali humanam naturam simpliciter quidem transcendit, nullo modo tamen unioni hypostaticae assimilari potest, immo absolute inferior ea est et ab ea differt.

Multiplex relatio Ecclesiae ad Spiritum Sanctum datur, nec debet Ecclesia cum Spiritu Sancto confundi, sicut aliquo modo apud Akvilonovum adest cum illo vinculo spirituali. Ex mente sancti Augustini et s. Thomae Aquinatis Spiritus Sanctus recte dicitur anima Ecclesiae.[17] Sicut enim animae est corpus vivificare, ita Spiritus S. corpus Ecclesiae spiritualiter et supernaturaliter vivificat. — Spiritus S. assistit Ecclesiae, illuminans eam, ut veritatem revelatam sancte custodiat et infallibiliter exponat, simul tamen illuminans corda fidelium, ut Dei aspirante et adiuvante gratia firma fide verbum Dei credant; Spiritus S. sanctificat Ecclesiam, diffundens gratiam sanctificantem et charitatem Dei in

15 Sensu quodam latiori, appropriativo nempe, Spiritus Sanctus forma Ecclesiae vocari potest.

16 Sicut Chomjakov: cf eius Sočiněnija II, pag. 12.

17 Schultes, De Ecclesia catholica, pag. 757—758; ex quo sumimus sequentia.

cordibus nostris et copiosa auxilia gratiae actualis largiens, maxime mediantibus sacramentis et ministris Ecclesiae; Spiritus S. unit Ecclesiam, uniendo scilicet fideles cum inter se tum episcopis et Romano Pontifici, maxime vero Christo, Deo et homini, etenim per Spiritum S. efficimur unum cum Christo.

Merito Spiritus S. vocatur „cor Ecclesiae", ut s. Thomas exponit. „Caput habet manifestam eminentiam respectu ceterorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit; capiti autem comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quod homo hominibus praefertur."[18]

Denique lex nova, que est proprie lex Ecclesiae, est ipsa gratia Spiritus S., ut docet s. Thomas: „Id quod est potissimum in lege Novi Testamenti et in quo tota eius virtus exsistit, est gratia Spiritus Sancti, quae datur christifidelibus",[19] scilicet per sacramenta quae sunt Novae Legis. Omnia autem alia, quae in Lege Nova continentur, ad gratiam Spiritus S. ordinantur. Id quod s. Thomas l. c. ad 1 sic explicat: „In Scriptura Evangelii non continentur nisi ea, quae pertinent ad gratiam Spiritus Sancti, vel sicut dispositiva vel sicut ordinativa ad usum huius gratiae."

Quam unionem intimam Ecclesiae et Spiritus S. iam Irenaeus celebraverat scribens: „Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei: et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia."[20]

4. Etiam *familia christiana* et *res publica* christiana est societas credentium, tamen non est Ecclesia.[21]

Etiam familia christiana et res publica christiana sunt societates originis divinae, a Deo constitutae, a Deo reguntur, in relationibus ecclesiastico-religiosis similiter pastoribus spiritualibus subduntur, exsistunt pro fine christiano morali; attamen nec familia nec res publica sunt Ecclesia. Conceptus societatis non coincidit cum conceptu Ecclesiae. Expos. A.

Necessario procedendum est in hac obiectione distinguendo so- Responsio

18 Summae Theologicae, III, q. VIII, a. 1, ad 3.
19 Summae Theologicae, I-II, q. CVI, a. 1.
20 Adversus haereses, III, 24 (Migne P. G. 7, 966 C).
21 Церковь, pag. 73—74.

cietatem: perfectam, non perfectam; civilem, religiosam; naturalem, supernaturalem. Familia non est societas perfecta; est societas naturalis sicut res publica, non bonum supernaturale hominum intendit, sed per se bonum naturale in hac terra obtinendum. Ecclesia autem est societas religiosa supernaturalis cum per suum finem (salus aeterna) tum per media (gratia in sacramentis) cum auctoritate, qui est Christus Dominus, ex quo omnis vis ad hunc scopum perficiendum in Ecclesia emanat.

Si prae oculis habemus societatem imprimis per finem specificari, differentia maior adhuc apparebit. Verum est etiam familiam vel rem publicam esse originis divinae vel a Deo regi eo sensu, quia auctoritatem habent provenientem a Deo, sunt tamen ordinis pure naturalis et restrictae ad inquisitionem immediatam boni temporalis suorum subditorum, dum Ecclesia scopum eminenter supernaturalem habet.

5. Conceptus societatis est *genericus*, requiritur autem *specificus* ad definitionem.[22]

**Expos. A.** Societas est conceptus genericus,[23] in quo omnes ei subordinati conceptus comprehenduntur: familia, schola, communitas, associatio, sodalitas, res publica. Stricte determinatis denominationibus Ecclesia definiri debet, non conceptu generico, sed pro definitione exacta conceptus specificus[24] requiritur.

**Responsio** Conceptus societatis secundum Akvilonovum est indeterminatus, ergo non est adhibendus in definienda Ecclesia. Sed ita definitio realis, praesertim essentialis, quae explicat rem ex elementis essentiam constituentibus, semper componitur. Immo talis definitio nobis videtur perfectissima, quae partes metaphysicas, i. e. genus proximum et differentias specificas indicat. Si societas conceptus genericus est, per quem indicantur ei cum rebus similibus communia, nihil impedit, quominus per differentiam specificam id, quo ab eis differt, exprimatur.[25] Ergo ad definitionem exactam

22 Церковь, стр, 74—75.

23 Понятіе родовое.

24 Видовой.

25 Si vocat Ecclesiam: corpus Christi; „corpus" est genus proximum, „Christi" differentia specifica. — Similiter „societas" est genus proximum; „supernaturalis" differentia specifica.

necessariae sunt cum genericae tum specificae partes. Conceptus societatis est quidem indeterminatus, sed praecise per differentias specificas stricte determinari debet.[26]

6. Ecclesia non est societas (elementum subiectivum), sed vis quae colligit (elementum obiectivum, tabernaculum Dei).[27]

Conceptus societatis est una pars obiecti et quidem secundi ordinis, nam Ecclesia non est solum societas fidelium, sed a Deo pro nostra salute fundata institutio. Deus inhabitat in hominibus et inter homines et pro eis in sacramentis gratiae. Sed habitatio Dei in hominibus est quid aliud quam eius inhabilitatio inter homines; primum in abstracto praesupponit sequens. Ecclesia in concreto est nec primum nec secundum separatim, sed unum alterumque simul. Ecclesia est non solum societas fidelium progenita a Spiritu Sancto, sed etiam tabernaculum Dei in terra, per quod Deus in terris inhabitat et dat gratias hominibus. In primo casu est ante nos Ecclesia sensu subiectivo; in secundo — ex parte obiectiva. Nam sunt duo elementa in Ecclesia: primo — elementum subiectivum, societas fidelium; secundo — elementum obiectivum, i. e. receptaculum gratiae, domus et tabernaculum Dei. Hoc elementum est primarium, eo enim mediante colligitur et enascitur societas fidelium. Conceptus societatis praesupponit ergo medium, mediante quo credentes collecti sunt in societatem. In sua totalitate Ecclesia est simul vis illa colligens et collecta societas. Expos. A.

Non fide subiectiva, sed actione divina in sacramentis coalescit Ecclesia. Non ubi duo vel tres conveniunt, ibi etiam societas, sed ubi Deus mediante gratia sacramentorum agit, ibi credentes efformant societatem. Non sola fides subiectiva constituit fideles in communione inter se, sed ipse Dominus mediante gratia in sua Ecclesia collocata suos confessores coadunat.[28]

26 Aurelio Palmieri recensionem dans libri Akvilonov recta dicere videtur dum scribit: „Akvilonov si studia di confutare i teologi dell' Occidente. Nel ribattere le ragioni dei suoi avversarii, il protoierea russo trovassi molto impacciato, e di tratto in tratto delle asserzioni gratuite tengono luogo di validi arg menti." (Rivista storico-critica delie scienze theologiche. Roma 1905, I. fasc. 3, pag. 196.)

27 Церковь, pag. 75—78.

28 Abhorret a principio activo hominis in Ecclesia, a causa secunda; ipse Deus omnia agit sine adiutorio hominis. Est occasionalismus.

**Responsio** Sat bene explicat et graviter in lucem ponit doctrinam quasi catholicam, sed lis videtur esse tantum de nominibus. Male concipitur apud eum doctrina catholica de societate supernaturali, nam ad societatem secundum eum modo una pars, materia i. e. credentes pertinent. Utique si esset societas naturalis vel mere humana, sicut auctor sibi fingit, tunc certe non posset de Ecclesia praedicari; si est societas supernaturalis, concedi potest. — Revera Akvilonov magnam difficultatem experitur, quia non distinguit inter societatem naturalem, pure humanam et supernaturalem, in qua sicut doctrina catholica dicit „principium proprium activitas socialis in Ecclesia est ipse Spiritus Sanctus ita praesens et inhabilitans, regens et sanctificans, ut Ecclesia sit corpus Christi."[29]

Pulchra verba legimus apud Franzelin:[30] „Tota Ecclesia templum est Spiritus Sancti, qui eam inhabitat donis et gratiis suis, fide, spe et charitate informans et formans membra Ecclesiae, ipse Spiritus veritatis, Spiritus virtutis, Spiritus sanctificationis. Unus Spiritus cum donis suis sicut interna sanctificatione in mensuram uniuscuiusque membri, omnia membra coniungit, ita ut externis visibilibus effectibus, quibus se manifestat, unitate professionis fidei, communionis, sacramentorum ipsum unum corpus efformat... Externa autem haec omnia et visibilia suam propriam rationem suumque valorem habent a donis internis, a quibus promanant et quibus informantur. Corpus vivificatur a Spiritu: quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei." (Rom. 8, 14.)[31]

Akvilonov putat societatem indicare solum elementum subiectivum, dum vis illa, quae colligit, est obiectiva; quae mutuo componi non possunt. Quod minime placet nostris catholicis auctoribus. Immo talia potius structuram socialem demonstrant. Demonstrant Ecclesiam esse societatem inaequalem, sed perfectissimam, quia per vim supernaturalem sustentatur.

Liceat verba laudati Franzelin adducere: „Christus caput et fundator instituit, ac per Spiritum Paracletum manentem in Ec-

[29] M. d'Herbigny, Theologica de Ecclesia, I, pag. 166.

[30] Totum caput: „Ecclesia Jesu Christi considerata secundum habitudines ad divinum suum fundatorem" (Theses de Ecclesia, pag. 288—324).

[31] Ibidem, pag. 315.

clesia perpetuo efficit, ut corpus sit organicum. Multa enim membra inter se diversa non omnia eundem actum habent; omnia tamen ad invicem membra sunt et ad unum totum ex sua natura pertinent, et ad unum finem totius suis actibus conspirant... Hinc gradus sunt diversi non solum laicorum, qui carent potestate activa, sive in corpus reale sive in corpus mysticum Christi, et Clericorum, in quibus residet haec potestas; sed etiam, quod nunc consideramus, ex Christi institutione et Spiritus Sancti operatione diversi sunt ordines hierarchici, ab uno supremo (qui immediate Christum repraesentat in tota Ecclesia et ab ipso participat proprietates supremi confirmatoris omnium fratrum, pastoris omnium ovium, fundamenti totius Ecclesiae) usque ad inferiores. In his mutua coniunctione et inferiorum ad superiores subordinatione constitutum est unum magisterium, imperium, sacerdotium, in aliis maiori in aliis minori plenitudine derivatum ab uno capite Christo per communicationem unius Spiritus veritatis, virtutis, sanctificationis: multi unum corpus sunt in Christo... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult."[32]

7. In subiecto „societas" non continentur praedicata, *sacramenta*, quae sunt de essentia Ecclesiae.

Theologus pravoslavus non potest accipere definitionem Ecclesiae prout societatis fidelium,[33] nam tali modo obiectiva pars Ecclesiae reicitur et spiritualistice sola pars subiectiva confirmatur. Quo in casu Ecclesia est tantum summa, collectio civium Dei... Haec definitio valet apud protestantes, qui sacramentum sensu obiectivo, ut institutionem obiectivam, non admittunt. Doctrina protestantium cum pravoslava comparata non est praecisa, est unilateralis. Est quaedam dissectio inter subiectum et praedicatum. Etiamsi theologica cogitatio nimis profunde incumbat scientificam definitionem Ecclesiae, tamquam societatis credentium, in hoc conceptu non possit invenire notas ei adscriptas. Subiectum (societas) cum praedicato (sacramentis) logice non coniungitur. Expos. A.

32 Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 316.
33 Церковь, pag. 78—79.

Per societatem non bene nexus internus inter essentiam Ecclesiae et sacramenta exprimitur.[34] Apparent pauça signa et quaedam dependentia a Christo in definitione societatis; sed non in recta unione cum eius essentia coordinantur, non ponuntur sacramenta in rectam dependentiam a Christo capite, qui est eorum institutor[35] et confector. Sacramenta per se altiorem vitam Ecclesiae, quae e capite Christo diffunditur, exprimunt.[36] Propterea societas fidelium vocari non potest, sed necessario aliud verum nomen adhibendum est, i. e. corpus Christi.

Sacramenta sunt signa visibilia invisibilis gratiae, per ea gratia fidelibus communicatur. „Instrumenta Dei in opere salutis sunt sacramenta. Apparent uti continuatio primi et perfectioris intrumenti — animae et corporis Christi."[37] Nec consensum dare argumentationi Akvilonovi possumus. Dicit enim, si Ecclesia ut societas sumitur, aliis verbis, si sacramenta ut signa visibilia sumuntur, per hoc reicitur invisibilis gratia. Attamen sicut in Christo et corpus et anima fuit, sic in continuatione intrumentorum Dei in redemptione nostra, in sacramentis, necessario ad exemplar Christi pars visibilis, signa visibilia, expressio societatis visibilis simul cum invisibili gratia adest. Nullo modo haec duo elementa sese excludunt, sed se ad invicem complent. — Probatur:

Sacramenta substantialia elementa Ecclesiae divino-humanae sunt. Atqui Ecclesia non potest esse alterius naturae atque eius elementa, et quidem substantialia.

Verum est sacramenta non producere gratiam iustificationis ex semet ipsis, sed inquantum sunt instrumenta, quibus Deus in sanctificatione utitur. Unica principalis causa efficiens est Deus, quia ipse solus participationem in vita divina concedere potest. Christus sicut Deus constituit sacramenta, sicut homo nobis salutem promeruit. Ille per sacramenta gratiam fidelibus distribuit.

[34] Церковь, стр. 84—85.

[35] Распорядитель, совершитель.

[36] Citat catechismum Filareti: Quid significat credere in Ecclesiam? „Significat pie venerari veram Christi Ecclesiam, eius doctrinae obsequi, persuasum habentes gratiam ab eius unico aeterno capite Domino Jesu Christo dimanantem in ea adesse, salubriter operari, docere et regere."

[37] С. Тышкевичъ, Ученіе о Церкви, Парижъ 1931, стр. 83.

Ut caput universalis Corporis sui ipse est fons gratiae pro omnibus membris.

Sacramenta sunt partes essentiales in organismo ecclesiastico, non sunt nisi realisatio humanitatis Ecclesiae, immo totius Ecclesiae naturam praeseferunt et propterea sunt ectypi assimilati ipsi institutori Christo, ut Akvilonov vult et bene ostendit. Quia sacramenta, causa efficiens instrumentalis Ecclesiae, partes essentiales Ecclesiae sunt a Christo, causa efficiente principali instituta, quaeque a passione ipsius Christi virtutem instrumentalem habent ad operandam aedificationem et formationem corporis Christi,[38] in conceptum, definitionem Ecclesiae ingredi debent. Quod communiter fit, nam sacramenta in definitionibus nominantur.[39]

Si in definitione partes essentiales adducuntur, hoc sufficere videtur; nam ex his cum nexus ad caput tum ad totam Ecclesiam iam evolvi possunt. Nec omnia minutim in definitione brevitatis causa indicantur, sed si essentialia ponuntur, sufficit.

Alias essentimus Akvilonovo, nam ut Franzelin optime dicit: „Sacramenta sunt unum ex essentialibus et vitalibus elementis, quibus Ecclesia Jesu Christi in terra constituitur, nutritur et fovetur ab ipso sponso suo Christo. In sacramentis etiam materialiter membra Ecclesiae praeparantur (nimirum in Christiano matrimonio), et formaliter Ecclesia per sacramenta in suis membris perpetuo renascitur ac renovatur, sanatur, sanctificatur, eiusque hierarchia succrescit ac conservatur. Unde sacramenta eadem intelliguntur esse una ex praecipuis iuncturis subministrationis, quibus totum corpus in se et cum capite Christo compactum et connexum, facit augmentum corporis in aedificationem sui in charitate."[40]

[38] Vide: Zigliara, Propaedeutica ad sacram Theologiam, p. 376.

[39] Cf e. gr. illam Bellarmini vel catechismi Filareti: „Ecclesia est coetus hominum unius et eiusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione coniunctus ..." (s. Rob. Bellarminus).

„Церковь естъ отъ Бога установленное общество человѣковъ, соединенныхъ Православною вѣрою, закономъ Божiмъ, священноначалiемъ и Таинствами" (Митр. Филаретъ).

[40] Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 317.

8. Per conceptum societatis non exprimitur *Christum* esse *caput Ecclesiae.*[41]

Expos. A. Adhibito conceptu societatis pro Ecclesia non exprimitur Christum esse caput eius. Hoc autem est principale, essentiale, conditio sine qua non Ecclesiae. Apud romano-catholicos doctrina de Christo capite Ecclesiae perversa est per pseudodoctrinam papisticam. In pravoslavia utique clare exprimitur, immo cum tanta claritate et determinatione, ut nec tendentiae papisticae quid valere possint. Sed de hoc non agitur. — Sequitur ex analysi definitionis Ecclesiae ut societatis fidelium necessario doctrina de Christo capite? Si ita est, evolvas hoc logice ex tali definitione! Ex huiusmodi definitione tantum sequitur: Christus erit caput communitatis eorum, qui eum sequuntur; non autem erit caput sui corporis. Aliter: Christus iam non erit amplius vero sensu caput Ecclesiae.

Ratio haec est: non debet oblivisci illud substantiale i. e. distinctio inter fundatores et rectores ex una parte societatum religiosarum non christianarum, et ex altera parte Ecclesiae Christi. Christus enim modo perfecto et specifico est caput Ecclesiae et ita distinguitur ab illis... Haec debent in definitione exprimi, ut doctrinae pravoslavae praecise correspondeat definitio, in relatione diversa ad alias confessiones christianas et praeterchristianas respectu habito eorum fundatorum. Nam Christus in comparatione cum aliis religionibus locum omnino specialem, exclusivum in religione christiana occupat. Quod statim nomen „christianus" dicit. Utique etiam islam secundum fundatorem mohamedanismus vocatur, sed nomen islami demonstrat alterum nomen non habere fundamentalem significationem. Aliter in christianismo, nam id nomen non tantum accidentalem et externam relationem et ligamen cum suo fundatore habet, sed internam et organicam. Christus interne et organice unitus est cum Ecclesia. Christianismus sine Christo ne cogitari quidem potest. Tantum omnino abstracte posset existentia Ecclesiae sine capite cogitari. Si unionem christianae religionis cum Christo attendimus: necessario concludere debemus Ecclesiam christianam ne momentum quidem sine Christo

[41] Церковь, pag. 79—82.

existere posse. — Ergo Christus in ipsam definitionem Ecclesiae explicite ingredi debet.

Cum vocem caput audis, ne putes solum regimen, sed verum caput sensu proprio.[42] Christus Dominus organice et essentialiter, immutabiliter et aeternaliter, in sensu proprio verbi „caput Ecclesiae" est, sicut nempe vir est caput uxoris.

Hic nimis, cum magna emphasi in nexu inter Christum et Ecclesiam — unum corpus Christi — insistit.[43] Nimia insistentia, sed non bene praecisat et distinguit nexum: moralem, physicum, mysticum. Responsio

Quaerit Akvilonov, utrum ex analysi definitionis Ecclesiae-societatis necessario doctrina de Christo capite sequatur. Negative respondet. — Vel aliter quasi diceret: societas non est corpus; atqui Christus est caput corporis sui, Ecclesiae. Ergo Christus caput Ecclesiae non est, si haec ut societas nominatur.

Sed nego suppositum huius propositionis, nam varius nexus distinguitur: physicus, moralis, mysticus.

Nexus physicus datur inter membra unius corporis physici. Ecclesia certe non est corpus Christi physicum, sed spirituale, dicit Akvilonov. De physico ergo non est sermo.

Nexus moralis i. e. extraneus, accidentalis tantum, potest esse in societate, putat Akvilonov. Difficultatem sentit, quia non bene determinat neque distinguit.[44] ... Ecclesia est non solum corpus morale sed aliquid plus. Est corpus Christi sensu improprio, cum si comparatur cum corpore Verbi (Verbum est sustentans corpo-

42 Церковь, стр. 83—84.

43 Ad alium aspectum non attendens, sicut et alii orthodoxi.

44 „Pravoslavna teologija ne pozna pojma mistično telo; zato ne more točno opredeliti razlike med cerkvijo in med fizičnim telesom Kristusovim" (Grivec, Cerkev, pag. 88).

„Akvilonov ne razlikuje pojma telo v mističnem stvarnem in v prenesenem moralnem pomenu. Zato tudi ne pozna razlike med angeli in med ljudmi kot člani mističnega telesa Kristusovega. Istotako ne pozna razlike med mistično stvarnim Kristusovim in med moralnim Petrovim glavarstvom. Pojem mistično telo mu je neznan" (Ibidem, pag. 125).

„A že sama trditev, da je Kristus izključna monarhična glava cerkve, obsega krivo pojmovanje mističnega telesa Kristusovega. Uporabljanje tega pojmenovanja proti vidnemu monarhičnemu poglavarstvu cerkve razodeva in zopet povzroča mnogo nejasnosti in zmešnjav" (Ibidem).

ris sensu proprio) tum, si spectatur natura corporis; Ecclesia enim tantum analogice corpus est, etsi aliter ac societas in genere cum corpore comparetur.

Corpus mysticum est quid medium inter physicum et morale. Nam Christus cum Ecclesia tum moralibus vinculis tum etiam organicis influxibus et relationibus iunctus est. Ecclesia nec moralis solum communitas, nec physica quaedam unio hominum est. „Ecclesia enim est corpus Christi mysticum, i. e. societas, cuius caput est Christus (Ephes. 1, 21; 4, 15), non eo tantum modo, quo in reliquis societatibus ii, qui supremam auctoritatem habent, sunt caput corporis moralis, sed ideo, quod omnes gratiae Ecclesiae in Christo sunt secundum totam plenitudinem et ex Christo in membra Ecclesiae derivantur . . ."[45]

Praeterea adnotari debet non esse verum, similitudinem nullam dari inter societatem et corpus. Inter societatem et corpus organicum multiplex similitudo adest.[46] Sicut corpus ex multis diversisque membris constat, quae inter se iuncta sunt secundum externam continuitatem, crescunt quoad materiales copulationes et coadunantur in principio mutuo vitali, ita similiter et in societate, in Ecclesia verificatur. In Ecclesia coadunantur membra variarum nationum, aetatis et variarum habitationum; membra variae perfectionis in gradibus . . . multa membra recte organa Ecclesiae nominantur, quia necessarias vitales functiones ecclesiasticas exercent.

Ecclesia est similis cum societati humanae tum organismo corporis. Non dicimus Eam esse tantum societatem humanam, ubi membra inter se solum moraliter iunguntur, sed in Ecclesia esse quid plus, scilicet reales internas relationes coniunctionis per gratiam, fidem et vincula caritatis. Intime inter se et Christum uniuntur.[47] — Paulo fusius haec enucleanda sunt.

Nomen corporis sumi de Ecclesia sensu translato manifestum est; non est corpus, quod sit pars physice componens naturam hu-

45 Chr. Pesch, Praelectiones dogmaticae, I, pag. 269.

46 Cf Grivec, Cerkev, pag. 83.

47 Si Ecclesia esset societas mere humana et corpus physicum, excluderentur invicem, sicut vult Akvilonov. Attamen Ecclesia est societas supernaturalis.

manam Christi. Propterea additur a catholicis epitheton: „mysticum" corpus Christi (Akvilonov nonnullis locis habet „spirituale", quod e Patribus[48] mutuatum esse videtur). Posset quidem dici corpus Christi morale, hoc in oppositione ad corpus physicum, sed minus apte, quia non tam positive significaret modum supernaturalis unionis Ecclesiae cum Christo, potius negative spectaretur.

Notum est dari societates in ordine civili tum communitates ecclesiasticas particulares in ordine ecclesiastico, quae ex similitudine cum corpore organico physico corpora appellantur. Pluribus hominibus componuntur, in gradibus et functionibus diversis et omnia communi fine et modis diversimode distributis inter se colliguntur, ut ab uno vel a pluribus per modum unius tamquam a capite conserventur et dirigentur; quia sunt plures homines natura individua et hypostasi distincti, quia omnia fundata sunt in iuribus et officiis et pertinent ad ordinem morum, tales communiones vocantur corpora moralia. Haec omnia analogice dicuntur, cum sermo est de capite et membris unius corporis moralis.[49]

In societate humana vel corpore morali naturali est quidem accidentalis et externa unio vel ligamen inter fundatorem et membra; quod obicit Akvilonov. Ecclesia autem non est talis societas, sed est societas supernaturalis.

Ecclesia est societas vel aliter corpus collectivum, dum singuli fideles sunt personae per se subsistentes, natura individua distincti tum inter se tum a Christo capite. Ecclesia est moraliter corpus Christi, „intelligi tamen debet unio non solum exterior sed omnino intima per continuam realem communicationem et conservationem omnium munium et institutionum, omnium potestatum et sacramentorum, omnium gratiarum et virium supernaturalium, vitae supernaturalis, totius denique *esse* secundum elementa visibilia et invisibilia, quo formaliter est et exsistit Ecclesia Christi... Ista igitur unio intima, realis, secundum quid physica Christi capitis cum Ecclesia corpore suo sane est in mysterio credenda per

[48] Habet e. gr. Clemens Alexandrinus, Strom. 7, 14; (M G 9, col. 521 B); Strom. 7, 11 (col. 496 B). — Plura vide: Tromp, Corpus Christi . . . , pag. 91.

[49] Defectus analogiae entis in omnibus partibus apud Akvilonovum fortiter sentitur.

fidem et recte dicitur mystica, ac propterea ecclesia corpus Christi mysticum."[50]

Simili modo sermo est de capite respectu corporis moralis vel in relatione ad corpus mysticum. Conceptus capitis in relatione ad ecclesiologicam societatem vario et quidem duplici sensu sumi potest:[51]

a) Sensu metaphorico, translato, pure morali pro legitimo capite visibilis societatis. Tali sensu est rex, praeses caput regni, communitatis. Inter tale caput et societatem est tantum ligamen morale externum et non physicum. Hoc sensu est Romanus Pontifex caput Ecclesiae (utiquae non solum caput sensu morali, sed etiam ut instrumentum Christi capitis et doctoris fungitur).

b) Proprie, magis primario sensu, significat caput supernaturale, quod est in simili reali et interna unione cum supernaturali societate i. e. Ecclesia sicut caput naturale cum corpore humano. „Christus est ergo caput Ecclesiae non solum sensu translato, sed etiam sensu magis proprio... ita ut Ecclesia sit corpus Christi non quidem physicum nec solum morale, sed mysticum, medias partes tenens inter corpus physicum et morale."[52]

Ecclesia potest dici unum corpus morale in ordine supernaturali vel quod idem est, societas supernaturalis. Examinando ergo textum Akvilonovi videtur difficultatem solvi posse per distinctionem: corpus physicum, morale, mysticum vel aliis verbis: societas[53] naturalis, supernaturalis.

Ut dictum est, Akvilonov desiderium proposuit, immo necessitatem statuit exprimendi in definitione conceptus: Christus caput Ecclesiae. De insufficienti et infideli definitione in catechismo pravoslavo secundum eum adnotat iam archimandrita Pavel: „Christum esse caput Ecclesiae, hoc per verbum — societas divi-

50 Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 302.

51 Vide Grivec, Cerkev, pag. 89.

52 Grivec, Doctrina Byzantina de primatu et unitate Ecclesiae, pag. 67. — Adnotat cl. prof. (Cerkev, pag. 89) in nonnullis linguis etiam externam denominationem talem differentiam capitis physici et moralis alludere: poglavar, glava; Oberhaupt, Haupt.

53 Definitio societatis: „Coniunctio moralis et constans plurium in communem aliquem finem honestum suis actibus conspirantium."

nitus instituta[54] — expressum est, qua in re, mirum est, cum etiam auctor ipse consentiat simul obiciens definitionem omittere hunc conceptum. Adde, in catechismo[55] clare postea sermo fit de Christo capite Ecclesiae."[56] Deinde nominatus Pavel explicat non omnia in definitione poni, sed sufficere si substantialia dentur, ex quibus integra doctrina evolvi possit. „In catechismo ante omnia substantiale e conceptu Ecclesiae proponitur i. e. eam esse societatem hominum, deinde explicatur qualis sit haec societas, ... societas a Deo instituta ... cuius caput Christus. Auctor ea omnia omittit et sumit tantum verbum „societas", quod invenit insufficiens ad definiendam Ecclesiam."[57]

Minus contentus Akvilonov tali argumentatione iterum obicit.[58] Ex verbis „a Deo instituta est", non logice sequitur Christum esse caput Ecclesiae. Etiam familia, res publica, a Deo institutae sunt et Christus est caput eorum. Sicut dicit Scriptura: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt" (Rom. 13, 1). „Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus" (1 Cor. 11, 3).

Ex verbis „a Deo instituta", non stricte logice deduci Christum esse caput Ecclesiae, etiam nos concedimus. Utique si sumitur potius sensu oeconomiae salutis, Christus ut fundator Ecclesiae, instituit eam, ut redemptionem hominibus applicaret: implicite adest quidem in tali sensu. Tamen cum Akvilonovo consentiendum est, ut in definitione tamquam pars essentialis explicite nominetur: Christus caput Ecclesiae.

Loquens de Christo capite inter alia haec habet Akvilonov: Societates credentium etiam orthodoxae possunt esse plures, e. gr. ecclesiae nationales. Cuiusnam harum Christus est caput?

[54] Богоучреждённое.

[55] In quaestione catechismi: Quid significat credere in Ecclesiam? „ab eius unico aeterno capite Domino Jesu Christo gratiam dimanantem in ea adesse".

[56] Братское Слово 1894, II,стр. 559.

[57] Ibidem, pag. 559—560.

[58] Отвѣтъ о. архимандриту Парлу по поводу его „Краткихъ замѣчаній" на нашу книгу (Христіанское Чтеніе 1895, I, стр. 434).

Non potest uniuscuiusque caput esse separatim, nam unum corpus multi sumus.[59]

Respondemus eam solam Ecclesiam esse veram, de qua pleno sensu dici potest Christum esse eius caput.[60] Atqui id de sola Ecclesia catholica potest affirmari. Ergo, ipsa sola est vera Ecclesia Christi. Maior per se evidens est. Minor probatur:

a) Christus non potest dici caput nisi Ecclesiae, quae eum imitatur ut causam suam exemplarem i. e. Ecclesiae vere divino-humanae, theandricae. Sola Ecclesia catholica est vere et adaequate divino-humana, habet plenitudinem vitae supernaturalis et plenitudinem eorum omnium, quae a natura perfectae societatis humanae exiguntur. Societatum religiosarum, quae per se deficiunt ex parte organisationis socialis et firmo gubernio centrali orbatae sunt, Christus non est caput, quamvis singuli fideles talium coetuum illegitimorum per accidens gratiam Christi, capitis unius verae Ecclesiae accipere possint. Praeter Ecclesiam catholicam nullus coetus religiosus possidet pleroma theandricitatis; ergo Ecclesia catholica sola est Christi capitis et sola est vera.

b) Alio modo potest idem proponi. Ecclesia est Christi similis. In Christo fuit perfectissima oboedientia usque ad mortem, mortem autem crucis. Etiam in Ecclesia adesse debet, non per accidens, sed organice, ipsa constitutio in tota Ecclesia qua tali essentialiter cum oboedientia cohaerere debet. Secus non habet proprie loquendo Christum caput. In catholicismo omnia derivantur ex oboedientia, omnia eam praesupponunt. „In omnibus aliis religionibus oboedientia non adaequate determinat earum constitutionem."[61]

c) „Ea Ecclesia iure dici potest effective sub Christo capite vivens, in qua plenitudo potestatis huius capitis nullo modo limitatur vel ligatur. Atqui etiam hoc de sola Ecclesia catholica iure affirmatur. Revera omnes alii coetus religiosi christiani simpliciter denegant Christo potestatem gubernandi" dum infallibilem consensum fidelium vel experientiam internam introducunt. Talis

59 Церковь стр. 82—83.

60 Probationem dat prof. Tyszkiewicz (Praelectiones Theologiae Orientalis, pag. 54—58), cuius opus in sequentibus adhibemus.

61 Ibidem, pag. 56.

democratismus religiosus „est inconscia negatio plenitudinis potestatis Christi capitis. Sed sine hac plenitudine Christus iam simpliciter dici non potest caput Ecclesiae, quia talis limitatio repugnat ipsissimae essentiae dogmatis de Christo capite."[62]

Apud pravoslavos Russos multa sunt vera, sed non adaequate.

9. Per societatem non exprimitur *amplitudo* Ecclesiae (angeli, coniunctio cum Ecclesia caelesti).

Definitio: societas credentium, non est perfecta et exacta, quia vera Ecclesia etiam mortuos et angelos comprehendit. Nullum datur argumentum restringendi notionem Ecclesiae ad solam militantem.[63] Immo contrarium probatur: Expos. A.

a) Argumentum praecipuum ex Hebr. 12, 22—25; theologorum definitioni „societas" nullo modo correspondet amplitudo Ecclesiae, nam angeli et sancti nullam societatem cum hominibus faciunt.

b) Omnis perfectio vitae christianae pendet a coniunctione cum Ecclesia caelesti. Scribit enim Apostolus de perfecta iam existenti coniunctione, non de futura.[64] Omne membrum Ecclesiae est civis et terrestris et caelestis partis unius regni Christi, unius et indivisi eius corporis. Ex ista unione Ecclesiae visibilis et invisibilis oritur unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas — quonam pacto systema theologorum de parte Ecclesiae tantum, non de tota Ecclesia loquitur! — Ecclesia terrestris secundum Clementem Alexandrinum est solum reflexio[65] caelestis. Etiamsi aliquamdiu terrestris pars a caelesti divideretur, sequeretur scissio unitatis ecclesiasticae et sanctitatis, quia principium unitatis et sanctitatis idem est i. e. in Christo.[66]

c) Datur mutuus influxus et relatio necessarie existens inter utramque partem Ecclesiae.[67] Cum sancti caelum adipiscuntur, suam coniunctionem cum terra non dirumpunt, sed intrant cum

62 Ibidem, pag. 57.

63 Церковь, pag, 87—88, 94.

64 Hebr. 12, 22: Accessistis, *προσεληλύθατε*.

65 *Εἰκών;* Stromat. lib. IV, c. 8 (Migne P. G. 8, 1277).

66 Церковь, стр. 89.

67 Взаимообщеніе. Vide Церковь, стр. 90—91.

vivis membris partis terrestris Ecclesiae adhuc in arctiorem unionem quam prius, quippe quod eorum unio cum Christo in caelo plenior fit.

Non possumus de Ecclesia in terris loqui tamquam de aliquo integro independenti, nec licet e minus perfecta parte efformare definitionem de tota et perfecta Ecclesia. Loquentes de Ecclesia in terra ne momentum quidem debemus oblivisci eius originem caelestem.[68] Quod saepe obliviscuntur theologi. Propterea angelos et mortuos fratres Ecclesiae non adnumerant, habent perversam doctrinam de eius capite, ut est doctrina papistica. Alii multi errores exinde oriuntur. Nec propter finem dogmatico-scientificum hisce ex rationibus Ecclesiam dividere licet.

**Responsio** Certe adest apud Akvilonovum exaggeratio elementi caelestis et confussio Ecclesiae in fieri hisce in terris et Ecclesiae in esse, in regno caelorum. Inde patet monophysitismus ecclesiologicus dum elementum divinum, supernaturale magis praevalet et quasi absorbet humanum in Ecclesia.

Akvilonov obicit theologis eos subtilitate carere; nam aliquando Ecclesiam nominant tantum terrestrem, aliquando simul cum ea et caelestem. Auctor ipsam possibilitatem nominandi Ecclesiam solam terrestrem negat. Tantum abstracte nos posse de sola Ecclesia terrestri loqui. — Utique sensu latiori debet sumi Ecclesia tum militans, tum purgans et triumphans. Bene Akvilonov coniunctionem cum Ecclesia caelesti pertractat. Ex hoc tamen non sequitur nos non posse separatim de Ecclesia militanti loqui; nam tali sensu etiam a Domino nostro et apostolis et Patribus adhibetur.

Akvilonov proponit textus, ubi de Ecclesia sensu latiori Scriptura et Patres loquuntur, sed nos possumus adducere textus, ubi de sola Ecclesia terrestri[69] sermo fit, quamvis ipse neget. Sic e. gr. Christus nominat suam Ecclesiam militantem cum dicit: „Aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam" (Math. 16, 18). Triumphanti Ecclesiae verba haec applicari

[68] Церковь, стр. 94.

[69] Cf de his etiam articulum archimandritae Pavel: Братское Слово 1894, II, pag. 561—563.

non posse constat, nam illa in statu perfectissimo, indeflectibili versatur. Valent autem de Ecclesia militanti, quae est Ecclesiae pars hisce in terris. Ergo Christus ipse loguitur de sola terrestri, non sumit simul simpliciter Ecclesiam caelestem, nihilominus nominat hanc terrestrem *suam* Ecclesiam. Patet etiam: „aedificabo Ecclesiam meam": non sermo est de Angelis nec de mortuis, qui iam prius erant, nec tamen Ecclesiam constituebant; nam Christus tunc demum Ecclesiam constituit. Ergo loguitur de sola terrestri. Similiter nec ad Angelos nec ad mortuos in gratia pertinent verba: „portae inferi non praevalebunt adversus eam". Nam de his portae inferi nec cogitant nec curant.

Apostolus Paulus in epistola ad Corinthios Ecclesiam praedicat corpus Christi addens: „Omnes nos in unum corpus baptizati sumus" (1 Cor. 12, 13). Num et Angeli baptizantur? Ergo etiam Apostolus hic solam terrestrem Ecclesiam corpus Christi nominat. — In epistola ad Ephesios (5, 25) legimus: „Christus dilexit Ecclesiam et seipsum traditit pro ea." Ecclesiam ergo constituunt ii, pro quibus Christus seipsum tradidit in mortem crucis, quos redemit. Pro Angelis non est passus nec eos a peccato originali redemit.

Ad Timotheum scribit idem Paulus: „Haec tibi scribo, sperans me ad te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis" (I Tim. 3, 14—15). Etiam ibi terrestrem Novi Testamenti Ecclesiam Apostolus vocat Ecclesiam et domum Dei vivi, nam consilia discipulo suo dat, quomodo in Domo Dei vivere oporteat, i. e. vivere praesertim hisce in terris.

Tali modo Akvilonov obiciens theologis eos solam Eclesiam terrestrem vocare Ecclesiam, etiam contra ipsum apostolum Paulum et Sacram Scripturam stat. — Utique idem apostolus aliis in locis solam Ecclesiam caelestem Ecclesiam vocat, quod concedimus. De his tamen iam non agitur.

Quoad Patres adnotari debet maxime influxus Clementis Alexandrini, qui hunc mundum ut apparentem magis, splendorem tantum idearum aeternarum consideravit. In applicatione ad Ecclesiam, ut patet, minuitur momentum Ecclesiae terrestris visibilis vel saltem parvipenditur. Non quasi Patribus crimini verti possit

eos doctrinam falsam habere. Minime. Optime humanitatem Christi in lucem proferunt. Est tamen aliquod periculum in adhibendis Patribus primorum trium saeculorum, si sensu exclusivo eorum textus sumitur. Dum generatim certe externum visibilem aspectum Ecclesiae admittunt, tamen videtur nonnumquam praevalere sub actione Spiritus Sancti, vitae caritatis fidelium, activitas Ecclesiae potius sub unitate interna in variis membris organismi ecclesiastici considerata. Quin elementa iuridica et institutiones Ecclesiae negentur, videri potest Ecclesia qua societas perfecta non una poni cum elemento divino, sed ut quid secundarium apprehendi. Unde concludi possit elementum humanum in Ecclesia non essentiale esse sicuti divinum, si Patres platonizantes audiantur. — Adhuc una vice: Pulcherima est sententia nonnullorum Patrum ex platonismo derivata de vanitate huius mundi visibilis, nam onmia mundana caduca et fragilia revera censentur. Sed altera ex parte — quod nos potius hocce in labore inculcamur — non debet oblivioni dari instrumentalitas, essentialis ille aspectus Ecclesiae, visibilis organisata societas. Sicut humanitas Christi etiam Ecclesia sub tali aspectu consideranda est.

Ad b)

Akvilonov dat exegesim textus s. Pauli, ut supra explicatum est. Textus sonat: „Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis, et iudicem omnium Deum, et ad spiritus iustorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel."[70] Verum est, verba ea Paulum membris Ecclesiae adhuc in terra peregrinantibus dixisse. Jerusalem caelestis est Ecclesia una et in caelo et in terra. Contra Ecclesiam Antiqui Testamenti ponit vocem caelestis Jerusalem i. e. Ecclesiam Novi Testamenti.[71] Adnotat Franzelin ad hunc

[70] Hebr. 12, 22—24.

[71] Quoad exegesim ad hunc locum cf. Rohr Ignaz Dr., Der Hebräerbrief und die Geheime Offenbarung, Bonn 1932, pag. 56:

„Dem Erschütternden bei der Begründung des Alten wird das Erhebende und Anziehende des Neuen Bundes gegenüber gestellt mit dem himmlischen Berg Sion und der Gottesstadt Jerusalem . . ."

textum: „Jerusalem caelestis, ἐπουράνιος non sola illa in caelo est, sed est etiam Jerusalem spiritualis, supernaturalis, antitypa Ecclesia in terris comparate ad Jerusalem materialem, terrenam, typicam. Ita in comparatione cum synagoga typica Veteris Testamenti ea quae pertinent ad Ecclesiam Novi Testamenti, dicuntur caelestia *τὰ ἐπουράνια:* necesse est ergo exemplaria quidem *ὑποδείγματα* ectypa) caelestium his (sanguine hircorum et vitulorum) mundari; ipsa autem caelestia *(αὐτὰ δὲ τὰ ἐπουράνια)* melioribus hostiis quam istis: Hebr. 9, 25. Cf 8, 5. Eadem est oppositio Gal. 4, 25—26, inter Jerusalem quae nunc est et servit cum filiis suis, et inter Jerusalem liberam quae sursum est, quae est mater nostra."[72]

Ad c)

Akvilonov loquitur quasi de uno statu perfectionis, morali spirituali unione inter duos mundos, terrestrem et caelestem.[73] Multiplex relatio Ecclesiae terrestris ad Ecclesiam caelestem sine dubio interest. Scribit enim s. Augustinus: „Ecclesia tota hic accipienda est, non solum ex parte quae[74] peregrinatur in terris ..., verum etiam ex illa quae in caelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Haec in sanctis angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, quia utraque una erit consortio aeternitatis, et

Médebielle P. R., Épître aux Hébreux (in Louis Pirot, La Sainte Bible, tom. XII), Paris 1938, pag. 364—365:

„En regard de ce tableau de craint, qui résume tout l'A. T., voici le spectacle, de sainteté certes et de grandeur incomparable, mais aussi de bonté et de confiance, que nous offre le N. T ... Sion est une montagne: figure des fondements inébranlables sur lesquels repose le nouvel ordre des choses. C'est une cité, une société parfaitement organisée ... Pour bien marquer que tout cela doit s'entendre au sens spirituel, on ajoute qu'il s'agit de la Jérusalem céleste ... c'est au ciel que se réalise ce qu'exprimait de sainteté, de beauté et de bonheur pour les Hébreux le nom de Jérusalem ... Le terme céleste inclut l'Église militante, qui est d'en haut par son origine, sa nature et sa fin."

72 Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 15, adnot. 2.

73 Cf Světlov P., Неновое по поводу новой книгѣ (Странникъ 1896, III, pag. 178.)

74 Var. qua.

nunc una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum Deum."[75] Bonam explicationem huius textus dat P. Schultes:[76]

Ecclesia militans et triumphans sunt duae partes distinctae et diversae unius Ecclesiae, unius regni caelorum, unius civitatis Dei. Inde multiplex inter utramque relatio intercedit.

a) Utraque Ecclesia ad eundem finem ordinatur, scilicet ad colendum Deum et ad fruendum Deo.

b) Utraque Ecclesia una est in vinculo caritatis, sc. uniuntur in dilectione Dei et dilectione mutua.

c) Utraque Ecclesia communicat inter se: Ecclesia beatorum suae parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, tum per intercessionem apud Deum, tum per auxilium (Angeli custodes), tum per ministerium, praesertim angelorum, qui sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient salutis (Hebr. 1, 14); Ecclesia vero peregrinantium Ecclesiam beatorum veneratur atque invocat.

d) Ulterius Ecclesia militans ordinatur ad reparandam ruinam angelorum adeoque Ecclesiae caelestis. „Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt aequales angelis Dei (Luc. 20, 36). Ita superna Jerusalem, mater nostra, civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut[77] uberiore etiam copia fortasse regnabit."[78]

e) Quo sensu denique superna Jerusalem dicitur mater nostra vel Ecclesia primitivorum (Hebr. 12, 23) inquantum sc. Ecclesia militans numerum beatorum complet et auget.

Eadem dicenda sunt, servata proportione, de habitudine Ecclesiae militantis ad Ecclesiam purgantem.

(Continuabitur.)

[75] Enchiridion cap. 56 (Migne P. L. 40, 258s).

[76] Schultes, De Ecclesia catholica, pag. 753s.

[77] Var. sed.

[78] S. Augustinus, Enchiridion, cap. 29: In locum angelorum eiectorum succedit pars hominum reparata. (Migne P. L. 40, 246.)

# ORTHODOXI
# DISSIDENTES IN BOHEMIA ET MORAVIA

*Dr. Franciscus Cinek.*

Orthodoxi catholicae unitatis exsortes in Bohemia, Moravia et Silesia, nunc in ditione Protectoratus Bohemiae et Moraviae, numero quidem perpauci, fractiones tamen ecclesiasticas constituunt varietate mixtas. Ex variis nationibus proveniunt et etiam quoad iurisdictionem, cui subiciuntur, varie divisi sunt. Recens adhuc constitutio coetuum horum dissidentium, praeprimis inter s. d. neoorthodoxos, fata sua habet, attentione digna. Conatus orthodoxorum exterorum scissionem Ecclesiae dilatandi in territorio, ubi unioni restituendae tot desudatum est, haud pauca manifestant de methodo et mediis, quibus quidam ex Slavis separatis recentissime operam navant lamentabile discidium fulciendi et augendi. Simul condiciones religiosas inter Bohemos sub variis aspectibus minus notis elucidant. Cum origines et fata coetus orthodoxorum dissidentium in Bohemia et Moravia, quippe quae nondum sollerti pervestigatione perlustratae et pertractatae, abstrusiores atque ignotiores etiam apud peritos praeprimis apud exteros maxime orthodoxos remanserint, memoriam eorum excitare eo magis iuvabit, quo saepius in scriptis opiniones occurrunt, quae longe a vero aberrant.

Quantum ad nationis et iurisdictionis genus pertinet, orthodoxi in Bohemia et Moravia in diversas partes discedunt. Numero maxima est sectio, in quam **orthodoxi Russi** coniunguntur, qui numero ca 10.600 in Bohemia et Moravia degunt. Hi omnes iurisdictioni russicae Occidentalis obnoxii, prius metropolitae Eulogio, nunc metropolitae Serafini Berolinensis subsunt[1] et cura Sergii, episcopi russici orthodoxi, qui Pragae residet, administrantur. Horum rebus curandis duae paroeciae sunt institutae: una Pragae (pro orthodoxis Russis in Bohemia) ad aedes sacras S. Nicolai in foro Veteris Urbis, quibus aedibus cum iis, qui coetui religioso Cecoslovacorum nomen dederunt, coutuntur; altera Brunae (pro orthodoxis Russis in Moravia), ubi nullam propriam

[1] Decisione facta die 3. Novembris 1939 Berolini.

aedem sacram possident et ad res divinas faciendas in palaestram scholae cuiusdam conveniunt. Curae animarum Pragae archimandrites Isaakij et protoiereus Vasněcov, Brunae protoiereus Alex. Vaněk praesunt. Ad hosce Russos orthodoxos etiam mulieres nationis Russicae se adiungunt, quae militibus Bohemis tempore magni belli nupserunt et cum maritis, qui partim ipsi religionem orthodoxorum amplexi sunt, a. 1918 in rem publicam Č. S. venerunt (numerantur simul cum viris orthodoxis ca 1500).

Praeter Russos orthodoxi ex aliis nationibus provenientes in alias partes discedunt et plerique coetibus religiosis nationum suarum subiecti sunt: orthodoxi Serbi (numero ca 1059), velut mercatores, scholares, Serbae uxores Bohemorum in Bohemia et Moravia commorantes; orthodoxi Bulgari (numero ca 1100), praecipue scholares (maxime Brunae degentes), praeterea mellita bellaria vendentes, topiarii; denique orthodoxi Romeni, (numero ca 668, simili modo occupati) et ad aliquod tempus etiam orthodoxi Graeci (ca 50).

Qui ex Bohemis orthodoxae religioni addicti sunt, in duas sectiones discedunt:

1. Orthodoxi Bohemi, qui olim Philoslavjanorum partibus favebant, nunc, gravissimis motibus ac contentionibus sedatis, adhuc numero ad 150 remanent, iurisdictioni Constantinopolis subiciuntur et archiepiscopo Sawatij Pragae residenti oboediunt.

2. **Ecclesia orthodoxa Bohemica,** origine fractio, quae ab ecclesia Cecoslovaca secessit, iurisdictioni ecclesiae Serbicae obnoxia est et ca 7350 fideles consociat. Ecclesiae huic episcopus Gorazd praeest, Pragae residet et nunc in pago Řimice prope oppidum Litovel in Moravia commoratur. Huic sectioni orthodoxorum (cui nomen est, per magistratus approbatum, **„Ecclesiae orthodoxae Bohemicae“),** in terris olim rei publicae Č. S. ius religionem publice docendi et libros baptizatorum, matrimonio iunctorum, mortuorum ex officio digerendi concessum est. Labor tamen, quem episcopus Gorazd in omnes orthodoxos Bohemiae et Moraviae in hac sectione coniungendos impendebat, in irritum cecidit, cum imprimis orthodoxi Russi et episcopi Sawatij fideles acerrime restitissent.

Sic orthodoxi in Protectoratu Bohemiae et Moraviae numero

exigui in sectiones separatas discedunt, quarum quaedam infesissime opponuntur; praeprimis Russi orthodoxi et illi, qui archiepiscopi Sawatij partibus stant, vehementer neoorthodoxis episcopi Gorazd adversantur.[2] Quae dissidia aestimationem orthodoxorum in oculis Bohemorum non nihil conquassarunt.

Contra opiniones falsas circa orthodoxos in Bohemia et Moravia grassantes hoc primum inculcandum est: longe maiorem partem orthodoxorum constituere non Bohemos, sed Russos orthodoxos exules et alios Slavos orthodoxos extra fines propriae patriae degentes (numero ca 13.477, quibus adnumerandae sunt uxores russciae orthodoxae Bohemorum ex numero ca 1500); notandum est etiam ipsos Bohemos orthodoxos, quorum in summa septem vel octo milia sunt (ab ultimo censu numerus eorum valde diminutus est), vix millesimam partem omnium Bohemorum esse.

## QUI CONATUS ORTHODOXIAE IN BOHEMIAM INTRODUCENDAE CIRCA ANNUM 1870 APPARUERINT

Usque ad bellum mundanum terminatum et rem publicam Č. S. a. 1918 constitutam in terris Bohemiae, Moraviae, Silesiae nulla iure publico sancita religiosa vel ecclesiastica communitas orthodoxorum (velut paroecia, eparchia) reperiebatur. Erat quidem Pragae ab a. 1870 coetus perpaucorum Bohemorum orthodoxorum (primordio „circulus russicus" virorum orthodoxiae faventium), sed in hunc coetum formandum philoslavjanorum ideae nec non rationes nationales et politicae influxum habuerunt. Initiatores huius actionis, politici liberalismo obnoxii, hussitismo reviviscenti dediti maxime autem ideis philoslavjanismi imbuti, philorussismi et panslavismi ardore ferebantur.

2 Il est bien frappant avec quelle animosité le groupe des orthodoxes Russes se tient à l'écart de l'Église orthodoxe tchèque de Gorazd, à cause des tendences libérales et innovatrices au sein de la dernière. Les orthodoxes Russes ne veulent pas même que leurs enfants suivent les leçons de religion des prêtres orthodoxes du groupe de Gorazd. Ils préfèrent de laisser ses enfants sans instruction religieuse. La méfiance pénible entre les orthodoxes Russes et les „néo-orthodoxes" tchèques se fait ressentir aussi d'une autre façon.

Ex aversione erga catholicismum (partim directe ex oppositione erga concilium Vaticanum) pro apparenti bono politico et nationali orthodoxiae russicae favebant. Absque interna ac profundiore habitudine ad religionem orthoxam, cuius doctrinam secundum placita philoslavjanorum concipiebant, orthodoxiam sub aspectibus politicis et nationalibus amplectebantur. Hinc societas illorum radices non agebat et sedatis primis aestibus fervoris, omni vera activitate religiosa carens, nihil in vitam religiosam populi auctoritate valuit. Dum enim Bohemorum populus catholicus in Bohemia et praesertim in Moravia vi et auctoritate catholicae traditionis cyrillo-methodianae, quae etiam temporibus iniquissimis radices firmissimas retinuit, ad novam vitam religiosam reviviscit, dum cum gloria cultus ss. Cyrlli et Methodii renovati ardor et studium unionismi cyrillo-methodiani in sensu catholico concepti effervescit, studium nempe dissipatae familiae Slavicae in sinum unius Ecclesiae catholicae reducendae, cuius cordi nos ss. Apostoli nostri adiunxerunt — in hoc tempore manus illa politicorum, qui liberalismo addicti et nebulosis ideis philoslavjanorum nec non nationalibus politicisque somniis panslavorum mancipati neohussitismum propagabant diebus, quibus ipsum gubernium Austriacum liberalismo erat obnoxium — talium virorum manus repugnantia contra Ecclesiam catholicam ducta orthodoxiam cordibus Bohemorum immitendam curabat. Hi conatus fiebant tempore, quo in populo Bohemorum vinculis oppressionis liberato traditio catholica cyrillo-methodiana profundissime cordibus insita fervide excitabatur, quo idea cyrillo-methodiana arva Bohemorum, praecipue in Moravia, rore saluberrimo irrigabat, quo ss. Cyrilli et Methodii cultus renovatus novum vigorem augebat in populo catholico iniuste oppresso, cui iosephinismi tempora et postea legislatio febronianistica vitam religiosam obstringens damna gravissima intulerant. Sanctorum Cyrilli et Methodii exemplar, quod iugum iosephinismi oblivione obruit, nunc redintegratum ardorem pro Ecclesia promovebat in Bohemorum clero, qui olim violenter hereditate cyrillo-methodiana orbatus in institutis theologicis e potestate et autoritate Ecclesiae subtractis imbuebatur doctrinis, quae placitis rationalismi, febronianismi, ian-

senismi redundabant. Ex opere apostolorum Slavicorum profunde recognito mira illa vis scaturiebat, qua clerus catholicus iunior accensus novo exinde studio apostolico replebatur et Ecclesiae diu violenter subiugatae amore instaurato exardebat. Sanctorum Cyrilli et Methodii exemplar, qui oppressis et spretis Slavis sublevandis caritate vere catholica ducti se obtulerant, qui de Slavorum cultura christiana optime meriti erant, qui virtutibus fulgebant et munere a Providentia in familia Slavorum sibi commisso sanctissime functi erant, zelum atque ardorem innovatum in clero Bohemorum inflammabat et novum amorem erga Ecclesiam, cuius unitatem et catholicitatem ss. Apostoli tam strenue defendebant, in cordibus incendebat.[3] Clerus liberatus antiecclesiasticis febronianismi doctrinis, celerrime opus unionismi cyrillo-methodiani adimplendum capessebat, quippe qui in hoc munere adimplendo mandatum ss. Apostolorum Slavorum videret. Hinc effervescens ille cultus ss. Cyrilli et Methodii non solum culturae christianae inter Slavos auctorum, sed etiam unionis ecclesiasticae tutorum et patronorum. Hinc indefessus ille fervor et studium, quibuscum sacerdotes plurimi praesertim post Hereditatem ss. Cyrilli et Methodii a. 1850[4] in

[3] Sur l'influence que idée cyrillo-méthodienne ressuscitée exerçait sur le mouvement de renaissance spirituelle du clergé tchèque et sur son émancipation de l'idéologie iosephiniste, voir mes dissertations dans „Acta VII. Conventus Velehradensis a. 1936" Olomucii 1937, „Vis regeneratrix traditionis Cyrillomethodianae temporibus epocham Josephi II. subsequentibus", pg. 190-206. Voir aussi les nombreux documents dans mes ouvrages: K národnímu probuzení moravského dorostu kněžského 1778-1870. Olomouc 1934. - Velehrad víry. Olomouc 1936. Jednota Velehrad v olomouckém semináři 1869-1886. Brno 1937.

[4] L'Hérédité de S. Cyrille et Méthode (à l'origine, elle s'appellait „L'Union Nationale de Ss. Cyrille et Méthode" (fut fondée le 23 Août 1850 comme le centre de la renaissance catholique tchèque en esprit de l'idée cyrillo-méthodienne. Elle était présidée par Fr. Sušil, le celèbre héraut-interprète de l'idée cyrillo-méthodienne, maître et guide spirituel du clergé cyrillo-méthodien en Moravie, qui, à partir de 1837, ressuscitait, avec un succés extraordinaire, l'enthousiasme pour l'idée cyrillo-méthodienne aussi bien dans le grand-séminaire à Brno, oú il était professeur, qu'à Olomouc, où, sous son influence, le clergé a commencé de publier la revue „Cyrille et Méthode". L'action de Sušil était soutenue par un grand nombre d'hommes catholiques de lettres (B. M. Kulda, Matth. Procházka, K. Šmídek, Thom. Procházka, comte B.

Moravia fundatam naviter operam dabant, ut opera litteraria ederentur, quibus ideae unionismi cyrillo-methodiani modo ad populi sensum accomodato quam latissime divulgarentur. Hinc creberrima illa laboris communio cum viris, qui, velut Malinov S. J., Terleckij O. S. Bas., Prusinowski, Hereditati ss. Cyrilli et Methodii se adiunxerunt et plurimum curae et laboris in eo consumpserunt, ut idea unionismi inter Slavos dilataretur. Hunc denique illa cum celeberrimo episcopo Strossmayer et cum episcopo St. Mojses, ideae cyrillo-methodianae inter Slovacos eximio zelatore intima societas.[5]

Admirabili quadam vi in Moravia pia confraternitas orationis pro unione Slavorum dilatabatur, quae, „Bratovščina sv. Cirila in Metoda" nuncupata, ab Ant. M. Slomšek, Slovenorum episcopo, a. 1851 fundata est. Cuius confraternitatis exemplum imitans „Hereditas ss. Cyrilli et Methodii" in Moravia in statutis suis sacerdotibus officium missae sacrificii ad intentionem unionis offerendi imposuit (quotannis centena haec missarum sacrificia celebrabantur) et laicos, qui Hereditatis socii facti sunt, ad ferventes orationes pro unione fundendas hortabatur.

Eodem tempore, maxime illo ad memoriam insigni anno iubilaei cyrillo-methodiani 1863 (quo millesimum anniversarium adventus ss. Cyrilli et Methodi celebrabatur), Velehradium, cuius sacra auctoritas aetate iosephinismi funeste dilapsa atque exstincta erat, ad pristinum vigorem ac gloriam paulatim recreatur, dum ereptum splendorem muneris sui spiritualis recuperat, dignitatem custodis atque interpretis mandati cyrillo-

Sylva Tarouca, Ign. Wurm, Jean Bílý, Thom. Bečák, Jean Soukup, Vlad. Šťastný; en Bohême, c'étaient les prêtres V. Štulc, rédacteur de „Blahověst", Fr. Srdínko, le poète Fr. Pravda (Adalb. Hlinka), les directeurs de l'Hérédité de St. Jean etc.). L'activité de l'Hérédité de Ss. Cyrille et Méthode se portait à la publication des oeuvres populaires, à la propagation du culte de Ss. Cyrille et Méthode et de la connaissance de leur vie et de leur oeuvre; elle travaillait pour l'idée de l'union des églises avec la devise de „construire un pont vers les coeurs des frères Slaves séparés". - Voir les détails dans P. Em. Masák, Dějiny Dědictví sv. Cyrila a Methoda 1850-1930. Brno 1932.

[5] En dignité d'évêque de Báňská Bystrica, il propageait avec un zèle apostolique, l'idée de l'unionisme cyrillo-méthodien, particulièrement par la publication de la revue „Cyrille et Méthode", ressuscitée, après des années de suppression, en 1852.

methodiani, in qua olim constitutum erat, resarcit et rursum sedes ac centrum evadit, unde studium emanat, ut opus ss. Cyrilli et Methodii cum inter Bohemos tum in tota familia Slavorum perficiatur. Amor ss. Cyrilli et Methodii anno illo iubilaei accensus animos omnium Slavorum, etiam orthodoxorum, in se convertebat et inter catholicos Bohemos vehementer progressum maturabat, quo corda et mentes in spiritu ideae cyrillo-methodianae regenerabantur. Eo tempore plurimi libri edebantur (ut sanctorum vitae, scripta populo in spiritu cyrillo-methodiano et unionistico instruendo dicata, libri historiam illustrantes) et nova periodica ad iubilaeum celebrandum fundata sunt. Cum viris catholicis, e quacumque Slavorum gente provenientibus, societas inita laboris, ut idea cyrillo-methodiana dilataretur et unio Ecclesiarum restitueretur.

Corroborata est egregia familiaritas cum societate „L'oeuvre des écoles d'Orient" Parisiis et cum missionariis unionisticis Gagarin, Martinov, Balabin, qui ad iubilaeum anno 1863 celebrandum primum tomum collectionis Cyrillo-methodianae, „Trifolium Serbicum coronae ss. Cyrilli et Methodii inserendum seu breviarium vitarum patronorum Serbiae ss. Sabae, Simeonis et Simonis" Bruxellis anno anniversarii millenarii in lucem prodiderunt. „Trifolii" auctor Ioannes Martinov S. J. librum Francisco Sušil, praestantissimo cleri Moravorum duci ac magistro, dedicavit. Eodem tempore novae sodalitates fundabantur, quae curam conferebant, ut Velehradium in temporalibus indigentiis sublevaretur et eius gloria atque auctoritas fontis ac foci ideae unionisticae inter Slavos ampliaretur. E quarum sodalitatum numero nominentur: „Matrix Velehradensis", „Corona Thessalonicensis" (cui 305 sacerdotes non solum e Bohemia et Moravia, sed etiam e Slovachia, Croatia, Dalmatia nomen dederunt et quae a. 1864 socios habebat 1.200), „Unio mulierum et virginum Moravarum", „Unio s. Clementis" (restituta) et aliquot annis postea (1869) „Unio Velehrad", quae sectio fuit „Matricis Velehradensis" clero iuniori archidioeceseos Olomucensis instituta. Quasi certatim aedes sacrae exstruebantur et ss. Cyrillo et Methodio dicabantur (velut in Pragae parte, quae Karlín nuncupatur, ubi cardinalis Pragensis Schwarzenberg ecclesiam

die 18. Octobris 1863 consecravit praesentibus episcopis Bohemiae et clarissimo episcopo J. J. Strossmayer, quae occasio gloriosissima fuit ardoris cyrillo-methodiani manifestandi. Sacella et altaria innumerabilia ss. Cyrillo et Methodio devovenda erigebantur, ut nulla paene paroecia Bohemorum esset, quin statuam saltem aut effigiem ss. Cyrilli et Methodii vel crucem cyrillo-methodianam acquireret. Honorem ss. Cyrilli et Methodii iugi ac perenni fervore prosequendum praesertim libri orationum, officia religiosa et pia cantica, quae anno iubilaei per terras Bohemorum longe lateque diffundebantur, modo singulari iuvabant. Sescentae effigies et parvulae imagines, in quibus non raro orationes pretiosissimae pro unione fundendae inscribebantur, cultum ss. Cyrilli et Methodii in populo promovebant. Imprimis sodalitas „Bratovščina sv. Cirila in Metoda", quam confraternitatem orationis pro unione episcopus Slomšek fundavit, comendabatur (in Moravia a. 1863 in archidioecesi Olcmucensi plus 15.000, in dieoecesi Brunensi 11.946 socios habuit).

Praecipue in clero iuniore in Moravia catholica idea cyrillo-methodiana fermentum fuit, quod progressum regenerationis excitabat et maturabat (maxime secundo iubilaeo Velehradensi a. 1869 expleto, quo mortis s. Cyrilli anniversarium millesimum celebrabatur[6]).

Utrumque seminarium maius clericorum in Moravia centrum factum est, unde ardor ideae cyrillo-methodianae et unionismi dilatabatur, imprimis quando periodicum theologorum Olomucensium „Cyrillus et Methodius" a. 1868 edi coepit, quod proquae a Russis slavjanophilis et a politicis panslavis dimanat et

[6] Ce jubilé, comme celui de 1863, attirait les regards de tout le monde Slave, même des milieux orthodoxes, vers Velehrad. Les orthodoxes russes (Le comité slave de bienfaisance à Moscou) ont envoyé à Velehrad, aux solennités du 14 Février 1869, une copie „de la plus ancienne image de St. Cyrille et Méthode, trouvée en Russie", peinte sur bois, et une lampe d'argent. Ce cadeau était accompagné d'une lettre dédicatoire trés fervente: „Aux frères aimés Tchèques et Moraves, qu'ils se rejouissent! Vous, frères aimés, vous avez toujours tenu en grande vénération la mémoire de nos maîtres slaves St. Cyrille et Méthode... Or, nous vous envoyons (à l'occasion du jubilé de cette année), l'image de lui-même et de son frère Méthode,

pter capita, in quibus conspectum operis unionistici in omnibus terris Slavorum exantlati praebebat, optimis periodicis unionisticis tum apparentibus adnumerabatur. Eodem tempore in seminariis maioribus sacerdotes instituebantur, e quorum ordinibus postea maximi illi ideae cyrillo-methodianae zelatores, velut J. Vychodil, dr. A. C. Stojan (qui deinceps „Apostolatum unionis ss. Cyrilli et Methodii" fundavit et Congressus unionisticos in Velehrad convocandos curavit), dr. Schneider, dr. Snopek etc. prodierunt, quorum labore factum est, ut Bohemi catholici summis temporum difficultatibus superatis primum locum in unionismo cyrillo-methodiano in populum diffundendo obtinerent.

Idea cyrillo-methodiana exinde vigorem vitae religiosae inter Bohemos catholicos vehementer redintegrat. Temporibus iniquissimis idea cyrillo-methodiana asperrimis angustiis rerum politicarum et nationalium obiecta (Bohemi tum gravissime pro iure nationali decertant simulque favente liberali legislatione austriaca terrae Bohemorum liberalismi fluctibus acrius iactantur) tamen interna vitae catholicae vincula solvens atque abiciens fit quasi fermentum saluberrimum, quod progressum spiritualis vitae regenerandae instaurat atque immaturat.

Et eo ipso tempore, quo catholica traditio cyrillo-methodiana radicibus in ipsas origines christianismi Bohemici immissis hosce fructus fortunatissimos in populo Bohemico profert, tempore, quo vi et auctoritate unionismi cyrillo-methodiani in catholico populo Bohemico ardor ac studium verae communionis Eclesiarum, unionis scilicet Slavorum in spiritu catholico restituendae, resuscitatur et corroboratur, eo ipso tempore Pragae a politicis quibusdam liberalibus, slavjanophilis et russophilis, conatus fiunt, ut orthodoxia in Bohemiam introducatur.

Huius novae motionis fons in panslavismo politico quaeren-

vénérés chez vous, pour l'église de Velehrad. Nous vous prions d'allumer la lampe ci-jointe devant elle. Que ce petit cadeau témoigne notre amitié fervente vers vous et qu'il soit un otage des temps meilleurs et plus celèbres pour tout le monde slave."

L'image et la lampe ont été exposés avec la permission de l'archevêque d'Olomouc Fürstenberg à Cyrilka, la chapelle mémorable près de la basilique de Velehrad.

dus est, in quem quidam ab a. 1848 (a I. congressu Slavorum Pragae habito[7]) mente et animo toti insistebant.

Congressus Slavorum Pragae habitus fructus perpaucos attulit. Unaquaeque natio slavica suam ipsius causam commendabat, suas indigentias exponebat. Ex iis, quae in congressu sancita erant, nihil fere opere perfectum est. Erant tamen — inter quosdam Bohemos — quibus congressus fidem atque auctori-

[7] Primo congressui Slavorum, die 2. m. Iunii 1848 Pragae inaugurato, propositum est, ut omnia paranda curaret, quibus Slavorum futura in rebus gerendis societas et communitas inniti posset. Congressus quidem panslavicus est nominatus, perperam vero, cum maxima natio Slavorum, Russi scilicet, congressus socii non essent facti. (Venit Mich. Bacunin, Russus, vir seditiosus et turbulentus, non tamen Russiae nomine congressui interfuit. Qui e viris doctis Russorum invitati sunt, ut Pragam venirent, adversissimis rebus tempore Nicolai I. imperatoris impediti sunt, quo minus congressus fierent participes.) Austriae Slavi omnes miserunt viros delectos, qui congressui socii fierent; Slavi exteri in hospitum numero sunt positi. Socii congressus 340 fuerunt et in tres sectiones dividebantur: jugoslavam (42 socii), polonico-russinicam (61 socii), bohemo-slovacicam (237 socii). Palacký, historicus clarissimus, congresssus praeses est electus. Piis orationibus in catholicorum aedibus sacris B. Mariae Virginis (před Týnem) in foro Veteris Urbis ante memorabilem statuam ss. Cyrilli et Methodii (cuius auctor fuit E. Max, Bohemus, et cuius exemplum Velehradii a. 1854 est erectum) die 2. m. Iunii a. 1848 congressus inauguratus est. Tempore congressus nulla dissidiorum in rebus religionis ansa occurrebat: congressus catholicorum sacris peractis est inauguratus, et, ut orthodoxorum sociorum ratio haberetur, dominica die 4. m. Iunii Paulus Stamatovič, orthodoxus protoiereus Serbicus, ritu orientalis Ecclesiae liturgiam celebrabat ad statuam s. Venceslai in „Emporio equorum" (quod postea forum s. Venceslai nuncupatum est), eodem loco, ubi antea die 19. m. Martii archiepiscopus Pragensis A. Jos. Schrenk immensa multitudine praesente missae solemnia peragebat, priusquam „Collegium s. Venceslai" cum votis nomine nationis Bohemorum Ferdinando imperatori porrigendis abiret. Protoiereus Stamatovič in oratione, quam habuit, voluntatem Omnipotentis laudibus efferens, qui Slavorum familiam ad vitam novam suscitavit, praesentes Slavos ad concordiam exhortabatur, quippe quae fundamentum esset omnium rerum, quae Slavos manerent, et Deum orabat, ut fratres Slavos illuminaret et ad opus illustre perficiendum perduceret. Seditio, quam homines turbulenti concitaverunt, die 12. m. Iunii 1848 congressus laboribus finem imposuit. (Uberiora vide in libro: Tužimský, Na úsvitě. (1848-1903) Praha 1931.) - Historiam congressus critice elucubratam vide in libro: Milan Prelog, Pouť Slovanů do Moskvy r. 1867 (in linguam bohemicam vertit Mil. Paulová). Praha 1931.

tatem Slavorum magnitudinis et roboris afferebat. Multum vero aberat, ut Slavi in rerum publicarum rationibus tractandis inter se opem ferrent, prout congressus desideravisset; talis societas et communio pium desiderium remansit. Etsi Pragae Malorussi cum Polonis reconciliari videbantur, tamen vix domum redierant, iterum invidiae et contentiones inter eos redintegratae sunt. Cognitum est unamquamque nationem Slavorum imprimis suae ipsius causae stare. Ceterum Austriae Slavi austroslavismo dediti manserunt et Austriam in seditiosis Ungaris in potestatem redigendis adiuvabant. Ut tamen ea, quae cum fide praestitissent, sibi retribuerentur, efficere nequiverunt et mox spe frustrati sunt. Ex quo omnia a Bach per absolutismum regebantur, studium communitatis inter Slavos colendae fere evanuit. Singulae Slavorum gentes vix nationis vitam servare poterant.

Etsi rerum eventibus sat probatum vim et magnitudinem Slavorum nullam prorsus esse sub angustiis conditionum politicarum, tamen non deerant inter Bohemos quidam politici liberales, qui panslavismo inhaerebant. In viros illos plurimum auctoritate valebant philoslavjanorum ideae, quarum auctores et propugnatores cum politicis liberalibus Pragensibus familiaritate coniuncti erant. Philoslavjani, laici, orthodoxiam Russorum, quasi purissima species religionis christianae esset, plus aequo aestimantes et idealizantes summo loco ponebant pariter ac romanticorum vestigia prementes et Russiae historiam idealizantes munus sublimissimum Russis tribuebant, utpote vocatis, qui putridum Occidentem renovarent et genus humanum per eximios christianorum ordines bearent. Odium, quo philoslavjani ecclesiam catholicam prosequebantur, et modus, quo orthodoxiam intelligebant, effecerunt, ut liberales Bohemi, qui positivo christianismo alieni, spiritu hussitismi imbuti et ecclesiae catholicae infensissimi erant, orthodoxiae favere inciperent. Philoslavjani ore sui pricipalis ducis A. S. Chomjakov (1804—1860), „Russorum magistri ecclesiastici", pronuntiabant Ecclesiam non esse societatem iuridicam et hierarchicam, sed spiritualem; non societatem visibilem, sed vinculum spirituale, quo fideles tamquam fratres iungerentur; non auctoritate et subiectione, sed fraternitate, libertate, amore inniti. Praedicabant fideles non

esse Ecclesiae subiectos, sed omnes inter se fratres; Ecclesiam esse solummodo societatem mysticam, invisibilem, organismum veritatis, gratiae, amoris, libertatem in unitate et unitatem in libertate, synthesim unitatis et libertatis in amore. Criterium et subiectum orthodoxiae esse consensum fidelium. Ecclesiae organismum non hierarchia et iure, sed fraternitate et amore fundari. In Ecclesia nullum esse vivum et infallibile magisterium; Ecclesiam non posse nec debere condemnare, debere vero varias opiniones tolerare. Ecclesiae catholicae exprobrabant, ipsam notionem christianitatis et ecclesiae violenter corrupisse; fidem spiritus et libertatis lorica materialistici et violentis iuris Romani et aridae scholasticae saepsisse; principium ethicae cum iure commutavisse; Christum in catenis formalismi iuridici et racionalismi scholastici vinctum ostentavisse.

Etiam quod ad historiam pertinet, a vero deflectebant. Ecclesiae catholicae et culturae occidentalis historiam planissime explicantes umbras quidem, quae semper inveniuntur, ubicumque homines in rebus gerendis participes sunt, in medium proferebant, attamen in iis, quae forte non ex omni parte perfecta erant, defectum exaggerabant; quae in aliquo genere reprehendenda reperiebant, in aliud genus transferebant, immo in universum extendebant; quae obiter acciderant, ipsi rerum naturae tribuebant et causam ab ipsis principiis reiciendam affirmabant. Russorum vero orthodoxiam specie et dignitate eximia, quam ipsi meditando sunt machinati, ornantes ostentabant, cum rerum condiciones et rationes veras silentio involverent. Chomjakov Russicae ecclesiae libertatem et amorem laudibus efferebat eo ipso tempore, quo suis libris edendis in Occidente, quem violentiae arguebat, locum ac copiam quaerebat, quae ei in Russia largita non erant (memoria dignum est primam editionem librorum Chomjakovii in Bohemia prelo editam esse).[8] Ne fateri cogerentur ideas suas rebus similiter adversari ac suam Ecclesiae notionem theologiae Orientali repugnare, philoslavja-

[8] Spisy Chomjakovovy, nejosvícenějšího církevního učitele XIX. stol. Z jazyka ruského přeloženo. Vydal Josef Vojtek v Přerově 1895. O povaze hlavních křesťanských vyznání (Kratičký výtah ze spisů A. S. Chomjakova.) Podává N. B. Soluňský, Přerov 1896.

ni ad verborum lepores, ad commentationes vibrantes et contortas refugiebant.[9]

Quae omnia non obstabant, quo minus philoslavjanorum opiniones ad temporum motus et varietates explicarentur atque evolverentur. Initio quidem philoslavjani panslavismum politicum, utpote orhtodoxiae et autocratiae (samoděržaviae) periculosum reiciebant;[10] mortuo tamen Nicolao I. ac rei publicae et societatis conditionibus ab Alexandro II. instauratis, plurimi philoslavjanorum ad panslavismi vel panrussismi partes sensim transibant. Paulatim fere omnes philoslavjani, maxime post Polonorum seditionem a. 1863 exortam, pedetentim ideis politicis sunt infecti.

Hoc iam antehac condicionibus politicis praeparabatur. Modus, quo Austria, quam Nicolaus I. imperator servandam curabat, tempore belli propter Chersonesi causam conflagrati res gerebat, molestissime a Russis ferebatur, utpote ingrati animi speciem praeberet. Russi non ignorabant Austriae Slavos non nihil Russiae res ac rationes adiuvaturos fuisse, si eorum causis Russi magis studerent. Dum relationes inter Russiam et Austriam refrigescunt, Austriae Slavis Russi magis ac magis animum advertunt. Quo rerum statu usi sunt philoslavjani. Anno 1857 Moscoviae societas fundata et a. 1858 a magistratibus approbata est, cui nomen erat **„Slavjanskoje blagotvoritelnoje obščestvo"** et cui propositum est, ut Slavis (initio maxime in terris Balcanorum) in temporalibus et moralibus indigentiis sublevandis incumberet. Quae societas sectioni Asiacae in ministerio rerum exterrarum subiecta est. Inter viros, qui societatem fundaverant, fuerunt imprimis Chomjakov, fratres Aksakov, Samarin, praeterea

9 Vide opera Chomjakov translata in linguam bohemicam (supra); F. Grivec, Pravoslaví (transl. a Martino Chudoba), Kroměříž 1921, p. 44 et seq.; T. G. Masaryk, Zur russischen Geschichts- und Religionsphilosophie, Jena 1913, I. 209-292.

10 Tempore Nicolai I. nihil factum est, quod in rebus gerendis rationes Slavorum consulto promoveret. Quae in Osmania acciderunt, rationibus potius religiosis Russicae autocratiae regebantur, quae protectrix orthodoxiae et esse et videri voluit. Ivan Aksakov a magistratu interrogatus a. 1849 affirmavit et per litteras imperatori Nicolao nuntiandum mandavit panslavismum cum orthodoxiae tum autocratiae periculosissimum esse. Vide M. Prelog l. c. 3.

Uvarov, qui antea ministerio scholis regendis dicato praefuit, Pogodin, Katkov, Majkov, Solovjev, Bachmetev. Primus praeses societatis Machmetev erat, et mortuo a. 1861 Pogodin in munere successit. Societas quotannis stipendia non minima a gubernio accipiebat. Societatis res et rationes maxime per Ivan Aksakov, qui in periodico „Den" causam societatis divulgabat, agebantur.[11]

Instaurationibus, quae initio imperii Alexandri II. in re publica et in socialibus institutionibus effectae sunt, studium promovebatur, ut cum Slavis exteris communio iungeretur.[12] Imprimis conatus fiebant, ut res Polonorum in melius verterentur. Omnia in Russia optime parata videbantur, ut Slavorum res et rationes proveherentur, cum seditio Polonorum a. 1863 omnia immutavisset et progressum maturasset, quo philoslavjani ad ideas politicas traducerentur.[13] Iis Polonis, qui e patria sunt profecti, contigit, ut in Europa occidentali mentes moverent ad ea animadvertenda, quae in Polonia agerentur. Litterae (Notae), quae a guberniis Europae occidentalis ad Polonorum causam iuvandam Russorum gubernio sunt missae, quippe quae Russos offendere viderentur, animos omnium in Russia excitabant, ut rei publicae defendendae consulerent. Inter viros patriae amantes opinio grassabatur Russiam in suis rebus ac rationibus cum intra tum extra fines prosequendis solius nationis studio regi debere; qua de caua autocratiam et orthodoxiam esse protegendam, subiectos vi et auctoritate regendos. Qui maxime hasce opiniones dilatabat, Katkov fuit, qui „Moskovskija Vjadomosti" edebat;[14] Russicam rem publicam compactam et coagmentatam fieri debere affirmabat, cuius lex suprema nationis Russicae salus esset; nationem Russicam communi lingua et communi religione inniti debere. Tales opiniones imprimis Ivan Aksakov et

[11] Alfr. Fischel, Der Panslavismus bis zum Weltkrieg, Stuttgart-Berlin 1919, 368 et seq.

[12] Prelog l. c. 5.

[13] Josef Perwolf, Vývin idey vzájemnosti u národů slovanských, Praha 1867, 66-68.

[14] Vide Jaroslav Bidlo, Dějiny Ruska v devatenáctém století, II. (1865-1894). Praha 1908, pag. 64 et seq.

Samarin fervide probabant, dum acerbissime in Polonos invehunt, quos fraternitatis Slavorum proditores clamitabant; quo modo tamen de Polonis disceptatio enonanda esset, quo modo „latinismus", quo ducti Poloni suam ipsorum fidem fregissent, funditus evertendus esset, quo modo Polonorum mentes lumine Slavicae orthodoxiae reformandae essent[15] — in talibus quaestionibus solvendis philoslavjani non nihil dissentiebant. Nihilo tamen secius viri illi auctoritate et vi, quam in opinionem populi habebant, nemini cedebant.

Cum Russi in Polonis pacandis crudelius rem gessisent, Poloni, qui patriam reliquerant, Russos acerbissimis opprobriis afficiendo effecerunt, ut omnes, qui in Occidente ideis liberalismi et democratiae studerent, contra Russos incitarentur et Russi omni auctoritate et aestimatione destituerentur. Hoc ipso tempore viri docti in Russia, maxime illi, qui in philoslavjanorum et panslavorum numero ponebantur, conatus faciebant, ut inter Slavos rerum gerendarum societas et communio constitueretur.

Erant, qui ad Slavos Europae occidentalis et meridionalis abirent, ut panslavismi ideam diffundendam curarent, velut Lamanskij, Hilferding, Lavrovskij, Popov, Ivan Aksakov. Tum etiam Bohemi fluctibus panslavismi philoslavjanorum affecti sunt, cum Pogodin, Katkov, Aksakov et alii familiaritatem cum viris doctis et politicis Bohemis iunxerunt. Maxime Mich. Fed. Rajevski, protoiereus in legatione Russica Vindobonae, panslavismi propugnator strenuissimus, plurimum auctoritate in Bohemorum animos valebat.

Philoslavjani munus Russiae in Slavis illuminandis tum ardenter laudibus efferebant. Katkov in „Moskevskija Vjadomosti" scripsit (1866), si Galli nationes neolatinas regenerandas curarent et Borussi eodem munere in Germania fungerentur, cur Russi nationes Slavorum adiuvare eorumque nationalem et politicam oppressionem prohibere non deberent? Principium nationalismi sic victoriam esse reportaturum et Europam recentem

[15] Philoslavjani Polonis infensissimi erant, quia Poloni catholicam religionem amplexi sunt. Samarin (anticatholicus philosophus) scripsit Poloniam pugionem stillantem veneno esse, quam Occidens cordi Slavorum infixit. T. G. Masaryk, Russland und Europa, Jena 1913, I., 251.

fundamentum firmissimum obtenturam. Hoc esse munus Russiae, munus pulcherrimum, omni egoismo expers, Russia eiusque magnitudine dignissimum. Sanctam Russiam hoc munus expleturam.

Similiter etiam Aksakov in periodico „Den" iteratim mentibus inculcabat nationi Russorum, qae sola Dei gratia libertatem servavisset, a Deo mandatum sublimissum tributum esse, ut fratres oppressos liberandos et regenerandos curaret. Russorum consilium non esse, ut fratres in suam ipsorum potestatem redigerent, sed ut Slavi libertatem spiritus et liberam vitam servantes fraternitatis fidem integre praestarent. Russiam ipsam fratribus moralem et politicam opem ferre et sine Russia nullam esse Slavorum salutem. Idem — uti Pogodin — scripserat a Polonis[16] intellectum iri, cum nobilium et cleri opprimentem vim et auctoritatem fregissent et cum in Polonia nova, cuius coloni et oppidani liberati essent, vita nova inchoata et historia nova in communione cum Russis inaugurata esset: Polonorum nobiles, qui illo tempore viverent, similiter ac Iudaeos, qui ex Aegypto profecti essent, mori debere. Nationem Polonorum natura in numerum optimarum et maximo ingenio praeditarum nationum Slavicarum referri et in loco primorum sociorum communitatis Slavorum, quod dulce esset somnium Slavicae adolescentiae, reponi.

Haec est paene summa idearum, quae a philoslavjanis Russis Pragam sunt allatae ibique divulgatae. In Bohemia pariter ac in ceteris nationibus Slavicis Polonorum quaestio causa fuit, cur dissensiones orirentur et cur alii aliis partibus se adiungerentur. Eadem Polonorum quaestio non nihil ansam dedit, cur Bohemi ad rem publicam accedentes in duas factiones, discederent, in partem Veterobohemorum (Staročeši) et partem Neobohemorum (Mladočeši). Qui e civibus rebus novis minus favebant, ducibus Palacký et Brauner, Russorum partes contra Polonos sunt secuti. Neobohemi liberales vero, qui per periodicum „Národní listy" causam in medium proferebant, cum Polonis steterunt ac senserunt. Rerum tamen eventu, maxime post dualismum a. 1867 sancitum, quo via rei publicae Austriacae modo foederalistico constituendae praeclusa ac praecisa est, factum est, ut Neobohemi, omni spe ac exspectatione deiecti magis sobrie de Polo-

16 M. P. Pogodin, Polskij Vopros. Moskva 1867, p. 6 et seq

norum rebus iudicarent, praesertim cum ipsi Poloni Austriaci salutem reliquorum Austriae Slavorum nullius aestimantes suam ipsorum causam curae sibi esse probassent.[17] Hae prope fuerunt rerum in Bohemia condiciones, cum Bohemi a. 1867 invitati sunt, ut ad expositionem ethnographicam, quam panslavi Russi congressui omnium Slavorum iungendam in animo volvebant, Moscoviae habendam venirent. Temporum rationibus est effectum, ut in quaestione solvenda, utrum congressui interesse idoneum esset necne, Neobohemi cum Veterobohemis idem sentirent. „Národní Listy", quod diarium a fratribus dr. E. Grégr et dr. Iul. Grégr, Neobohemis, regebatur, sententiae, ut Bohemi congressui participes fierent, in vulgus propagandae tota opera incumbebat. Dr. Iul. Grégr dissidia inter Bohemos postponens se Moscoviam simul cum Veterobohemis ducibus iturum promisit. Multum operae consumptum est, ut congressus causa latissime in vulgus proferretur, quamvis clerus catholicorum et nobiles obstitissent. Quidam ex Neobohemis, praecipue Iul. Grégr, dum Bohemis in congressu praesentibus opportunissimum tempus fore ad Bohemorum causam manifestandam et ea improbanda, quae in Austria contra Slavos gesta essent, affirmant, nomen clarissimum sunt consecuti et prae ceteris summam auctoritatem collegerunt. „Národní noviny", diarium Neobohemorum, non dissimulabat iter Moscovianum maxime idoneum futurum ad rationes politicas in medium proferendas; scribebatur enim in dario illo (N. N. 1867, n. 11): „Non sumus dissimulaturi expositionem Moscoviae habendam nobis, qui non merae philologiae vel ethnographiae causa eo ibimus, verum et magnum in rebus politicis momentum afferre. Huius momenti nos auctores non sumus, verum tamen illi soli, qui propter hoc ipsum momentum maxime ira excandescunt. Ii, qui in Austria dualismum inauguraverunt, qui coronae Bohemicae libertatem et simul Bohemorum nationem in discrimen iniciunt, ii inquam simplicem ethnographicam expositionem in congressum Slavorum, cuius momentum politicum negari nequit, mutaverunt...

Slavi ex omnibus terris non eo consilio Moscoviam ibunt, ut

[17] Dr. Karel Kazbunda, *Pout Čechů do Moskvy 1867 a rakouská diplomacie*, Praha 1924, p. 36.

cum longinquissima Orientis re publica teneris amorum nugis delectentur, sed ut nationi sanguine et genere propinquissimae salutem dicant et fundamentum omnium Slavorum societatis ac communionis sternant, societatis, quae maxime „Austriae Slavis protegendis et nationi eorum promovendae destinetur."

Rieger[18] asseverabat Bohemos Moscoviam ituros non ut coniurationem conflarent, sed ut, quae sentirent, ostenderent. Russis quidem sincere atque aperte mentem, quam de Slavorum societate haberent, aperturos, sed etiam sua desideria et vota explicaturos. In conspectu Russorum et mundi explanaturos ea, quae in Austria agenda vellent, iusta esse et legitima et historico iure regni Bohemiae innixa. Bohemos non esse homines seditiosos, qui rem publicam opprimendam satagerent... Satis causae facturos, si Austriam monuissent, ut ad mentem sanam rediret. Praeterea etiam cleri catholici rationem habituros, qui orthodoxiae adversaretur, sed auxilium praestiturus esset, dum crederet iter Moscovianum non ideo fieri, ut patria proderetur, sed ut animus ostenderetur, quem novi status taederet et qui rebus praesentibus obsisteret. Nobiles non Moscoviam ituros, sed itineri faciendo non obstaturos, dummodo intelligerunt, quae itineri illi proposita essent. (Continuatio.)

# IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

*Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C.Ss.R.*

Continuatio.

§ 2. Quodsi nunc ius matrimoniale Byzantino-Slavum *cum iure matrimoniali Byzantino-Graeco,* prout in collectionibus usitatis continetur, comparemus, paucae differentiae apparent: Ita Harmenopulos ab Episcopis Graecis fere exclusive usitatus concordat cum Blastari excepto impedimento affinitatis ex tribus generibus,

[18] J. Holeček, U Skrejčovského, Zlatá Praha 1920, 71 et seq. - Vide Vzpomínky prof. dr. J. Palackého na pouť do Moskvy 1867 (Národní Politika 1906, č. 38), Karel Matuš, Paměti, Praha 1921, p. 61 seq., Prelog l. c. p. 37.

quod tantum usque ad tertium gradum valere vult[604] et cognatione spirituali sive ex baptismo sive ex adoptione in filium, quam decise extendi usque ad gradum septimum declarat, excepta.[605] Etiam impedimentum adulterii aliquantulum modificat: Ut enim impedimentum oriatur, non est necessarium, ut mulier adulterii condemnetur. „Si de adulterio condemnatus eam duxerim, licet ipsa damnata non sit, nuptiae tamen haud consistunt."[606] Imo „adulterii reus, etiamsi non aperte convictus sit, tamen uxorem ducere nequit, ob quam accusatus fuit, ne praecedentem confirmet accusationem".[607] Quid vero sit adulterium et qui ad accusandum habilis sit, Harmenopulos in libro VI. titulo II. indicat: „Adulterium vocatur abusive quidem et virginis et viduae corruptio; proprie autem maritatae. Adulterium etiam de viro dicitur, quando enim vir uxorem habens in alia peccet, adulterium vocatur. Hoc igitur adulterium, quod ad virum neque uxor ipsius neque aliena ut delictum in judicio accusare potest... sed marito (adulteratae) crimen permissum est deferre aut ipsius propinquis personis, avo scilicet et patri, fratri, patruo, avunculo. Constante matrimonio nemo alius praeter maritum uxorem accusare potest, nisi prius virum ut lenonem accusaverit. Mulier agere non potest, nec si ipsa in se peccatum esse dicat... viginti quinque annis minor adulterii crimen de alieno matrimonio deferre non potest, nisi qui nuptam habet. De adulterio actio intra quinquennium instituitur."[608]

Exacta iuris scripti Byzantino-Graeci indagatio in hac epocha impossibilis est. Etenim per totam dominationem Ottomanam gubernium Turcarum nullam Graecis officinam typographicam permisit, idcirco manualia iuris ecclesiastici non erant nisi manuscripta; numerosa quidem, sed erroribus et divergentiis quandoque sat notabilibus plena.[609] Nemo hucusque ausus est scientifico subiicere examini illas versiones compilationum et recompilationum Constantini Harmenopuli, Mathaei Blastaris, Manuelis Malaxi. Unicus Zachariae von Lingenthal explorationes scientificas in hoc campo incoeperat.[610] Secundum cl. auctorem numquam in Bulgaria usitatae esse videntur versiones Nomocanonis Manuelis Malaxi, quae potius in Peloponneso hierarchis inserviebant.

Cui anarchiae finem typis impressus „Liber directionis" Grae-

cus, Pedalion appellatus, imponere debuit. Prima editio eiusdem facta est Lipsiae a. 1800. Attamen iam anno 1802 ipse Patriarcha Neophytos, qui editionem faciendam permisit, per litteras circulares omnes Episcopos monuit, ut caute libro uterentur, quia multa spuria in ipsos sacros canones irrepsissent.[611] Antequam vero secunda emendata editio Atheniensis anni 1841 in iurisprudentia obtinere potuit, hierarchia Graeca ex Bulgaria expulsa est.[612]

Proinde unicus fons securior et utilior, ex quo praxim iuris ecclesiastici huius epochae cognoscimus, est *ius consuetudinarium* necnon manualia practica mox post liberationem, sed ante promulgationem novi Exarchijskij Ustav edita, i. e. manuale S. Kalpazenov „Synopsis liturgiae Ecclesiae orthodoxae" a. 1876 et „Practicum manuale de matrimonio" a Io. Genadiev (Plovdiv 1878); pro impedimentis matrimonialibus dein schema (hucusque ineditum), quod ubique diffusum et usitatum est, saltem inde a saec. XIX.[613]

## Articulus II.

### *Evolutio iuris matrimonialis consuetudinarii.*

Absque exaggerationis periculo affirmari potest nationem Bulgaricam numquam fere tempus habuisse, ut principiis christianis revera usque ad intimas animas penetraretur. Statim ac hodiernam patriam Bulgari occupaverunt, multi haeretici ad suam phalangem eosdem adducere conati sunt. Mox post officialem conversionem Bogomilismus grassari coepit, qui sive ut alia haereseos Manichaeoroum metamorphosis sive ut factio politica concipitur, semper christianisationem populi eiusque morum (praesertim quoad matrimonium) valde impediebat.

Bogomilismo confutato (saeculo XV), hierarchia Phanariotica, quae paucam curam de populi sanctificatione gesserat omnes fere metropoles eparchiasve occupavit. Clerus dein inferior haud sufficienter eruditus ac principaliter curis propriae familiae sustendae praeoccupatus in animas populi religionem christianam ne potuit quidem infundere.[614]

Inde intelligi iam potest, cur populus Bulgaricus agricola tan-

tas superstitiones, aut potius totam mythologiam paganam, conservare potuerit et cur illam cum dogmatibus christianis miscuerit.[615]

Inde etiam intelligitur, cur consuetudines matrimoniales Bulgarorum tantos characteres paganitatis adhuc sub dominatione Ottomana prae se ferant. Nihilosecius inde a saeculo XVI intensiva iuris consuetudinarii christianisatio incipit. Paulatim ipsa de matrimonii iuridica natura notio transformatur. Vinculum matrimoniale iuxta ipsius populi aestimationem fit insolubile.[616] Populus inter matrimonium et concubinatum seu inter matrimonium legitimum et illegitimum distinguit.[617] Ad matrimonii constitutionem utriusque partis consensus requiritur: ita saltem si propius res spectentur, nam primo adspectu consensus mulieris secundarius considerari videtur.[618]

Sed ex altera parte multa vestigia notionis paganae de matrimonio conservantur. Paucis regionibus exceptis, coronatio sponsorum non forma essentialis coniugii christiani, sed caeremonia ecclesiastica accessoria cum charactere declarativo habetur. Maior populi Bulgarici pars per totam nostram epocham semper inter *svadba* et *vĕnčanie* seu inter nuptias secundum ius consuetudinarium et secundum ius ecclesiasticum celebratas distinguebat. De primis axioma valebat *Bez svadba brak nestava.* Sine nuptiis matrimonium non consistit (non fit, non nascitur).[619] Verum sensum huius regulae iam explicavimus. Plerumque sponsorum coronatio *(vĕnčanie)* in Ecclesia vel domi peracta deductionem mulieris in domum mariti seu nuptias iuris consuetudinarii praecedebat; solummodo in regionibus vicinis Sophiae, Vidin, Kula, Lom subsequebatur.[260] Propterea ibidem hucusque essentiam matrimonii in elementis in capite tertio praeliminari indicatis ponunt.

Consequenter cum mutata de matrimonii natura iuridica notione mutata est etiam notio impedimenti mutataeque sunt divisiones eorundem necnon elenchus ipsorum est ampliatus.

Impedimentum etiam, si ut defectus requisiti iuris positivi concipiatur, nequit amplius definiri: „circumstantia matrimonio praeexistens, quae illud impedit tantummodo", sed definiendum est: „circumstantia matrimonio praeexistens, quae contrahentes

ab ipso ineundo vel prohibet vel inhabilitat". Sub adspectu historico-iuridico impedimenta matrimonialia dividi possunt in illa originis consuetudinariae atque in illa originis ecclesiasticae.

Ad primam classem pertinent:

1. *Koritanstvo* seu defectus consensus fratris sororisve maioris natu.

2. *Chraničestvo* seu cognatio ex lacte.

3. *Pobratimstvo (posestrimstvo)* seu adoptio in fratrem.

4. *Kumstvo* seu cognatio spiritualis ex nuptiis.

5. Impedimentum classium.

Ad secundam classem dein:

1. diversa religio,

2. polygamia successiva,

3. affinitas,

4. cognatio spiritualis ex baptismo,

5. cognatio spiritualis ex adoptione in filium.

Impedimenta: aetatis, impotentiae, ligaminis, defectus consensus parentum, consanguinitatis utrique systemati sunt communia; tamen heic ea solummodo sub adspectu iuris popularis considerabimus, qui haud raro ab illo canonico differt.

Etiam ius consuetudinarium distinctionem inter impedimenta iuris publici et iuris privati etiam pro impedimentis sibi propriis applicat. Abrogata polygynia, distincto inter impedimenta viri et mulieris evanuit.

Influxu largissimae praxis dispensandi ab hierarchis Phanarioticis adhibitae etiam populus matrimonia prohibita excusare didicit; nihilosecius sensu stricto sermo de dispensatione in iure consuetudinario institui nequit et ratio est evidens.

*Impedimentum aetatis:* Heic distinguendum est inter consuetudinem facti et regulam iuris. In praxi enim coniugia, nostra epocha durante, in aetate sat adulta inibantur. Media aetas nupturientium erat triginta quinque pro viris et triginta pro mulieribus.[621] Attamen mox post liberationem a iugo Turcarum et in quibusdam locis, praesertim in oppidis iam antea media aetas nupturientium descendit ad duodeviginti pro viro et sedecim pro muliere.[622] Ratio mutationis cum maiore libertate sponsorum,

cum minore auctoritate parentum et in genere cum mutatis conditionibus oeconomicis connectitur: Sub dominatione Ottomana non tam avaritia „zadrugarum", quam potius vera necessitas oeconomica seriumque pauperismi periculum coniugia in aetate quandoque superadulta exigebant. Melioratis post liberationem conditionibus oeconomicis, periculo pauperismi deminuto zadrugisque dissolutis, matrimoniis in aetate minus matura contrahendis nihil obstabat.

Ex eadem ratione abusus ille, vigens praesertim[623] in Bulgaria occidentali et in Macedonia, disparuit, ut mulier adulta viro puerulo nubat. Qui abusus in iure populari non est nisi primae regulae nostri impedimenti applicatio: *Quotiescumque in matrimonio ineundo alter finis aeque principalis oeconomicus assequendus intenditur,* quin finis sobolis procreandae educandaeque positive excludatur, *defectus aetatis in viro nullum constituit matrimonii impedimentum.*

Ex altera parte in quibusdam regionibus usus vigebat, ut vir superadultus puellam vix maturam ducat;[624] ex quo deducitur secunda regula: *Differentia aetatis sponsi et sponsae nunquam matrimonio ineundo obstat.*

Quotiescumque vero cum fine oeconomico simul finis socialis matrimonii intendebatur, tertia regula obtinuit: *Signa pubertatis in utroque nupturiente ius concedunt ad coniugium contrahendum.* Signa pubertatis sunt duplicis generis morphologica et socialia. Signa pubertatis socialia, i. e. capillorum tonsuram pro viro, mutationem vestimentorum pro muliere populus concedere non solebat, si signa morphologica non apparuissent.[625]

Terminum, ad quem matrimonia contrahi possint, populus non novit. Ex hucusque dictis clarum est impedimentum aetatis tantummodo iuris privati esse.

Cum impedimento aetatis logice connexum erat aliud impedimentum dictum *koritanstvo* seu impedimentum defectus consensus fratris sororisve natu maioris. Verum sensum huius impedimenti proverbia iuridica explicant: „Matrimonium fit secundum ordinem (nativitatis filiorum)." „Qui maior est natu, hic praecedit in matrimonio ineundo." „Eodem ordine, quo nati sunt filii, eodem ordine etiam coniugia contrahunt."[626]

Populus hoc impedimentum non solum merum usum, sed tanquam veram ac propriam consuetudinem iuris (zakon) considerabat.[627] Normae fundamentales sunt:

*a)* Impedimentum defectus consensus fratris sororisve natu maioris inter fratres et sorores seiunctim viget seu ordo nativitatis inter fratrem sororemque non attenditur, sed tantummodo inter fratrem et fratrem, inter sororem et sororem.[628]

*b)* Impedimentum defectus consensus fratris sororisve natu maioris non obtinet, quotiescumque frater sororve maior natu morbo insanabili sive mentali sive physico plectitur, qui illum a matrimonio ineundo inhibet.[629]

*c)* Quamvis ordini observando a fratre sororeve natu maiore renuntiari possit patre familias una cum zadruga non dissentiente, tamen lex nostra ut impedimentum iuris publici urget.

Ratio est, quia cum organisatione zadrugali cohaeret. Totius gentis, totius pagi intererat, ne una zadruga alterâ fortior, numerosior evaderet. Qua de causa nostri impedimenti transgressor, qui fratri sororive non indulgenti superbe respondere solebat: „Si te expectavi in nativitate, non te expectabo in nuptiis" ex communitate expulsus est."[630] Impedimentum „koritanstvo" dictum revera consequentiam ontologicam organisationis zadrugalis esse apparet etiam ex eo, quod in oppidis et in regionibus in quibus zadruga disparuit, impedimentum nostrum vel non noscitur, vel rapide disparet.[631]

*d)* Natu minor manum dexteram natu maioris osculari tenetur, quotiescumque permissionem ab hoc obtinuerat.[632] Utrum hic ritus ad sollemnitatem actus requiratur, an mera sit caerimonia, ex materiali iuris consuetudinarii hucusque collecto non constat. Certum est tantum matrimonium contra legem ordinis initum permissione non obtenta aut eadem petenda neglecta validum esse.

*e)* Ordo in nuptiis contrahendis servandus complexior erat in zadrugis quam in familiis simplicibus. Illic aetas patrum una cum aetate filiorum attenditur, hic aetas filiorum tantummodo, id est in zadruga primus matrimonium contrahit filius primogenitus, fratrem primogenitum sequitur filius primogenitus fratris secundogeniti et sic porro usquedum omnes filii primogeniti uxores du-

xerunt; post quos ad coniugium secundogeniti admittuntur. Idem pro sororibus ad invicem valet.

*f)* Quinam succesionis ordo inter filios ac filios secundum ius consuetudinarium adoptatos valeat, nullibi indicatur. Plerumque enim filiae adoptatae filio proprio adoptati nubunt et viceversa, nisi cognatio ex lacte, de qua mox, obstat.

*De impotentia* cl. Bogišič in suam primam collectionem iuridicam consuetudinum inter Slavos vigentium adnotavit: „Quod attinet ad impedimentum impotentiae, in quantum non ex aetate (nondum matura), sed ex alia causa provenit, quia rarissime occurrit, nihil de ipsa dicere possum; desunt enim fontes. Solummodo apud Russos, quamvis „Liber directionis" (Kormčaja) permittat divortium ob impotentiam alterutrius partis, populus non admittit illam causam divortii, sed replicat: Quos Ecclesia coronaverit, nequeunt amplius ab invicem separari."[634]

E contra apud Bulgaros impotentia semper ut causa divortii admissa est.[635] De exemplis, quae in collectionibus iuris popularis adducuntur, elucet illam in Bulgaria frequentiorem fuisse apud viros quam apud mulieres.

Certum est etiam nec potentiam generandi nec potentiam coëundi requisitum absolutum et indispensabile matrimonii constituere, quia casu, quo deest, saltem alter finis principalis, oeconomicus, adimpleri possit. Impotentia igitur est impedimentum iuris privati. Nam quotiescumque alteri parti nota erat, divortium posthac factum a populo „raztorgvanie" (dissolutio matrimonii validi) appellabatur, quotiescumque autem parti sanae ignota erat, populus de „razlučvanie" (separatione matrimonii irriti) loquebatur.[636]

Diximus iam aevo Medio ex iure ecclesiastico impedimentum *ligaminis* receptum esse, quatenus polygyniam simultaneam vetet, non vero quatenus divortium consensuale aut divortium unilaterale sine causa interdicat. In nostra epocha iuris consuetudinarii christianisatio ulterius procedit: Ipse populus non novit saltem inde a saeculo XIX causas divortii, nisi taxativas; quarum elenchus variat quidem de provincia ad provinciam, semper autem est taxative determinatus. Ita v. g. in regionibus vicinis Vidin, Kula, Lom, Bělogradčik, Ferdinand, Orěchovo, Vratča, Berkovo

non admittuntur nisi tres causae divortii: morbus malus (epilepsia), impotentia viri aut, ut populus dicere solet, „si vir non est vir"; tertia causa: „Si alterutri os male odorat et ille de defectu isto sponsum celavit."[637] Aliis locis praeter tres causas modo enumeratas divortium fieri potest: propter adulterium sive viri sive mulieris, propter absentiam novennalem viri, propter sterilitatem mulieris, propter viri ebrietatis habitum.[638]

Haud raro populus arbitrarias causas divortii ab hierarchis Phanarioticis sancitas agnoscere recusavit.[639] Quoad praxim divortiorum solus Dozon (in quantum invenire potuimus) attestatur: „Le divorce n'est ni difficile ni rare chez les chrétiens orientaux surtout dans le peuple."[640] E contra alii omnes populi severitatem hac in re admirantur.[641] Utrumque testimonium concordari potest distinguendo inter urbes maiores, inter divites, qui quandoque ab Episcopis Phanarioticis ad divortia facienda propter expensas iudiciales adquirendas alliciebantur,[642] et inter pagos cum pauperibus suis incolis, ubi morum severitas regnaverat.

Sporadice quidem adhuc in nostra epocha divortium consensuale aut unilaterale sine causa occurrit, sed hae exceptiones regulam non infirmant: quae regula conscientiae popularis in multis canticis et proverbiis sat clare exprimitur.[643]

Sicut familia Romana a zadruga Bulgarica differt, ita etiam *requisitum consensus patrisfamilias* apparenter utrique systemati commune differt. In iure Romano, ex quo impedimentum ius ecclesiasticum recepit, requiritur consensus patrisfamilias (respective patrisfamilias et patris) ad valorem matrimonii iuxta adagium in ipsis canonibus fundamentalibus atque etiam in Harmenopulo positum: „Nuptiae non fiunt *(οὐ γίνεται ὁ γάμος)* nisi et qui coniunguntur consentiant et quorum in potestate sunt."[644] E contra in iure Bulgarico requisitus consensus patrisfamilias et zadrugae (melius consilii zadrugalis) numquam ad valorem praescribitur. Ratio differentiae in positione patrisfamilias ad cetera membra familiae in iure Romano et in iure Bulgarico consistit. In iure Romano privato originarie ipse solus paterfamilias est subiectum iuris (caput), omnes reliqui personalitatem iuridicam non possident nisi participatam.[645]

Clarum est igitur obiectum iuris, id est filiosfamilias et servos,

non potuisse inire relationes personales (matrimonium, contubernium) cum subiecto iuris, nisi eorundem intentio maritalis a subiecto iuris κατ' ἐξοχὴν seu a patrefamilias compleretur. Praeterea in iure Romano non datur persona (caput), quae non relationem ad familiam sensu Romano dicat: Omne „caput" sive principium novae familiae est (persona sui iuris) aut patrifamilias subiicitur (persona alieni iuris).[646] E contra in iure Bulgarico nullo modo requiritur, ut unaquaeque persona relationem ad familiam patriarchalem dicat, quia heic semper familiae maiores (zadrugae) coexistebant cum familiis simplicibus.[647] Paterfamilias non est in nostra saltem epocha unicum subiectum iuris, sed est primus inter pares. Personalitas iuridica unicuique membro zadrugae saltem quoad iura personalia inhaeret; consequenter in iure Bulgarico nulla existit differentia inter filiosfamilias emancipatos et non emancipatos nec inter filiosfamilias minorennes et maiorennes.

Propter democraticam organisationem familiae patriarchalis ex altera parte in iure Bulgarico consuetudinario consensus patrisfamilas (respective patrisfamilias et patris) non sufficit, sed consensus totius consilii zadrugalis requiritur;[648] in casu absentiae alicuius nulla obligatio expectandi viget, sed ius matrimonio consentiendi automatice ad cetera membra consilii familiaris transfertur.

In familia simplici utique parentes locum consilii familiaris tenent. Mater nupturientis, uti praesertim ex canticis popularibus apparet, non quidem sub adspectu iuridico, sed sub adspectu morali maximum influxum hoc in negotio exercet; de facto fere omnia ab ipsa dependent.[649]

Transgressio impedimenti defectus consensus parentum (aut consilii zadrugalis, non irritat quidem matrimonium, sed in praxi filiifamilias nonnisi in extrema necessiate ad illam sese decidebant: Nam ultra limitem domus paternae, quam delictuose derelinquebant, ingens obstaculum morale inveniebant: maledictionem patris (matris maledictionem nunquam timebant; non erat enim nisi fictitia).[650] Heic adagia obtinent: „Sine benedictione patris et matris matrimonium fieri non solet." „Patris benedictio domum construit" „Patris benedictio filium fortificat." Et alia huiusmodi.[651]

Aliud impedimentum matrimoniale originis merae consuetudinariae est illud *classium*. Tota societas Bulgarica paulisper adspectum sub dominatione Ottomana mutavit. Etiam in hac epocha distinguere inter privilegiatos et non privilegiatos possumus, quamvis in rigore iuris omnes christiani non sint nisi „raja", id est servi despiciendi a „fidelibus" (Musulmanis). Ad „privilegiatos" praeter clerum successores nobilium (boljariorum) pertinent sic dicti *Čorbradžiji* aut *Begliči* seu *Jušurdžiji*.[652] Etenim nobiles medioaevales (boljari) omnes, nisi in exilium abierant, occisi sunt; e contra aliqui ex divitioribus Bulgaris agricolis, praesertim qui clerum Phanarioticum et dominatorem Ottomanum adiuvabant, variis privilegiis paulatim praediti sunt. In negotiis inter populum et auctoritatem sive civilem sive ecclesiasticam pertractandis ipsi officio mediatorum fungebantur. Haec nova „nobilium" classis non permittebat matrimonia nisi inter sibi aequales.[653]

Sed etiam inter simplicem populum agricolam conditio oeconomica et aestimatio socialis familiarum respiciebatur. Proverbia popularia praescribunt: „Quaere tibi aequalem (in coniugium)!" „Liber (in arbore aut in planta) cum libero; corium cum corio." „Ita sibi aequales sint, tanquam duo rami eiusdem arboris," „Conare, ut mulierem ex genere tuo (id est ex classe tua) uxorem ducas, licet orphana fuerit." „Etiamsi felis sit mulier (= paupercula) „dummodo ex classe tua, ducas ipsam!"[654]

Patet hoc impedimentum esse iuris privati nec cum omni certitudine constat, habueritne revera valorem iuridicum, an tantummodo usualem. Emptio mulieris, ordinarius modus matrimonii ineundi in hac epocha, valde Bulgaros ad impedimentum hoc servandum adiuvabat, familiae enim pauperiores mediis oeconomicis ad sponsam ex divite familia adquirendam carebant. Difficilius etiam per raptum aut fugam hoc impedimentum transgrediebatur, nisi de sponsis domicilio valde elongatis actum sit. Statim ac pretium pro muliere (prid, agarlik) in desuetudinem partialem devenierat et mox post liberationem Bulgariae politicam, quando classis Begliciorum disparuerat, etiam impedimentum classium in desuetudinem venit.

Reliqua tria impedimenta cognationis: „chraničestvo" seu co-

gnatio „ex lacte", „pobratimstvo" seu adoptio in fratrem et „kumstvo" seu cognatio spiritualis ex nuptiis, quae originis esse consuetudinariae diximus, ubique in Bulgaria non invaluerunt: qua de causa, nec ad „običai" seu ad consuetudines facti, nec ad „zakoni" seu consuetudines iuris pertinent, sed ad „adeti" seu ad consuetudines iuris particulares pertinent; nec dici possunt originis ea esse mere consuetudinariae, quia prohibitio matrimonii contrahendi hisce cognationis speciebus vel ex analogia ad impedimenta cognationis iuris ecclesiastici vel ex canonisatione ipsarum vel influxu iuris Islamici (cognatio ex lacte) addita sit. Non desunt auctores, qui duo prima impedimenta, scilicet *chraničestvo* et *pobratimstvo*, duas species unius impedimenti, nempe fratrificationis, considerent.[655]

Quae classificatio est falsa, si fratrificatio exclusive ut actus electivus alicuius personae in fratrem vel sororem concipitur. Quodsi accipiamus fratrificationem esse „necessitudinis relationem exortam aut ex libera ac spontanea electione mutua alicuius extranei in fratrem sororemve, aut ex facto aliquo, quod conscientia popularis censet aequivalens fratrificationi electivae," est illa classificatio non solum praeferenda, sed est unice vera. Claritatis causa etiam nos hanc alteram fratrificationis notionem accipimus.

Sub adspectu historico utique prima potius fratrificationis notio recipienda esset: Nam fratrificatio originarie nihil aliud nisi substitutio protectionis ex parte familiae propriae esse videtur. Institutum adoptionis in fratrem intime cum organisatione primitiva societatis civilis connectitur, in qua adhuc vindicta sanguinis hostilesque relationes vigent inter singulas gentes, quae nondum uniuntur perfecte in unam Civitatem.[656] Initio igitur vix inter mulieres et infantes fratrificatio fieri solebat, sed inter viros tantum per mutuam electionem liberam ac spontaneam. Primum testimonium de fratrificationis existentia inter Bulgaros dant responsa Nicolai I Papae.[657] Quaestio, num adoptio in fratrem sit Germanis et Slavis propria, apud Romanos vero et Graecos nonnisi receptitia, ad nos non pertinet.[658] Nostra solummodo interest problema, utrum fratrificatio impedimentum matrimonii inde a temporibus praechristianis constituerit,[659] an tan-

tummodo per canonisationem nostri instituti prohibitio matrimonii contrahendi invaluerit.[660]

Adoptionem primo in fratrem, prout vigens inter Bulgaros saeculo antecedente cognita est, examinemus!

In iure consuetudinario sub dominatione Ottomana populus duplicem fratrificationem, electivam (voluntariam) et casualem, (necessariam) distinguebat: utraque partim canonisata est; heic solummodo adoptionem in fratrem mere consuetudinariam considerabimus. Fratrificatio electiva in iure populari fiebat: per sanguinem, per ignem, per ritualem infirmi curationem, per osculum, aut per simplicem voluntatis manifestationem.[661] Fratrificatio necessaria ex collactatione duorum infantium ab una eademque muliere oriebatur aut ex assistentia in nuptiis *(svatba)* tanquam „děver" aut tanquam „zelva", vices gerentes futuri mariti, quorum officio, si possibile erat, frater et soror aut saltem cognati sponsi fungi debebant. Quodsi personae extraneae ad hoc officium assumerentur, ipso facto fraternitatis cognatio oriebatur.[662] Nonnulli adnumerant ad modos casualis adoptionis in fratrem: mutuum adiutorium in necessitate inter extraneos praestitum necnon nativitatem duorum infantium ad diversas familias pertinentium eodem mense.[663] Uterque autem casus fuit aut esse potuit solummodo occasio, melius motivum ad fratrificationem perficiendam.[664]

Videamus modo de singulis!

Adoptio in fratrem ope mixtionis sanguinis peracta, est certe forma omnium antiquissima, qua Bulgari utebantur in regionibus: Achačelebijsko, Chaskovsko, Kazanličsko, Pirdorpsko Bitoljsko, Prilěpsko: Uterque sibimetipsi pollicem manus dexterae incidebat et dein sibi invicem sanguinem lambebat aut aliquas sanguinis guttulas in plagam alterius manare sinebat. Reliquae caeremoniae, quae peragi solebant, erant secundariae. Fratrificatio haec sicut et omnes ceterae peragebantur coram testibus et celebrari solebant sollemni prandio.[665] Ceterae formae adoptionis in fratrem, nempe „per ignem", quae consistebat in eo, ut duo fratres focum domesticum pede tangerent (significatio symbolica fraterni amoris usque ad sacrificium vitae morte dolorosissima „per ignem" pervenientis); „per osculum" aut per simpli-

cem voluntatis manifestationem: usitatae in regionibus Stara-Zagora, Dobrič, Malko Trnovo et in Bulgaria septentrionali non sunt nisi particulae, torsa illius compositae caeremoniae fratrificationis „per sanguinem".[666] Fratrificatio enim decursu temporis ex negotio iuridico formali negotium informe facta est.[667]

Eiusdem superviventia inter Bulgaros et in genere inter Slavos meridionales potius quam ex vera necessitate explicatur ex continuata archaica traditione et ex sincero studio Slavorum communis salutis in vita privata tuendae. Ex qua ratione fratrificatio usque ad novissima tempora, quandoque etiam collective fieri solebat (in Malko Trnovo et in Lěskovec).[668]

Fratrificatio iuris popularis nullam novit praescriptionem quoad aetatem vel sexum vel religionem, quamvis fratrificationes cum non „orthodoxis" populo minus placerent.[669] Unice in fratrificatione per ritualem infirmi curationem requiritur, ut „medicus" sit diversi sexus ab infirmo.[670]

Casuales adoptiones in fratrem sunt absque dubio recentiores: Fratrificatio inter collactatos influxu Turcico invecta est: qua de causa improprie appellari potest „chraničevstvo", i. e. adoptio in filium iuxta normas iuris popularis nationalis, quia collactatio nonnisi accidentaliter cum consuetudinaria adoptione in filium coniungitur, quae adoptio etiam nullum unquam ex seipsa impedimentum matrimoniale constituebat.[671] Item fratrificatio ex officiis exorta sponsi vices in nuptiis gerentis, non est nisi vestigium indispensabilis quondam regulae, ut officiis illis frater aut soror sive propria sive adoptata fungantur et est simul unum ex vestigiis familiae patriarchalis.[672]

Fratrificatio a populo indissolubilis considerabatur[673] ac consequentias non solum in ordine ethico (mutuum amorem mutuumque adiutorium), sed etiam in ordine iuridico et quidem in sphaera iuris haereditarii[674] et iuris matrimonialis secumferebat. Nostra consequentiae adoptionis in fratrem vel sororem pro impedimentis matrimonialibus intersunt.

Cl. Bobčev in studio de nostro instituto concludit: „Fratrificatio peracta cum admixtione elementi religiosi christiani (per caeremoniam ecclesiasticam, per orationem, per baptismum in eo-

dem fonte et his similia) gignit veram cognationem, quae aequivalet quoad extensionem necessitudini inter duos fratres germanos. Quotiescumque vero deest elementum religiosum, uti in regionibus Elena et Tatar-Pazardžik, nulla nascitur cognatio, sed tantummodo sancta indissolubilisque amicitia."[675]

Haec conclusio paulisper repugnat factis positivis: a) cum veritate non concordat fratrificationem sicut cognationem ex sanguine sese extendere, id est usque ad septimum gradum inclusive. Maxima extensio, quae hucusque in regionibus Orchanijsko Lovečsko reperta est, sextum gradum non egreditur.[676] Ubi vero adoptio in fratrem uberiorem applicationem nacta est, impedimentum inter fratres adoptivos eorumque filios ac filias (id est usque ad quartum gradum) viget; nec desunt regiones in quibus impedimentum ad fratrem et sororem adoptatam sistat aut in quibus nullum omnino impedimentum ex fratrificatione oriatur (uti praecise in Elena et Tatar-Pazardžik);[677]

b) falsum est etiam fratrificationem mere consuetudinariam seu sine admixtione elementi religiosi peractam nullam cognationem gignere nullumque ex illa nasci impedimentum. Ipsi enim Bulgari Musulmani („Pomaci" appellati) impedimentum ex fratrificatione usque ad sextum gradum vigere fatentur.[678]

Ex altera vero parte non possumus cum cl. Načov[679] concludere impedimentum fratrificationis esse impedimentum originaliter consuetudinarium seu fratrificationem inde a temporibus praechristianis impedimentum matrimonii legitimi constituisse: Nam si diligenti examini iuris popularis Bulgarorum incumbimus facile reperimus ius consuetudinarium *genuinum* nullum impedimentum cognationis praeter ipsam consanguinitatem novisse. Quodsi populus a semetipso fratrificationem consanguinitati quoad effectus iuridicos pro matrimonio ineundo aequam reddidisset, certe inventum esset saltem in aliqua regione Bulgariae aut Jugoslaviae adagium analogum illi de consanguinitatis impedimento: „Quotiescumque scimus sponsos descendere ex fratribus sororibusve adoptivis, coniugium non permittimus." Quia vero simile adagium non est hucusque repertum apud Slavos meridionales, sed e contra populus de fratrificatione principium ecclesiasticum relatum in canonem LIII Trullanum enuntiare solebat

„Fratres adoptivi maiore sanctioreque vinculo tenentur quam fratres consanguinei", supponendum est potius adoptionem in fratrem, in quantum impedimentum generat matrimonii, ex iure ecclesiastico medioaevali ortam esse.[680]

*Cognatio spiritualis ex nuptiis,* quae intercedit inter patrinum (kum) in nuptiis adhibitum et sponsos eorumque filios, etiam in aliquibus tantum regionibus impedimentum matrimoniale constituebat et quidem usque ad tertium gradum inclusive, id est inter filios patrini et filios sponsorum; consanguinei patrini et nupturientium in linea obliqua aut in linea recta ascendenti heic non attendebantur.[681]

In praxi rarissime novum impedimentum oriebatur, nam usque ad novissima tempora ut regula inviolabilis valebat, ut idem adhiberetur in nuptiis patrinus, qui adhibitus est in baptismo sponsi.[682] Propterea differentia inter patrinum baptismi et patrinum sponsi in iure consuetudinario primo adspectu non apparet, nihilominus adest. Nam patrinus baptismi, ut patrinus fiat, personaliter officio fungi debet, secus nec cognatio nec impedimentum nascitur. E contra patrinus nuptiarum potest uti alia persona pro suo mandatario, in quo casu populus dicit: „toj věnčava na tlaka = coronat vi mandati; toj kumuva na tlaka = patrini munere in nuptiis fungitur vi mandati."[683] Hanc cognationem esse popularem imitationem necessitudinis spiritualis ex baptismo patet.[684]

Sicut ius ecclesiasticum saltem ex parte institutum illud Bulgaricum nationale fratrificationis canonisavit, ita etiam ius consuetudinarium maiorem partem ex impedimentis iuris christiani recepit. Maxime inradicata in consuetudines matrimoniales dicenda sunt praesertim duo impedimenta: *diversae religionis et polygamiae successivae.*

„Duae religiones sub uno tecto non cohabitant" — „Fides est nobis, ut illam fideliter teneamus, religio est nobis, ut illam religiose observemus" sancivit populus una cum Ecclesia pro matrimoniis mixtis, quae nonnisi exceptionaliter admittebat.[685] Etiam cantica heroica puellas celebrant, quae mortem matrimoniis cum Turco raptore praetulerunt.[686]

Quamvis in multis regionibus problema matrimoniorum mixto-

rum non existat, quia omnes ibidem „orthodoxi" sint, nihilominus populus ut illegitima matrimonia cum non orthodoxis fatetur.[687] Nec Bulgaris Musulmanis, nec Bulgaris Catholicis (ritus latini = pavlikanis) sese commiscebat, dum e contra matrimonia cum Graecis, Rumenis, Serbis, qui eiusdem confessionis religiosae sunt, nullatenus reprobantur.[688] In Macedonia tantummodo sporadice coniugia mixta cum Turcis inita reperta sunt; semper tamen inter virum musulmanum et mulierem christianam, nunquam viceversa; et etiam in hisce coniugiis mulier ad apostasiam cogi non solebat, sed plena libertas illi relinquebatur.[689]

Similiter tetragamia successiva consideratur coniunctio peccaminosa. Huc referuntur proverbia: „Matrimonium non durat solum ad sepulchrum", nam „Vir et uxor etiam in paradiso simul vivent".[690] Consequenter difficulter viduus virginem uxorem adquirit, at conabatur populus, ut viduus viduam duceret.[691] Regulae canonicae praesertim in proverbiis iam allatis resplendent: „Prima uxor, mulier mea; secunda uxor, adiutrix mea; tertia uxor, sacra imago mea, quam tangere non audeo" aut „Una nativitas, unum baptisma, una coronatio, una mors".[692] Etiam in regionibus, in quibus ius consuetudinarium minime omnium christianisatum erat, quartum seccessivum matrimonium a populo concubinatus considerabatur.[693]

Impedimentum *consanguinitatis* semper rigorose observabatur. In iure consuetudinario genuino computatio quidem propria vigebat, identica Germanicae veteri, sed pro consanguinitatis impedimento nullam applicationem habuit iuxta normam cl. Marinov et Konsulova et aliis communicatam: „Quousque scimus sponsos esse ex eadem gente, matrimonium haud permittimus".[694] Ita in regionibus, in quibus non solum zadruga, sed et gentes „vlaka" conservatae sunt, in quibus etiam Romanorum more unusquisque tribus nominibus utitur: gentis, zadrugae et nomine proprio ex baptismo.[695]

In regionibus autem, in quibus gentes disparuerant, impedimentum consanguinitatis plerumque ad normam iuris ecclesiastici observabatur, id est usque ad septimum gradum inclusive. Exceptiones ab hac regula sunt sat rarae et vel influxu iuris Islamici causatae sunt, uti v. g. in Dibra Macedonensi,[696] vel influxu

iuris consuetudinarii Cumanorum et Pecenêgorum in aliquibus pagis vel oppidis, quae dominatione Ottomana durante a potestate ecclesiastica Phanariotarum exempta erant et ita ius paganum conservare potuerant, uti v. g. in Tatar-Pazardžik et in Čepino, ubi etiam consobrini legitima inter se contrahebant coniugia![697]

In genere autem populus a matrimoniis inter consanguineos abhorret, uti vetustissima cantica et narrationes populares probant.[698] Abhorret illa, quia maledictionem divinam timet: multae credentiae populares hac de re referri possunt. Proverbium, quod quandoque circumfertur „sicut profundum flumen vado caret, ita pro pulchra puella consanguinitas nihil valet"[699] aut sunt nugae poeticae aut est enuntiatio moralis, casualis corruptionis. Ius igitur consuetudinarium etiam absque ullo influxu iuris ecclesiastici impedimentum consanguinitatis noscit et urget.

E contra impedimenta *affinitatis* et *cognationis spiritualis* sive *ex adoptione in filium ecclesiastica* ab iure populari sunt aliena, quamvis populus oboedientiam iuri ecclesiastico non recusaverit. Revera erant pauci pagi, in quibus populus gradus harum cognationum more Romano (Byzantino ecclesiastico) computare sciebat, sed plerumque omnes eiusmodi quaestiones Episcopis vel eorundem vicariis relinquebat.[700] Hierarchia etiam conabatur, ut populus regulas ecclesiasticas in hac re vigentes ignoraret, ut in praxi dispensandi arbitrarie exercenda liberior esset.[701] Quomodo autem ipsum affinitatis impedimentum iuri consuetudinario extraneum sit, apparet ex eo, quod in quibusdam regionibus (licet iam in paucis sub fine nostrae epochae) populus adhuc inter consanguinitatem et affinitatem distinguere nescit[702] aut potius: verum adhuc significatum huius impedimenti ignorat. Propterea etiam in regionibus in quibus deductio mulieris in domum mariti coronationi sponsorum in ecclesia praecedere solebat, si quando metropolita bullam denegaverat, imo et separationem inconditionatam propter affinitatis impedimentum ab aliis delatum a sponsis exegerat, populus oboedientiam recusavit.[703]

Ex testimoniis mox post liberationem collectis et ex schemate saeculo XIX. ubique Bulgariae usitato:

a) impedimentum affinitatis etiam in praxi ordinarie saltem ad sextum gradum inclusive extendebatur; in septimo gradu duo

tantum coniugia erant prohibita, cetera permissa: primum ne filius ac pater duas ducerent sobrinas (1+6), secundum ne proavus et pronepos duas ducerent consobrinas (3+4). In quinto gradu e contra unum tantum coniugium permissum erat; reliqua omnia prohibita. Permissum erat ducere proneptem neptis uxoris defunctae aut viceversa. Complicatior erat lex de sexto gradu: Casus a prohibitione excepti erant septem: in combinatione (1+5) permissa coniugia inter filium et filiam consobrinae novercae filii habebantur; inter filium et proneptem sororis novercae filii; inter filium et neptem neptis novercae filii.

In combinatione (2+4) matrimonia permittebantur: inter nepotem et proneptem materculae nepotis non propriae necnon inter nepotem et neptem sororis materculae nepotis non propriae.

In combinatione denique (3+3) permissum est coniugium inter patruum (avunculum) et fratris (sororisve) filium cum amita (vel matertera) et fratris sororisve filia; secundo inter proneptem et filium fratris avunculi non proprii.

Intelligitur sexuum differentiam non attendi. Matrimoniorum permissio aut prohibitio inde a sexto gradu principio S. Basilii regitur. „Cumulatio denominationum cognationis inter duas easdemque personas vitanda est" Omnia matrimonia prohibita sunt etiam ipso facto irrita, nam schema sub unaquaque figura subiungebat *οὐ γίνεται (ὁ γάμος)* aut *γίνεται (ὁ γάμος)*.[704]

b) Idem valet pro cognatione spirituali ex baptismo aut ex adoptione, quorum impedimentorum ambitus quasi immediate post liberationem ex septimo gradu ad quintum et mox ad tertium deminutus est;[705] semper valebat (ut iam notavimus) pro descendentibus utriusque partis in linea recta.

c) Pro affinitate ex tribus generibus schemata usitata regulam a Blastari, non a Harmenopulo relatam applicare volunt: in quibus enim etiam in quarto gradu matrimonia prohibentur *(οὐ γίγονται)*, sed in duobus casibus tantummodo: in primo coniux superstes fratrem (aut sororem) mariti (aut uxoris) sororis (aut fratris) defuncti coniugis sui ducere nequit; in secundo frater (aut soror) superstes nequit matrimonium inire cum sorore (aut fratre) coniugis, quem maritus sororis defunctae duxit aut cui uxor fratris mortui nupsit. Certe etiam altera praxis, quae nempe solum ad

tertium gradum impedimentum affinitatis ex trigeneia extendebat, in Bulgaria obtinuit.[706]

Ceteroquin de fideli observantia praesertim in urbibus et praesertim quoad impedimentum affinitatis (sive ex digeneia sive ex trigeneia) valde dubitare licet. Praxis dispensandi tam arbitrarie exercebatur, ut ipse populus cum despectu praecise in relatione ad impedimenta cognationis dicere soleret: „Pro pecunia apud sacerdotem et apud feminam prostitutam omnia obtinere potes!"[707]

Qua anarchia non obstante, affinitas et cognatio spiritualis saltem ad eum usque gradum impedimentum constituebat, qui in canonibus fundamentalibus Ecclesiae Bulgaricae determinatur, uti iurisprudentia Unitorum probat, quae propter inradicatam populi consuetudinem et propter consequens periculum scandali hucusque non est ausa abrogare principium „affinitas parit affinitatem" (can. 54 Trull.) neque unquam coniugium inter duos fratres et duas sorores permisit.[708]

Iuris ecclesiastici influxu etiam *sponsalia* iuris popularis mutaverunt adspectum suum iuridicum: Solummodo in paucissimis regionibus in sua forma primitiva conservata sunt, ita ut pretio pro muliere soluto parentes illam statim traderent nec nuptiis participarent, quia „nuptiae pro ipsis finirent, statim ac filia vendita et abducta esset".[709] In genere vero sponsalia non uno actu, sed tribus vicibus celebrantur: per sponsalia secreta, sponsalia minora et sponsalia maiora. Sponsalia secreta functionem iuridicam nullam habent: mera enim sunt informatio de qualitatibus sponsae necnon de voluntate parentum, tardius etiam sponsae ipsius) matrimonii oblati accipiendi vel eiusdem refutandi. Qua de causa quandoque qua inutilia omittuntur. Coniugii promissio a parentibus sponsae (respective a parentibus et sponsa) facta in sponsalibus secretis, quae ceteroquin non sponsalia, sed inspectio „sgleda" vocari solent, obligationem iuridicam non gignit, sed ethicam tantummodo.[710]

Verum pactum sponsalitium aut in sponsalibus minoribus aut in sponsalibus maioribus initur; quod tamen pactum aliam contractus categoriam in iure consuetudinario nondum christianisato, aliam in iure populari iam christianisato repraesentat. In nostra

epocha promiscue modo una modo altera pacti sponsalitii figura reperitur, tamen secunda praeponderat.

Prima pacti sponsalitii species nihil aliud est nisi contractus aleatorius duorum patrumfamilias de matrimonio inter ipsorum filiosfamilias ineundo. Altera e contra iam „promissio ac repromissio futuri matrimonii" est iuridice per stipulationem pretii pro muliere manifestata. Propterea prima sponsalia consensum neque ex parte viri neque ex parte mulieris requirebant. Sponsi enim non erant subiectum pacti sponsalitii, sed eorundem „voluntas", melius ipsum factum matrimonii, fuit obiectum contractus aleatorii. Consequenter principium obtinuit „ea pars, quae sponsalia solvit, sive culpose, sive inculpate (e. g. in casu praemorientiae unius ex sponsis) ita fecerit, eadem fert omnes poenas conventionales contractus non adimpleti". Hoc principium alicubi in vigore remansit etiam, postquam altera per ius christianum mitigata sponsalium forma invaluerat. Inde tamen a secunda saltem saec. XIX medietate sponsalia absque libero utriusque partis consensu non concipiuntur; idcirco sponsa una cum pretio pro ipsa stipulato aut eventualiter statim soluto non est obiectum contractus sponsalitii. Parentes amplius liberis suis sponsalia dirimere nequeunt; ex altera vero parte (saltam regulariter) pro pacto inculpate non adimpleto non sunt responsabiles.[711]

(Continuabitur.)

604 Ἑξάβιβολς lib. IV. tit. 8. vers. 5 ed. Heimbach pag. 512.

605 Ἑξάβιβλος lib. IV. tit. 8. vers. 6 ed. Heimbach pag. 512—514.

606 Ἑξάβιβλος lib. IV. tit. 7. vers. 30 ed. Heimbach pag. 506.

607 Ἑξάβιβλος lib. IV. tit. 7. et 8. vers. 28 et 8 ed. Heimbach pag. 506 et 514.

608 Editio Heimbachiana p. 731 sq.

609 Neofit Velički o. c. 71.

610 Cf. ipsius studium „Die Handbücher des geistlichen Rechts aus den Zeiten des untergehenden Byzantinischen Reiches und der türkischen Herrschaft" in „Mémoires de l'Accadémie Impériale des sciences de St. Pétersbourg VII$^{e}$ Série tome XXXVIII. No 7.

611 Cf. Iv. Nikolskij „Греческая Кормчая книга" (Пидалионъ) Moskva (1888) pag. 65 sq.

612 Jireček „Dějiny" cap. XXXII. Boj o národní církev 1858—72 pag 494—510. Documenta relativa habentur in Mansi-Petit „Collectio Conciliorum" tomus XLV.

[613] De hoc schemate refert cl. Baldžiev o. c. V. 188; illud reproducit cl. Genadiev in suo opere „Bračnik" Plovdiv (1887); comparationem dein inter originale Graecum cum traductione ecclesiastico-slavonica cf. apud A. Pavlov, qui in appendice sui operis „50я глава Кормчей книгы" pag. 242—291 et 302—309 in colonnis separatis utrumque textum edidit.

[614] De veracitate huius assertionis facillime cl. lector persvadebitur, si quodlibet opus historiae Bulgarorum perlegerit aut si ipse diutius in Bulgaria immoratus fuerit. Cf. ex. gr. relationem cl. Pavloff „Mes impressions de Bulgarie" in Échos d'Orient IX. 374.

[615] Cf. opera integra systematizantia illam mythologiam: Krauss Fr. „Volksglaube und religiöser Brauch der Südslaven", Münster in W. (1890); cl. Armaudov: „Студии върху българскитѣ обреди и легенди" in Spisanie na blg. Akademia na naukitě IV.—1; cl. Marinov Ж. Ст. vol. I. et VII. et praesertim thesaurarium SNU.

[616] Marinov Ž. St. IV. 166; С.Б.Ю.О. I. 1. pag. 237—246; Poslov. 64—74; Krauss o. c. 560—575; Saturník § 28; Zbornik qu. 109.

[617] Krauss o. c. 228—244; Baldžiev o. c. IV. 178; Marinov Ж. Ст. III. 156—158; Zbornik pag. 188–190; qu. 77; Saturník § 23 pag. 102.

[618] Poslov. 27–28; Krauss o. c. 299—330 С.Б.Ю.О. I. 1. pag. 171—174; Zbornik qu. 80 ubi referuntur proverbia; „Който го ѥ искалъ — нѣка го води"— „Който го ѥ отбиралъ — нѣка му ся радва" — „Да ми тѣгли грѣха който мя ѥ зачьрнилъ"; Marinov Ж. Ст. 141—142; Boev o. c. pag. 6, 9; Kiranov „Ženata", pag. 141; Vakarelski o. c. 337; SNU XXXII 101; Jireček „Fürstenthum", pag. 77.

[619] С.Б.Ю.О. I. 1. pag. 190—232; Krauss o. c. 353—453; Posl. 41–47; Gisler o. c. V. 237; Marinov Ж. Ст. III. 97; IV. 149; Baldžiev o. c. VII. 138–156.

[620] Marinov Ж. Ст. III. 97—102; IV. 149 sq.

[621] Gisler o. c. V. 237; En, etiam elenchum, quem dat cl. Volkov o. c. SNU XI. 485.

In Bulgaria in genere: sponsus 20–25 annos habet; sponsa 16–20 secundum Kanitz.

In Bulgaria in genere: sponsus 18–20 annos habet; sponsa 15–19 secundum Boev.

In Bulgaria in genere: sponsus 18–20 annos habet; sponsa 18–20 secundum Bogišić.

In regione Vidin sponsus 15—16 annos habet; sponsa 25 et ultra secundum Bogišič.

In Bulgaria septentrionaliter occidentali sponsus 12–14 annos habet; sponsa 20–25 secundum Marinov.

In regione Plěven sponsus 12–18 annos habet; sponsa 18–25 secundum Goranov.

In regione Ach$^{a}$-Čelebijsko sponsus 18 annos habet; sponsa 15 secundum Konstantinov.

In regione Chisar sponsus 25–30 annos habet; sponsa 20 secundum Bobčev.

In regione Kystendil sponsus 15–18 annos habet; sponsa 20–25 secundum Ljubenov.

In regione Lěskovec (Trnovo) sponsus 25 annos habet; sponsa 21—22 secundum Odžakov.

In Achrida, Struga, Kukuš sponsus 25 – 30 annos habet; sponsa 18 – 22 secundum Šapkarev.

In Razložsko (Macedonia) sponsus 30 – 40 anno habebat; sponsa 30 – 35 sec. Kisjov.

In Razložsko (Macedonia) sponsus 18 annos habet; 15. secundum Kisjov.

Cf. praeterca С.Б.Ю.О. I. 1., pag. 149 – 158; Poslov. 30 – 32; Krauss o. c. 330/334.

622 Gisler l. c.; С.Б.Ю.О. I.-1. l. c.

623 „*Praesertim* in Bulgaria occidentali" diximus, nam non exceptionaliter hic abusus etiam in Bulgaria orientali repertus est, uti ex. gr. in Lěskovec, Ruščuk, Tatar-Pazardžik (С.Б.Ю.О. I. l. c.) Heic refertur famosum illud proverbium: „Земи жена да те носи на рѫцѣ". Cf. praeterea: Zbornik qu. 66; Pravni običaji, pag. 59; Marinov Ж. Ст. III. 9-10; IV. 141; Krauss o, c. 332—334; Jireček „Cesty", pag. 385; Kiranov „Ženata", pag. 142; Ljubenov „Баба Ега" Tirnovi (1887), pag. 59/60.

624 С.Б.Ю.О. I.-1., pag. 151—152.

| Recensiones: Ut omnes unum sint, Ein Werkbuch ostkirchlicher Arbeit (–a.); *G. Hofmann, S. J.,* Papato, conciliarismo, patriarcato (1438–1439). Teologi e deliberazioni del Concilio di Firenze (L.); *P. Wilhelm de Vries, S. J.,* Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten (L.); *dr. Jos. Hlouch,* Konverse a konvertité, hledání a návraty (J. G. in Na hlubinu) | 172 |

# Acta Academiae Velehradensis

*Tomus XVI.* *A. D. 1940.* *Fasc. 2.*

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 379/40. IMPRIMATUR
Olomucii, 3. V. 1940. † LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

## ORTHODOXI DISSIDENTES IN BOHEMIA ET MORAVIA

*Dr. Franciscus Cinek.*

### II.

Et revera peregrinatio illa Bohemorum Moscoviam ad expositionem ethnographicam (15. Maii — 8. Junii 1867) demonstratio erat praeprimis contra systema Beusti dualisticum, quo solutio foederalistica quaestionis Austriacae frustrata est. Simul autem insignis erat solidaritatis Slavicae manifestatio. Bohemi quantitative et qualitative omnibus gentibus Slavicis in expositione Moscoviensi participantibus excellebant. In delegatione Bohemica erant politici praestantes cum ducibus Veterobohemorum (Palacký, Rieger, Brauner) necnon cum duce Neobohemorum Julio Grégr, itemque viris in scientia slavistica versatis (e. gr. K. J. Erben, archivario Pragensi, A. Vrťátko, musaei Bohemici bibliothecario) aliisque haud paucis eruditis et publicistis. Quibus non obstantibus expeditio haec totam nationem Bohemorum non representabat, nemine catholici cleri Bohemici, nemine directionis cyrillomethodianae Sušilianae partes gerente. Nobiles quoque Bohemici, qui declarationem Bohemicam subscripserant, defuerunt (excepto lib. bar. Villani).

Participatio Bohemorum in ethnographica expositione Moscoviensi, cui panslavisticae et nacionalisticae fractiones Russicae formam conventionis panslavisticae impresserunt, manifestam indolem *po-*

*litico*-demonstrativam non habuit. Nonnullis extremis politicis non obstantibus, qui peregrinationem Russicam tamquam politicam demonstrationem contra Austriam intellegebant (imprimis dr. Skrejšovský), politici principales Bohemici cum cauta prudentía rem gerebant. In manifestationibus suis nihil dixerunt, quod inquinare vel in dubium vocare posset sinceritatem Bohemicam simulque expresse principia foederalistica in sensu austroslavismi inculcabant. *Palacký* suum politicum programma foederalisticae Austriae aperte propugnabat et affirmabat proprium finem participationis Bohemorum in manifestatione solidaritatis Slavicae confirmationem moralem et spiritualem esse.[1] Etiam *Rieger* unitatem spiritualem inculcabat et quaestiones unitatis politicae omittebat. Vitam politicam et scientificam distinguebat, unitatem spiritualem, quae in harmonia singularum partium ponenda est, extollebat.[2] Similiter *Brauner,* quamquam regimini Austriaco inimicissimus, postulatum panslavismi esse, ut singulae nationes Slavicae in unitate omnium nationum Slavicarum spirituali roborarentur iterum atque iterum affirmabat.[3]

Tamquam manifestatio solidaritatis Slavicae conventus Moscoviensis haud parvi momenti erat. Spontanea et abundans animi sinceritas, quacum hospites Slavici ab omnibus partibus Russicis recepti erant, animos magnopere affecit. Praesertim repraesentantes populi Bohemici, tunc temporis ab omnibus fere derelicti et ex omni parte opressi, vehementer roborati atque in fiducia efficacis fraternitatis Slavicae, in manifestatione ingenti solidaritatis Slavicae patefactae, confirmatos se senserunt. Ex omnibus, quae viderant et audierant, sibi persuadebant quaestionem Slavicam in ipsa Russia meram theoriam atque problema esse desinere et vim vivam fieri totius nationalis communitatis Russicae.

Quamqam politici principes Bohemici res Russicas prudenter

[1] Documenta vide in libro dr. Karel Kazbunda, Pout Čechů do Moskvy 1867 a rakouská diplomacie, Praha 1924, pag. 68 (Alleg. X., Epistolae publicistae Em. Vávra Carolo Sabina, pag. 113 et seq.); Milan Prelog, Pout Slovanů do Moskvy 1867 (z rukopisu přeložila Milada Paulová), Praha 1931, pag. 114, 141 seq.

[2] H. Traub, Řeči dra Frant. Lad. Riegra I., Brno 1923, pag. 82s.; Kazbunda l. c. (Alleg. Epistola A. lib. Bar. Brenner e legatione Austriaca Petrohradii ministro Beust 19. 7. 1867), pag. 87s.

[3] Prelog l. c. p. 70 et s.

aestimabant, vehementer animis commoti sunt. *Palacký* (uti postea in politico testamento consignaverat), sibi persuasit animum vere Slavicum in Russia crescere. Conscientiam fraternitatis Slavicae, quondam exiguo circulo philoslavjanorum limitatam et modo academico cultam, in omnibus partibus populi Russici, infimis quoque, radices agere. Russos eruditos, quorum numerus crescit, non dominari in gentes Slavicas, sed eorum incrementum et plenam evolutionem cupere.[4] *Rieger* eiusdem persuasionis erat, quam in frequentibus suis declarationibus communicabat: Filii unius matris sumus, fratres et tamquam fratres nos invicem diligemus et adiuvabimus. Varietas membrorum non excludit unitatem, sed unitas in eorum harmonia quiescit. „Unusquisque radix tiliae Slavicae suam terram teneat, in stirpe tiliae debet esse totalitas et unitas, sed in eius ramificatione vita, flos, pulchritudo." Immo pro absentibus Polonis intercedere ausus est. Verba Pogodini et Aksakovi invocans pro populo infelici, qui „solus stat ante portam congregationis omnium Slavorum," deprecatus est, rogavitque, ut magnanimis gens Russica, quae propriae potestatis conscia est, prima verbum pacis diceret.[5]

Simul etiam Iul. Grégr, qui cum certa diffidentia in Russiam profectus erat et paulo ante contrarussicus polonophilus erat, in Russia didicit veram aestimationem et amorem populi Russici, in quo tot incorrupti et intacti animi Slavici invenit. In Russia unicam nationem Slavicam repperit, quae indolem Slavicam incontaminatam sibi servavit. Adeptus est persuasionem, in Russia humum esse, ex qua unice vera democratia evolvi posset, et quidem in naturalibus fundamentis, ex moribus, indole, institutione populi Slavici. In Russia sibi persuaserat Russicam nationem in futuro prae omnibus Europae nationibus splendidissima perpetraturam et novarum institutionum socialium creatricem futuram et per hoc magistram omnium ceterarum nationum. Huic quam strictissime se sociare et sinceram amicitiam fovere oportere.[6]

4 Episoda s pouti do Ruska. Napsal A. Patera (Památník na oslavu stých narozenin Frant. Palackého, Praha 1898, str. 133—135); Fr. Palackého Spisy drobné I., Praha 1898, p. 310, 333, 361, Prelog l. c. p. 141 et s.

5 Vserossijskaja etnografičeskaja vystavka i slavjanskij s'ězd v maě 1867 goda. Moskva 1867, p. 342; J. Heidler, Příspěvky k listáři dr. Fr. L. Riegra I. Z let 1836 až 1891, Praha 1924, p. 178, Prelog l. c. 103 et s.

6 E. Grégr, Deník I. Vydal a úvody opatřil dr. Zd. Tobolka, 1907, p. 168.

Sola religionis diversitas mutuam relationem quodammodo obumbrabat. Orthodoxia impedimentum pleni successus Bohemorum in Russia cernebatur. Sub hoc aspectu conceptio Russica ideae panslavisticae non parum differebatur a conceptione Bohemica, etsi maxima ex parte fractionibus liberalisticis representata. Omni aestimatione erga Bohemos non obstante Russi cura praecipua orthodoxos peregrinos Slavicos prosequebantur. Populus Russicus pluries manifeste ostendebat Jugoslavos ipsi propinquiores esse orthodoxia, in qua philoslavjani Russici notam principalem sensus Slavici inculcabant. Ivanus Aksakov haud occultabat scepsim quoad exitus congressus Moscoviensis circa discrimen religionis Bohemorum et aspectum Riegri quasi mediocritatem ultramontanorum condemnabat.[7] Intercessio pro Polonis omnimodam frigidationem ardoris initialis indixit.[8]

Deputatio Bohemica, quamquam in sollemni orthodoxo cultu participavit, tamen nullum fervidum ardorem pro orthodoxia ostendit neque ad transgressum erga orthodoxiam inclinabat. In visitatione apud patriarcham Filaretum Palacký (protestans) dixit solum se paenitere omnes Slavos eiusdem fidei non esse. Ex hac parte Bohemi nullum praecipuum ardorem ostenderunt coram repraesentantibus philoslavjanis, qui totam suam doctrinam in hoc fundaverunt orthodoxiam esse maxime insigne criterium verae indolis Slavicae. Posterius quidem Palacký scripsit (in suo politico testamento) spiritum Russicum et Bohemicum quoad fidem et religionem eundem esse saltem ex parte subjectiva. Cognationem quandam videbat inter Russicos discolas et Hussitas 15. — 18. saeculi. Fuisse inter eos quidem magnum discrimen, sed in modo, quo hi et illi rem propriam aspiciebant et gerebant, in devotione mentis et profunditate persuasionis fuisse inter eos identitatem. Non putabat tamen fieri posse,

7 T. G. Masaryk, Rusko a Evropa I., p. 388.

8 Vide Kazbunda l. c. Alleg. X. Epist. chargé d'affaires Brenner ministro Beust: Après le murmure général que produisit ce discours (Mr. Rieger), un des convives, le Pce Tcherkaski, répondit ex abrupto dans un sens qui expliquait les griefs que les Russes croyaient avoir contre les Polonais. Ce discours recontrait l'approbation générale, et il faut avouer que Mr. Rieger prouvait par là qu'il connaissait trés-peu la manière de penser du peuple russe, en osant parler d'un arrangement avec une partie de la race slave contre laquelle le Russe nourrit une haine traditionelle et implacable . . ., p. 88.

ut Bohemi facille orthodoxiae adhaererent. Quae res eum non fefellit.

Multa desideria cum congressu Moscoviensi coniuncta inania remanserunt. Politici duces Bohemorum putabant tacitam ipsorum demonstrationem contra dualismum Beusti bonum influxum exercere posse in statum internum in Austria. Quamquam in Russia principia foederalistica in sensu austroslavismi inculcabant, tamen suum programma austroslavicum coram imperio Austriaco in dubium induxerant, quae res illis postea omni occasione data obiiciebatur. Ab officiali gubernio Russico autem auxilium pro sua politica actione exspectare non potuerunt. Palacký bene perspexit gubernialesRussicos ne platonico quidem amore erga placita politica Bohemorum flagraturos esse.

Gubernium Russicum amicitiam cum Austria respiciens congressu, Moscoviensi non se immiscebat. Difficulter occultabat suam ambiguitatem. Volebat amicum sensum ostendere tum erga Austriam tum erga Russicos nationales sensus. Repraesentantes Russici gubernii ex officio aperte affirmabant Austriae se a panslavica solemnitate Moscoviensi abstinere, addentes illam manifestationem fieri tantum a factione sua extravagantia nota. Praeter protectoratum expositionis ethnographicae nihil esse aulae imperatoris cum re commune. Tantum magna publicae persuasionis vis et ardor in multis massis Russicis imperatorem coegit, ut delectos Bohemicos ad se admitteret. Postea aulicum oratorem poenituit, Bohemos nimis blanditiose admissos esse.[9] Sane tunc, quando Moscoviensis expo-

9 Gener. Šuvalov in Darmstadt ministro Hessenico Dalwigg. Immo ipse imperator Alexander II. eodem modo mentem suam patefecit in colloquio cum Austriaco chargé d'affaires Ritter von Vetsera 1868. Ritter von Vetsera berichtet über seine erste Audienz am 19. Juni 1868: Als der Kaiser Alexander eine Pause machte, ergriff ich das Wort und sagte mit rücksichtsvoller Ruhe im wesentlichen folgendes: ... Da Eeuer Majestät den Schleier über die Vergangenheit, fuhr ich fort, so kann ich nicht wagen ihn zu lüften, wengleich dieser Schleier kaum hinreicht um auch die jüngste Vergangenheit, ja selbst die Gegenwart zu bedecken. — Sie meinen wohl die Czechen, warf Seine Majestät ein. Es ist wahr, es bestehen da Sympathien, doch kann der Kaiser von Oesterreich wohl nicht denken, dass ich ihm seine Unterthanen abwendig machen wolle. Die Pilgerfahrt und alle diese Demonstrationen sind mir widerlich, ich habe dazu nichts gethan, ich bedauere sie... Kazbunda l. c. Alleg. VIII. p. 99 et s.

titio peragebatur, Russicum gubernium in motu populi a nationalibus panslavistis excitato spem reponebat, nam vel nonnullae ex aula imperiali personae huic machinationi favebant. Attamen, quamquam Russicum gubernium ad machinationem panslavicam animum intendere cogebatur, nullatenus se cum ipsa identificabat. Imperator Alexander II. normis patris sui Nicolai I., panslavismum quod attinet, fidelis remansisse videtur, eius tendentias democraticas timens. Exinde moderatio et ambiguitas aulae imperatoriae guberniique. Ceteroquin Bohemis mox persuasum est se ab officiali politica Russica absolute nihil pro suis tendentiis exspectare posse.

Slavici congressus Moscoviensis emolumenta, in globo considerata, — sicut olim Pragensis 1848 — prorsus exigua fuerunt. Slavicis nationibus, totaliter respectis, speciale commodum non attulerunt. Slavicus cogitandi modus certe crevit, sed gravissimae quaestiones, quae a congressu solvendae erant, inexpeditae remanserunt. Inter Slavos omnes contentiones, quae ante congressum invaluerant, (polonorussica, polonoruthenica) etiam deinceps perdurabant.

In Bohemia vero peregrinatio Moscoviensis validam vocem repercussam habuit. Bohemi delecti, domum reversi, fatalem dualismum iam sancitum reppererunt. Forte in his gravibus rerum adjunctis moralis consolatio in Russia hausta tam vive sentiebatur. Repraesentatio, „nos (prout Palacký affirmavit) non esse solum rivulum, qui in arena cerni desinit, sed esse partem Slavici maris," efficax fuit.

Sed hic moralis impulsus et animi confirmatio vehementi Slavicae affinitatis repraesentatione excitata praecipuus et fere unicus congressus Moscoviensis successus fuit. Iter in Russiam validum motum effecit, quoniam Bohemicarum ephemeridum scriptores Russicas res quam amicissime enarrare studebant et studia erga Russos ardenter acuebant. Studium philorussicum imprimis inter iuvenes, qui litteris operam dabant, crevit. Ephemerides bohemicae etiam practicum conspectum studii pro Russis commendabant.[10]

Sane non est obliviscendum motum Russis faventem maxime nspiratum esse repugnantia politica contra dualismum. Nihilominus

[10] Ostendebant, iuvenibus, qui linguam russicam optime calerent, ad administranda officia in Russia viam aperiri. Et revera multi Bohemi munera in Russia ambire incipiebant.

spiritus panslavicus, prout eum praecipui fautores concipiebant in Bohemia Moraviaque, non erat communiter diffusus. Non absque effectu manserunt impetus politici radicalis Josephi V. Frič, qui patriam reliquerat Parisiisque degebat. Qui influxu politico Polonorum regebatur, (et iam ante congressum Mosсoviensem vehementer Bohemos deterrere conatus est, ne iter in Russiam susciperent) et excursione peracta, acriter in eius duces impetum fecit, vituperans eos tamquam Russorum fautores deceptos, qui a liberalismo defecissent.[11] Similem effectum apud Bohemos, qui liberalismo nomen dederant, habuit tractatus Poloni Juliani Klaczka, „Le congrès de Moscou et la propagande panslaviste" (1867), in Gallico mensili „Revue des deux Mondes", in quo actio panslavistica et officiales res politicae Russicae acriter reprehendebatur.[12]

[11] Národní listy 1867, č. 162. In epistola publica Pragam transmissa scripsit Bohemos in congressu Moscoviensi insudasse — secundum effatum Gorčakov — „pour le roi de Prusse..." Ze strachu před pohlcením volíme utonout a vrháme se do kalných, bezedných vln, které nás omráčených dojista zas nazpět vyvrhnou. Rusko nás dílem nechce, dílem soudí, že nám prokáže dobrodiní, nás-li pohltí. Pro stálou politiku oportunity svých výtečníků je český národ zkompromitován v očích celé demokracie. Moskevskou poutí národ český nezískal ani hmotně ani mravně ničeho, sklidil jen posměch a uvalil hanbu na národ svůj.

Cui Brauner respondit (Národní listy 1867, č. 163): Frič již tenkráte, když meškal ve vlasti, jevil vždy více básnické fantasie než chladné rozvahy. Po mnohaletém pobytu v cizině ztratil půdu pod nohama... Moskevská cesta nevnesla malomyslnosti do čes. národa, aniž zastavila jeho duševní práce... V době nejúpornější tísně povznesla, důvěrou naplnila a znovu vzpružila. Národ, nedávno jako opuštěný a odevšad tísněný, nalezl pojednou bratrské spojence a druhy... Panslavismus a federalismus naprosto mohou obstáti vedle sebe, ba jest jeden druhému pravou a skutečnou podmínkou...
Vide J. V. Frič, Die Kehrseite der slavischen Wallfahrt nach Russland, Prag 1867; Buď jasno mezi námi! Obrana těch zásad a náhledů, kterých v otevřeném listě svém k redakcím veškerých novin českých vyslovil J. V. Frič. V Praze 1868.

[12] „V tomto císařství, kde se vše kontroluje, kde je vše řízeno shora, kde se nic neděje z vlastní vůle, byla cizím Slovanům popřána svoboda stěžovati si do svých vlád. Řečí a manifestací se účastnilo vojsko, obecní úřady, oficielní osobnosti. Vznesen požadavek na cara, aby pomstil staleté utrpení Kosova Pole a Bílé Hory. Rusko je pozváno uskutečnit velikou ideu..." Slovanští hosté se vrátili do svých domovů plni víry v „nebeské carství". A zda by Slované mohli zachovat svou národnost a autonomii v „nebeském

Secus etiam liberales Bohemi post congressum Moscoviensem diffiteri non potuerunt differentiam haud parvam esse in modo, quo ipsi et Russi quaestionem Slavicam concipiebant. Praeterea gubernium Russicum omne studium impediebat, quominus Slavorum unio quoad litteras et artes Russis praeeuntibus verificaretur. Brevi congressu peracto apparebat, omnia pulchra consilia, ut vividiores relationes inter Slavos exsurgerent, in scriptis solum remansura esse. Gubernium omnia, quae cum „épisode ethnographique" cohaerebant, celeriter removebat.

Nihilominus congressus Moscoviensis pro panslavismo in populo Russico evolvendo valorem retinuit. Ab hoc congressu proprie panslavicus motus novae aetatis in Russia ortum suum ducit. Philoslavjani otio se non dederunt. In proximis tribus annis aliquot novi rami „Slavjanskoje blagotvoritelnoje obščenstvo" apparuerunt. Congressu Moscoviensi peracto nonnulli philoslavjani in Bohemiam adveniebant. In ephemeridibus Bohemicis nomina praecipuarum personarum, quae Slavorum unionem promovebant, apparebant, quae Pragam advenerant, ex. gr. Georgius Samarin, Hilferding et alii. Et in hoc tempore conatus apparent orthodoxiam inter Bohemos propagandi. Quando congressus Moscoviensis peragebatur in nonnullorum mentes venit, ut Pragae templum Russicum pro orthodoxis erigeretur. Et cum hoc proposito philoslavjani studia orthodoxiam promovendi, coniungebant.

carstvu carově"? Nic se nenaučili na příkladě Poláků? Polsko bylo konstituováno na jiné a silnější základně, než měli slovanšští bratří na Sávě a na Vltavě. Národní a histor. práva rak. Slovanů byla zdeptána dualistickou soustavou. Ale Slované jsou sami vinni. Jinak by bylo, kdyby měli více „politického ducha" jako Maďaři a „pokrokové civilisace" jako Němci.

Quoad Polonos vide responsionem Brauner (Nár. listy 1867, č. 163):... Poláci jsou jediný slovanský národ, který vůbec nepěstuje vzájemnosti se svými bratry slovanskými, ano čím dále tím více se jich vzdaluje. Poláci plýtvají svými nejlepšími silami v cizině a blouzní o kraji, kde polského národa vlastně nebylo a při tom dávají si zabírati vlastní polské kraje. Celé pluky Poláků, poskvrňujíce slavnou památku Jana Sobieského, pomáhají Turkům vražditi svoje křesťanské bratry jihoslovanské, a to všecko ze zášti k Rusům. Výsledek bude, že zůstanou osamnělí, slábnouce rok od roku... Češi nemohou hledati „sympatie" Evropy tím, že by následovali Poláků. Tu raději zůstanou bez těchto sympatií a spokojí se prozatím sympatiemi slovanských bratří.

In populo Bohemorum catholico, in quo traditio catholica cyrillomethodiana novum amorem erga Ecclesiam, eiusque unitatem et catholicitatem excitabat unacum studio unionismi Slavici in sensu catholico[13] philoslavjanorum conatus nullum effectum sortiti sunt. Sub hoc aspectu congressus Moscoviensis succesus minimus fuit. Actio philoslavjanorum restringebatur ad classes politicorum liberalismo obnoxiorum, qui sub immediato influxu congressus Moscoviensis panslavismi philoslavjanici ardore ferebantur et exageratis affectibus de messianismo Russiae orthodoxae imbuebantur vel exclusive sub aspectibus politicis et nationalibus orthodoxiae favebant.[14]

Primus et solus e Bohemis, rerum civilium peritis, qui cum ostentatione orthodoxiae nomen dedit, fuit dr. Carolus Sladkovský (1823 1880).[15] Vir ceterum de patriae rebus optime meritus, extremae sec-

[13] Neigten die liberalen Sudetendeutschen nach dem Vatikans dem Altkatholizismus und nach dem Los-von-Rom-Sturm dem Lutherthum zu, so galt die Sympathie der tschechischen Liberale der Ostkirche und der hussitischen Tradition. In der russisch-orthodoxen Kirche gab es Kreise, die diesem Bestreben weit entgegenkamen,

Die Bestrebungen der katholischen Tschechen gingen dahin, diese religiöse Melodie (der erscheinenden ostkirchlichen Tradition) in den Dienst der Kirchenunion aller slavischen Völker zu stellen. Stulc hatte bereits auf dem zwölften allgemeinen deutschen Katholikentag in Prag 1860 sich für den Cyrill — und Methodverein eingesetzt, der als eine Gebetsgemeinschaft für die Kirchenunion aller slavischen Völker gedacht war. Im Bunde mit den Polen sollten die katholischen Tschechen die orthodoxen slavischen Völker in den Schoss der römisch-katholischen Kirche zurückführen. Nach der feierlich begangenen Tausendjahrfeier der Slavenapostel Cyrill und Method in Welehrad 1863 enstand hier später ein Mittelpunkt der unionistischen Bewegung... Eduard Winter, Tausend Jahre Geisteskampf im Sudetenraum, Das religiöse Ringen zweier Völker, Salzburg-Leipzig 1938, p. 389.

[14] Quidam ex politicis nimis ardore huius studii inflammati non intendebant philoslavjanos Russicos non paucos et haud minoris valoris et auctoritatis tunc iam paene nihil differre a nationalisticis Panrussis, quos Palacký tamquam adversarios periculosos sanae unionis Slavorum et iurium gentis Bohemicae abhorrebat.

[15] Dum iurisprudentiae scholis operam dat, in rebellione Pragae a. 1848 exorta partes habuit. Cum orator ardentissimus esset, dux iuvenum studiosorum factus in pugna in viis urbis saeviente dimicabat. A. 1849 illos adiuvabat, qui, instigante Michal Bakunin, Russo, viro seditiosissimo, tumultus per

tionis factionis Neobohemorum liberalium propagator strenuus fuit. Quam acerrime a catholicis esset alienatus quantumque studium neohussitismo dicaret, omnibus notissimum erat. Tantum aberat, ut iis, qui Moscoviam iter facerent, socium se adiungeret, ut eos ab itinere faciendo avertere conaretur. Postea vero auctoritate praesertim strenuissimi panslavistae protoierei Rajevskij, qui in legatione russica Vindobonae munere fungebatur, adductus est, ut orthodoxiam amplecteretur „sperans Bohemos a Russis orthodoxiae causa defensum iri".[16]

Itinere Moscoviano impulsus etiam dr. Julius Grégr,[17] quem supra nominavimus, factionis Neobohemorum propugnator, in diario Národní listy orthodoxiam favore ac gratia cumulabat adiuvante fratre suo dr. Eduardo Grégr.[18] Praeter dr. Sladkovský et fratres Grégr (qui tres viri fuerunt praecipui duces liberalismi politici inte-

totam Europam accendendos parabant. Capitis damnatus est, sed poena in carcerem 20 annorum ei mutata est. Cum a. 1857 e carcere emissus esset, ea, quae scribebat, in diariis „Čas" et postea „Hlas" publici iuris faciebat. Cum a. 1865 diaria „Hlas" et „Národní listy" in unum coaluissent, dr. Sladkovský praeter Eduardum et Iulium Grégr primus fuit, qui huic Neobohemorum tribunali curam atque operam tribuebat. Provinciae et imperii dietae deputati dignitate auctus factionis Neobohemorum res ac rationes extremis methodis promovendas curabat. In ecclesiam catholicam se infensissimum atque implacabilem ostentabat. A. 1866 patres Societatis Iesu e Praga expellendos moliebatur.

16 Vide dr. Josef Pešek, Dr. Karel Sladkovský (k stým narozeninám). Občanská knihovna, tomus 53, 1924, pg. 6. Vide praeterea Národní noviny de 7. VII. 1932 (VII., 156).

17 JUDr. Iulius Grégr (1831—1896), editor clarissimi nominis, deputatus in dieta imperii, simul cum dr. Sladkovský conditor Nationalis liberalis factionis, cuius antesignamus et praecipuus propugnator remansit. Doctorem Tyrš in fundanda associatione gymnastica Sokol iuvabat. Ea, quae in rebus civilis gessit, causa fuerunt, cur saepe persecutiones pateretur.

18 MUDr. Eduardus Grégr (1827—1907), vir in rebus Bohemorum civilibus excellens. Initio professoris J. E. Purkyně in universitate assistens, veniam docendi e physica medicali a. 1860 est assecutus, ast a. 1864 munus docendi deposuit et ad rem publicam accessit. Simul cum doctore Sladkovský et cum fratre Iulio Grégr nationalem factionem liberalem fundabat, cuius rationes etiam munere deputati dietae provinciae et imperii ornatus promovebat. Erat vir animi extreme liberalis, natura ad opponendum pronus, Veterobohemorum inimicus strenuissimus, dynastiae Habsburgorum adversarius infestissimus.

Bohemos) studium orthodoxiae dr. Brauner[19] excitabat, qui veterobohemorum nomine itineri Moscoviano interfuit et ardore communitatis inter Slavos iungendae ferebatur. In itinere Slavorum animos Russorum ardentissimis orationibus in se convertebat et familiaritate cum plurimis philoslavjanis et nationalistis Russis iungebatur, qui eum postea etiam Pragae adire solebant. Brauner, ut erat communitatis inter Slavos propugnator, Russorum panslavismo vehementer favebat. Cum esset simul in rebus religiosis liberalismi, etsi paulisper mitigati, amicus, philoslavjanorum blandimentis penitus est irretitus. Philoslavjanis Russis naviter instimulantibus studium orthodoxiae inter hosce Bohemos alacriter alebatur. Verumtamen viri isti numero perpauci remanserunt. A catholicis Bohemis conatus eorum omnino reiciebantur et apud populum nullam existimationem colligebant. Russi philoslavjani orthodoxiae disseminandae solum reperire non potuerunt nisi inter viros liberalismo religioso deditos, viros erga vitam religiosam indifferentes, catholicismo vero infeste oppositos, neohussitismi propugnatores ferventissimos. Ad horum Bohemorum ingenium philoslavjani — ad liberalem neohussitismum appellantes — causam panslavismi diffundendi conformabant. In hanc rationem suam cohortationem Aksakov et praesertim Hilferding (Hus. Eius ad ecclesiam orthodoxam relatio. Versio bohemica. Pragae 1871), praeterea etiam Lamanskij (in Slavjanskij Sbornik) scribebant. Enitebantur, ut orthodoxiam (ceterum secundum philoslavjanorum conceptiones modificatam et classificatam) Bohemis neohussitis quam acceptissimam efficerent. Factiose et fucate ostendebant, quam propenso animo Hus et Hieronymus Pragensis orthodoxiae favebant et Hussitarum saec. XV. conatus, ut unioni cum Constantinopoli iungendae via pararetur, maxime extollebant.[20] Probabant Hussitarum

19 JUDr. Franc. Aug. Brauner (1810—1880), iurisprudentiae et agronomiae peritissimus, Veterobohemorum in rebus civilibus antesignatus, panslavista ardentissimus. Plura vide in libro Quido Houba, O významu dr. Frant. Aug. Braunera. Litomyšl 1887.

20 Id imprimis tum agebatur, ut Hussitis episcopi, quos e Roma frustra petivissent, e Constantinopoli mitterentur. (Cf. Palacký, Historia gentis Boh., 1908, pg. 790.) Constantinopoli Hussitae ab hierarchia diu novatorum et atheistarum loco habebantur. Sed postquam sacerdos Constantinus Angelicus ecclesiae Constantinopolitanae confessionem Husitarum exposuit, doctrina Hussitarum (in quantum in confessione Angelici continebatur) sana et eccle-

doctrinas novas non a Wiclef placitis originem ducere, sed altissimis radicibus in purissima illa (scil. orthodoxa) doctrina defixas esse, quam Cyrillus et Methodius, Byzantini missionarii, Bohemis attulissent. Periodum Cyrillomethodianam historiae Moravorum et Bohemorum periodum orthodoxam appellabant. Philoslavjani, ut res pro suis placitis fuco exornare et idealizare proni erant, traditionem fingebant, qua orthodoxia Cyrillomethodiana in successione continua a IX. ad XV. saec. exhiberi videbatur. Orthodoxam fidem Bohemis novam non esse inculcabant: si eam accepissent, ad fidem redituros, in qua patres eorum essent educati. Hanc esse „christianitatem vivam", „vi et astucia" ad tempus inter Bohemos oppressam, nunquam vero funditus eversam. Populo Bohemorum nitendum esse, ut hunc pretiosissimum thesaurum denuo integerrimum recuperaret. Ita se acceptae libertatis christianae dono non indignum neque ingratum exhibiturum.

Verumtamen frustra sperabant christianos Bohemos saeculo saltem XIX. ad orthodoxim redituros, etsi secundum Philoslavjanorum theorias edicto tolerantiae a. 1781 proclamato talis reditus esset certo exspectandus (re vera nunquam exstitit). Vix quidam conatus animos Bohemorum tam parum capiebant quam conatus, quos philoslavjani Russici a. 1870 exantlabant. Catholicus populus Bohemorum conatus tales aversabatur, quippe qui iis ipsis annis amore erga ss. Cyrillum et Methodium factis probato magnopere Russis antecelleret et sanctorum fidei inter

siae acceptabilis est agnita et litteris die 18. m. Ianuarii a. 1452 datis Bohemi, „qui non innovationes in Ecclesia Christi introductas tenent, sed firmiter stant in fundamento fidei, quae a Domino nostro et discipulis eius est tradita," ad unionem vocabantur, non ad istam, quae Florentiae est pacta, sed ad unionem veram, quae in immutabili regula fidei innixa est." Ecclesiasticos mores et caerimonias quasdam, in quantum Ecclesiae non essent oppositae, Ecclesia Constantinopolitana permittere videbatur. Quibus litteris acceptis administratores consistorii Pragensis sub utraque responsum Constantinopolim d. 29. m. Septembris a. 1452 miserunt professionem suam proponentes, relationes ad Ecclesiam Romanam et Summum Pontificem explanantes et desiderium ostendentes, ut de unione iungenda ageretur. Ad quae Hussitarum proposita nullo modo est responsum: die 29. m. Maii a. 1453 Constantinopolis a Turcis est capta et postea numquam ad Pragensium causam agendam est reditum.

Slavos praeconum exemplo, virtutibus, intentionibus incensus multo efficacius ad christianae vitae et activitatis plenitudinem excitaretur et vitae religiosae vigorem redintegraret, cui liberales philoslavjani causam civilem panslavismi et panrussismi prosequentes alienissimi essent. Ceterum non ignorabatur, quam aperte ea, quae panslavismi antesignani clamitarent, cum illis pugnarent, quae factis gessissent: sic Ivan Aksakov, Samarin et imprimis Katkov incumbebant, ut Poloni asperrime opprimerentur, quippe qui catholici essent. Pogodin nefanda illa et atrocia scelera defendebat, quibus Muravěv, summus militum in Polonia praefectus, convicio carnifer nominatus, contaminatus est: vir ille 10.000 Polonorum in Siberiam mittenda curavit et catholicos fratres Slavos detestabili et inhumano modo oppressit et Poloniam a. 1863 tot malis obruit, ut raro nationi ulli contigit.

Quicumque in Bohemia vitam vere christianam pie colebant et ss. Cyrilli et Methodii mandata digerenda suscipiebant, panslavismum Cyrillomethodianum in Slavorum familia diffundendum alio prorsus sensu religioso intelligebant. Itaque dum viri vere pii a conatibus philoslavjanorum panslavistarum abhorrent, exigua quaedam manus neohussitarum, qui indifferentismo religioso imbuti a positiva christianitate alienissimi manebant, gestientes novis ideis applaudebant. In hosce neohussitas Bohemos a philoslavjanorum societatibus favores et honores conferebantur. Sic. v. g. cum die 5. m. Maii a. 1869 Moscoviae a benefica unitate Slavica in aedibus bibliothecae universitatis memoria 500. anniversarii diei natalis Magistri Ioannis Huss celebraretur, M. P. Pogodin in solemni oratione auctoritatem martyris Bohemi eiusque momentum extollebat in iis prosequendis, quae philoslavjani sibi proposuerant, simulque nuntiabat calicem magnificum pretio 1000 Rubl. emptum in Bohemiam missum iri, ut fratribus Bohemis ostenderetur etiam Moscoviae Mag. Ioannem Huss celebratum esse. Dono illi pretiosissimo (manu artificis Sazikov facto) versus poetae F. J. Tutčev, quibus communio Slavorum laudabatur, sunt adiecti.[21]

Philoslavjanorum societates beneficae, quibus maxima pecu-

[21] Vide relationem et imaginem in Světozor III., de 22. 10. 1869, pg. 352.

niae copia in promptu erat, diligenter curam adhibebant, ut, quod Bohemi Moscovia redeuntes optabant, aedes sacra Rossurum divinis rebus destinanda Pragae erigeretur. A. 1870, quo liberalismi contra concilium Vaticanum impetus philoslavjanos incitaverat, ut orthodoxiae in occidente propagandae vehementius insisterent, ad negotium exsequendum accessum est. Ad quem finem aedem s. Nicolai in foro Veteris Urbis Pragensis[22] elegerunt, quae tempore Iosephi II. imperatoris d. 12. m. 11. a. 1785 officiis divinis erepta et ad usum civilem versa est, exinde vero desolata remansit, donec a. 1791 a civitate Pragensi pretio 1600 Flor. empta usque ad a. 1865 tamquam cella penaria adhibebatur. Illo anno aedes obsoleta renovata et in aulam musicae est mutata. Slavjanskoje blagotvoriteljnoje obščestvo aedem emendam curabat; quod cum ei non contigisset, aedem a civitate Pragensi pretio 300 duc. annuatim solvendorum nomine sui Petrogradensis socii comitis P. A. Golešničev-Kutuzov ad 30 annos conduxit. Ut locus sacer orthodoxorum divinis officiis exornaretur, magno sumptu aedis renovatio statim est suscepta. Magna pecunia tributa est ab Obščestvo Petrogradensi et ab aliis philoslavjanorum societatibus nec non a municipali consilio Moscoviano.

A. 1871 vere ineunte renovandi opus sumptuossimum est inchoatum.[23] Eodem anno occasione impugnationum in concilium Vaticanum concitatarum Bohemica versio libri A. F. Hilferding, Huss, ejus ad ecclesiam orthodoxam relatio (Hus. Jeho poměr k pravoslavné církvi) typis dr. Ed. Grégr in lucem prodiit. A. 1872 opusculum de liturgia orthodoxa „Adumbratio historiae et liturgiae Ecclesiae orthodoxo-catholicae in Russia" (Nástin dějin a liturgie pravoslavno-katolické církve v Rusku) auctore Eduardo C. Valečka (Karlín 1872) editum est. Opusculum (continet paginas 98) nititur libro „Euchologion" auctore episcopo Michal F.

22 Ecclesia s. Nicolai in foro Veteris Urbis Pragensis cum paroecia et collegio tradita est a. 1634 monachis Slavis loco monasterii in „Emaus" (Na Slovanech). Centum annis postquam in locum venerant, vetus sacrarium clarissimo Kilian Ign. Dienzenhofer, aetatis barochianae artifici, a. 1732 novum aedificandum mandaverunt. (Aedes perfecta et consecrata est die 6. 12. a. 1737.)

23 Národní Listy de 16. 3. 1871.

Rajevskij, qui in legatione Russica Vindobonae munere fungebatur et panslavismi propugnator strenuissimus agnoscebatur. Opusculo sine dubio instigante ipso Rajevskij edito id imprimis propositum est — ut in proemio legitur — ut ad proximam consecrationem primae orthodoxae aedis sacrae Pragensis animos Bohemorum converteret. Valečka in opusculo 14 Bohemos e Volhynia (in Russia) laudat, qui a. 1870 religionem catholicam respuerunt et ad orthodoxiam transierunt. Notatu digna sunt, quae de eadem re diarium Petrogradense „Golos" scribebat. Breviter postquam in concilio Vaticano dogma de infallibilitate Romani Pontificis erat definitum, 14 Bohemi e Volhynia Isidorum, Petrogradensem metropolitam, supplices adierunt, ut in sinum ecclesiae orthodoxae reciperentur. Die 15. m. Iulii a. 1870 in diario Petrogradensi „Golos"declaratio apparuit, qua Ecclesia catholica acriter carpebatur et cui 12 Bohemi e Volhynia (ad quos postea duo alii accesserunt) nomina subscripserunt. Denuntiabant se Romam respuere, quia dogma de infallibilitate Romani Pontificis definivisset. Dogma de infallibilitate Romani Pontificis causam esse, cur Romam reicerent. Se a doctrina Ecclesiae abhorrere, „cui deus ab hominibus factus praeesset"; se antiquissimo nationis Bohemicae adversario obsistere. „A patria et dilecto populo remoti nihilo tamen secius ei adhaeremus et ardenti animo historiae nostrae paginas perlustramus. Historia nostra ostendit a tempore ss. Apostolorum Slavorum usque ad hodiernum diem nationi nostrae a Roma sescenta mala et oppressiones innumerabiles esse inflictas. Quae ss. Apostoli nostri seminaverant, Roma evellenda curavit. Romae impetus non cessaverunt, donec ii perierunt, qui in cordibus nostris semen Apostolorum Slavorum resuscitare voluerunt. Ioannes Huss et Hieronymus Pragensis sacrificati sunt, quia semen Slavorum instaurare, fidem primam redintegrare et ecclesiam nationalem renovare voluerunt, in qua ceteri fratres Slavi solatium et vigorem inveniebant. Eorum maxima culpa Romae iudicio ea fuit, quod nationis suae filii fidelissimi erant, quod cum fratribus Slavis eorumque ecclesia nationali communis sensus vinculo iungebantur. Historia renuntiat nationem nostram continenter a Roma persecutiones pertulisse, donec ultimum semen exstinctum esset, quod quovis

modo primam ecclesiae doctrinam commonefaceret.[24] Roma exinde in itinere perseverabat, quo de sublimi cultime, quem cum superba insolentia est assecuta, paulatim ad occasum corruebat. Sed etsi in labem prorueret, tamen arrogantiam non deposuit et ab inimicitiis non recessit contra illam persuasionem illamque ecclesiam, cui tota vita, omnibus studiis, totis viribus, omni verbo suae doctrinae adhaerebant et serviebant ss. Slavorum Apostoli et cum iis noster Mag. I. Huss eiusque amicus Hieronymus. Quapropter omnibus caris amicis et propinquis nostris in patria dilecta et inter ceteros fratres Slavos nuntiamus nos plenissima persuasione ductos Romam eiusque doctrinam respuere. Simul ad illam divinam doctrinam redimus, quae initio nationi nostrae est evangelizata. Ad fidem maiorum nostrorum revertimur."

Haec declaratio tenuiculas rationes, quibus philoslavjani panslavismum fulciebant, fideliter in lucem profert. Re vera haec erat proclamatio, qua unioni Bohemorum cum orthodoxia Russorum fundamentum est positum. Unio horum 14 Bohemorum e Volhynia cum Ecclesia orthodoxa Russica peracta est solemniter ab ipso metropolita Isidor in ecclesia cathedrali s. Alexandris Něvskij Petrogradii die 1. (13.) Octobris a. 1870.

Notatu dignum est initium unionis Bohemorum cum orthodoxia non in Bohemia esse factum, sed **in Volhynia in Russia** inter Bohemos, qui ibi colonias incolebant. Dum Pragae incitamenta ad unionem cum orthodoxia iungendam ne inter liberales panslavistas quidem aliquid proficiunt, exigua manus Bohemorum in Volhynia „fundamentum" ponit unionis cum orthodoxia. Adhuc a. 1872 philoslavjanorum propugnatores nullos recenter factos orthodoxos in Bohemia reperiunt et praeter illos 14 Bohemos colonos in Volhynia neminem habent, in quo effectum suorum temptaminum ostendant. Ast in Volhynia studium orthodoxiae propagandae increscit. Orthodoxis Volhyniensibus recenter conversis ad religionem orthodoxam lingua Bohemica discendam bohemicis catechismis orthodoxis, ad sacras caere-

[24] Notatu dignum, quam aperte in declaratione hac approbatio thesium prodatur, quibus philoslavjanismi propugnatores, imprimis Hilferding et Lamanskij, historiam ad fines suos inflectebant.

monias intelligendas bohemicis versionibus liturgiae orthodoxae aliisque libris popularibus opus est. Quae omnia Pragae quidam viri, orthodoxiae faventes, edenda procurant.[25] Hac de causa imprimis supra nominatum opusculum auctore Valečka est editum et a. 1873 secuta sunt scripta: „Expositio doctrinae orthodoxae Ecclesiae christianis aliarum confessionum destinata" (Výklad učení pravoslavné církve pro křesťany jiných vyznání) auctore prof. Bažanov (Pragae 1873) et denique primus catechismus orthodoxus „In quo substantia orthodoxiae consistat?" Catechismus brevis orthodoxae fidei in quaestionibus et responsis digestus. E lingua Russa in Bohemicam versum a dr. A. Dobiáš. Pragae 1875 (V čem záleží tresť Pravoslaví? Malý katechismus Pravoslavné víry v otázkách a odpovědích. Z ruského přeložil Dr. A. Dobiáš, Praha 1875). Qui primus catechismus iam in memoriam orthodoxae aedis russicae s. Nicolai die 16. m. Augusti a. 1874 consecratae est editus.

Consecratio modo solemni est celebrata. Inaugurata est sabbato die 15. m. Augusti sub vesperum sonitu campanarum, quae e Russia sunt advectae. E Russia simul centeni Russi venerunt. Consecrationem aedis insignis ille panslavismi propugnator episcopus Mich. F. Rajevskij ex legatione Russica Vindobonae perfecit. Praeter ep. Rajevskij sacerdotes orthodoxi Kustoděv e Budapest, Rozanov e Dresden et spirituales administratores Kozma, natione Bulgarus, Kišeněvio e Bessarabia, qui tum morbi curandi causa in balneariis Mariánské Lázně (Marienbad) degebat, sollemnitati assistebant. Sacra sollemnia, per vesperarum officium sub vesperum die 15. m. Augusti inchoata, cantibus chori Russorum, qui consulto Petrogradio venerant, comitabantur. Večerňa precibus pro Russorum imperatore, Austriae imperatore et ecclesiae Russicae profectu est absoluta. Consecrationis ipsius ritus dominica d. 16. m. Augusti celebrabantur. Inter eos, qui honoris causa ad solemnia invitati caeremonias aspiciebant, inveniebantur Palacký, Huleš, primator Pragensis, dr. Brauner, consilii municipalis socii et deputati civitatis Pragensis et oppi-

[25] Jar. Hrubý, Výbor pravoslavných spisů náboženských. Katalog pravoslavné literatury na Národopisné výstavě českoslovanské v Praze 1895, redig. Jos. Kafka, č. 327.

dorum provinciae, nonnulli deputati dietae provinciae et imperii et multi alii. Culmen sollemnium sacra liturgia fuit, cuius officio assistentibus sacerdotibus orthodoxis ep. Rajevskij fungebatur.[26]

Curae ecclesiae consecratae et divinis officiis obeundis sacerdos A. Lebedĕv, natione Russus, est praefectus eique adiuvando diaconus est constitutus, ambo a benefica societate Petrogradensi sustentati.

Russi hospites per longius tempus Pragae remanserunt, ut res et rationes suorum gentilium cognoscerent. Russi, qui Pragae residebant, operae eorum praesto erant.

Ast neque consecrationis sollemnia neque privata propagatio hospitum Russorum quicquam Bohemos movebant, ut orthodoxiam amplecterentur. Nuntii, qui de solemnitatibus referunt, tacent de Bohemis orthodoxis, qui Pragae invenirentur. „Circulus russicus", qui nuncupabatur, paucissimis viris constabat, qui orthodoxiam favore quidem prosequebantur, sed rarissime et singulatim ad orthodoxiam transibant. Non religionis studio, sed rationibus civilibus et nationalibus potius duci videbantur, cum remissam quandam operam orthodoxiae dabant. Philoslavjani frustra in Bohemia orthodoxiam seminandam moliebantur; manus illa virorum, quorum quidam orthodoxiam sunt amplecti, nullius propagationis religiosae capax erat. Inter viros liberalismo et neohussitismo deditos communitas, quae vitae religiosae vigore et verae pietatis fervore impleretur, nasci non potuit. Hicce conatus nullius momenti, a sensu et vita religiosa Bohemorum prorsus discrepans, est cassus. Orthodoxia arte inter Bohemos insita nullum vitae vigorem ostendit. Ne numero quidem assectarum sequentibus annis adeo saltem accrescere potuit, ut ad normam mitissimae legis de die 20. 5. 1874 num. 168 leg. imp. societatem aut communitatem religiosam efficeret. Quam exigua sit illa

[26] Consecrationem perscribunt diaria Národní Listy de 17, 8. 1874, num. 224; Mor. Orlice de 19. 8. 1874, n. 188. — In frequentibus nuntiis, quibus Národní Listy (cuius periodici editoribus causa maxime cordi erat) ad consecrationem animos legentium convertebant (18. IV; 29. V.; 15. VII; 31. VII; 10. VIII. a. 1874) nihil de Bohemis orthodoxis legitur. Ea sola referuntur, quae ad consecrationem preparandam fiebant vel quae ad historiam eadis in russicam cerkev mutae spectabant.

orthodoxorum manus, primum monumentum 30 annis postea probat, in quo **soli 21 orthodoxi Bohemi** a. 1903 nominantur (tabulae de sessione constitutiva societatis „Pravoslavná Beseda" de die 11. (24.) m. Marii a. 1903).

Haec difficillima orthodoxiae Bohemicae initia exeunte saec. XIX. disertissime ostendunt, qualis fuerit in natione Bohemica sensus religiosus et quali ruina philoslavjanorum labor, ut orthodoxia in Bohemia propagaretur, profligatus sit. Erant sane et sunt adhuc, qui talem „Bohemorum ad primam fidem reditum" sine ulla critica investigatione et graviter contra verum offendentes fuco et arte exornarent et exornent. Quattuordecim Bohemorum in Volhynia ad orthodoxiam transitus ita enarratur, utsi de re **in Bohemia** facta ageretur et non inter Bohemos colonos in Russia. De Bohemorum „communitate" orthodoxa scribitur, ut plurimi Bohemi ad orthodoxiae transire videantur et ut astute dissimuletur conatus orthodoxiae inter Bohemos inserendae eventum funestissimum habuisse.[27] Immo initia orthodoxae ecclesiae Bohemorum in annum iubilaei 1863 reponuntur, quod gravissime vero contradicit.[28] De ecclesia s. Nicolai a. 1870 conducenda scribitur, quasi aedes orthodoxa communitati Bohemorum orthodoxorum Pragae iam existenti instituenda fuisset et generatim quasi

27 Praeter breves publicationes Bohemorum neoorthodoxorum, quae nullius sunt momenti, vide paesertim: Vladimír Grigorovič, Pravoslavná církev v republice Československé. Praha 1926, pg. 33, 40ss (etiam in secunda editione recognita 1928).

28 Sic. ep. Gorazd Pavlík, O krisi v církvi československé. Otázka pravoslavné církve v Československu. Praha 1924, pg. 41 et seq. Fatetur tamen, solos „aliquot Bohemos magis nationalibus et civilibus quam religiosis rationibus impulsos ducibus Sladkovský et Grégr ad orthodoxiam transisse". Iubilaeum a. 1863 falso cum iubilaeo millenarii anniversarii mortis s. Cyrilli a. 1869, quod in Russia celebrabatur, confunditur. Cf. Oslavení tisícileté památky prvosvětitele Slovanů sv. Cyrilla 14. (26.) února 1869 v Petrohradě a Moskvě (bohemice et russice) Pragae, typis dr. Ed. Grégr 1869.

Qui initia orthodoxiae in Bohemia in a. 1863 reponunt, probant se ignorare, quae temporum et rerum rationes fundamenta orthodoxiae in Bohemia posuerint (philoslavjanismus scil. et iter Moscovianum a. 1867). Eadem nota animi rudis et criticae inscii est inurenda iis, qui putant cultum ss. Cyrrilli in oriente Slavico a. 1863 ansam praebuisse, ut orthodoxia in Bohemiam insereretur. Eodem ipso a. 1863 ostensum est, quam profunde cultus ss. Cyrilli et Methodii in oriente orthodoxo occidisset et e contrario catholicae

de templo Bohemis orthodoxis destinando actum esset. Falso affirmatur Pragae tum nullos fuisse Russos stabiliter residentes et solos Russos hospites Pragae ad tempus consistere soluisse, dum morborum curandorum causa in balnearia Karlovy Vary (Karlsbad), Mariánské lázně (Marienbad), Františkovy lázně (Franzensbad) iter iter facerent,[29] etsi in periodico Národní Listy inter ea, quae de consecratione russicae aedis orthodoxae Pragensi die 17. 8. 1874 scribebantur, expresse affirmatur Russos Rragae residentes, qui Russicam Pragae ecclesiam efforment, **numero 86 esse.**

Partes quas fratres Grégr (interdum dr. Iul. Grégr cum dr. Rieger confunditur) et dr. Brauner in Bohemis cum orthodoxia reconciliandis habebant, nimium exaggerantur, dum astute reticetur viros illos, qui ad tempus civilibus, nationalibus, panslavicis rationibus impulsi orthodoxiae faverent, ipsos ad orthodoxiam **non transisse.** Dr. Sladkovský, qui acerbissimo in ecclesiam catholicam odio notissimus erat, orthodoxam religionem solus est amplexus solusque hac in ratione remansit.[30]

Ut dr. Eduardus Grégr, qui de cetero a rebus agendis remotior erat, ita imprimis dr. Iul. Grégr rationibus civilibus impellebatur, ut orthodoxiae faveret. Studium hoc vero nonnisi occasione data et ad tempus animos fratrum Grégr movebat. Holeček[31] expresse tes-

nationes Slavicae iubilaeo uno animo celebrato probaverunt se in cultu ss. Apostolorum Slavorum nemini primum locum cedere. In Moravia et in Bohemia jubilaeum exclusive in spiritu catholico celebrabatur, cum Velehradii tum Brunae. Brunae solemnitatibus viri e maxime diversis classibus Bohemorum — non exclusis ipsis liberalibus — solemnitatibus intererant — nominemus v. gr. Palacký, Rieger, Purkyně, Brauner etc.

29 Vide Grigorovič, 1. c. pg. 40.

30 Dr. Sladkovský in orthodoxia usque ad mortem perseverabat; moriens sacerdotem catholicum vocari iussisse dicebatur (de rumoribus istis, e quibus nihil planum confirmatumque est, vide ea, quae in „Národní Listy" et in „Čas" disputabantur. Mortuo in manum crux lignea est posita, quam ab ep. Rajevskij occasione receptionis in orthodoxiam acceperat. Sepeliendus ex aede russica s. Nicolai d. 7. m. Martii a. 1880 elatus est. Funeris exsequiis per protoiereum Lebeděv absolutis in coemeterio Olšany sepultus est. — Notatu dignum est in iis, quae Národní Listy de vita et meritis Sladkovský enarrant, nihil inveniri, quod mortui modum agendi in rebus religiosis et ecclesiasticis illustret.

31 Josef Holeček, Tragédie Julia Grégra. Pragae. Pg. 318. Liber annis 1911—1914 scribebatur.

tatur: „Studium hoc numquam pars eorum evasit, quae Neobohemorum factio sibi proposuerat, et mortuo Iulio Grégr paulatim e paginis diarii Národní Listy disparuit et ab iunioribus nunc tamquam retrogressio explicatur, quae in societatem liberalem irrepsit, mox vero ex ea est expulsa et ianua ei clausa, ut numquam reverti posset. Ceterum in causa ista opinio Iulii Grégr vehementer a sententia aliorum ducum factionis eius discrepabat..."[32]

Et Eduardus et Iulius Grégr in religione catholica usque ad mortem remanesrunt. Dr. Iul. Grégr tamquam catholicus est mortuus. Cum vir de patriae rebus optime meritus esset, tota natio supremum mortuo honorem persolvebat. Sepultus est ritu catholico die 7. m. Octobris a. 1897.[33]

Simili modo est elatus etiam dr. Ed, Grégr, qui die 1. 4. 1907 in Lštění apud Čerčany diem supremum obiit et a dr. A. C. Stojan, dietae imperii deputato (postea archiepiscopo Olomucensi) sepultus est.[34]

32 Ceterum Holeček de relatione Iulii Grégr ad orthodoxiam nihil dicendum repperit. Quae Iulius Grégr de religione sentiebat, Holeček verbis enarrat: „Chtěl, aby jeho strana nebyla jen jednostranně liberální, nýbrž všenárodní. Proto nikterak s klerikály se nezbližuje, dal souhlas, aby v jeho listu (Národní listy), když se udá, bylo promlouváno o nutnosti, aby mladočeská strana zaujala k české otázce náboženské takové stanovisko, jaké jí náleží jako straně národní, aspirující na význam všenárodní. Jako soukromá osoba byl Jul. Grégr vůbec k otázkám náboženským lhostejný, ale jako český národní politik uznával, že nutno si všímati a znáti život všeho národa a nikoli pouze některé jeho části... Juliu Grégru slouží ku chvále, že měl porozumění pro potřeby celého národa i každé jeho části, že všechen národ český v srdci nosil a nevykrajoval z něho kusy ke své osobní libosti. Proto myslil i na ty „svíčkové báby", jak se mu posmívali političtí přátelé, v tomto bodu s ním se nesrovnávající... Z rozmluv s P. Kopalem čerpal naději, že bude možno utvořiti stranu národně katolickou, jako dával podněty k utvoření strany národně socialistické, a obě učiniti pevnými články v řetěze všenárodní obranné organisace." L. c. pag. 318, 320, 322.

33 Dr. Knobloch, parochus ecclesiae in Týn, et P. Janků, parochus ecclesiae s. Henrici assistentibus sacerdotibus exsequias ducebant. In coemeterio Olšany P. Kareš, parochus, ritus sacros obibat. Missae sacrificium pro defuncto die 8. m. Octobris a. 1896 in aede s. Henrici et in Libšice est oblatum. In cantibus latinis, qui a choro Pragensi ‚Hlahol' in exsequiis canebantur, Holeček acerbissime signum ‚tragoediae' Iulii Grégr sentiebat.

34 Vide, quae in diario Národní listy die 4. 4. 1907 de funere eius scribuntur: „Pohřeb dr. Ed. Grégra konal se v pátek z kostela na Hradišti ve Lštění nad Sázavou... Zvony kostelíka sv. Klimenta ke 4. hod. odpolední se roz-

Ardentissimo studio ac fervore dr. Brauner orthodoxiam prosequebatur, qui annis ca. 1870 communitati inter Slavos iungendae operam navabat et in constituendo „circulo Russico“ Pragae primas partes habuit. Sui panslavismi gratia maxime inter Russos Pragae residentes popularis est factus et amicitiae vinculis cum Russis iungebatur, qui Pragae eum adire solebant. Cum de communitate Slavorum et de orthodoxia optime meritus esset, ab Alexandro II. Russorum imperatore ordine s. Vladimiri est ornatus (comes Andrássy tame ordinem in tabulario ministerii rerum externarum retinuit; traditum est doctori Brauner diploma a Petrogradensi sectione Slavicae societatis beneficae et magnificum album a sectione Moscoviana).

Orthodoxiae ad tempus et ex rationibus civilibus operam dabat. Mortuus est tamen tamquam catholicus et desideravit, ut missae sacrificium pro salute animae eius offerretur, ut in missa Requiem a Mozart compositum caneretur et ut in coemeterio Vyšehradii sepeliretur.[35] Elatus est die 26. 6. 1880 ex aede Beatae Mariae Virginis „ante Týn“ (před Týnem) solemni ritu ecclesiastico absoluto.[36] Inter eos, qui mortuum in coemeterium ferendum comitabantur, patres Ordinis Fratrum Minorum et plurimi sacerdotes catholici praeter civiles viros eximios conspiciebantur (sane etiam „Circuli Russici“ socii aderant). In coemeterio Vyšehradii sepultus est a praeposito capituli Vyšehradensis Štulc, clarissimo zelatore Cyrillomethodiano, qui mortui de patria et natione merita oratione super tumulum habita laudavit[37]. Continuabitur.

kvílely . . . Po půl paté hod. odpol. zahájeny tklivé obřady zapěním mužského sboru pražského Hlaholu, který před výkropem zpíval Bendlův sbor „Mezi kvítím“, při výkropu pak „Salve“ řízením p. Krtičky. Církevní obřad vedl P. dr. Ant. C. Stojan s kněžími J. Benešem z Poříčí, J. Mokráčkem z Netvořic, Ad. Lenzem z Benešova a Jos. Matějem z Poříčí.

35 Národní listy, de 22. 6. 1880.

36 A choro „Hlahol“ cantata sunt super mortuum cantica: „Animas“, „Přes vršiny“ auctore Zvonař, „Salve“ auctore Bendl, „Miserere“ auctore Vašák. Vide Národní listy de 25. 6. 1880.

37 Filia doctoris Franc. Brauner, Sidonia (Zdenka) Braunerová, arte pingendi clarissima (nata 1862, mortua 1938), mulier pia et catholicae religioni ferventer dedita, auctoritate, qua inter Pragenses summi ordinis plurimum valebat, etiam inter eos, qui praesidentem Masaryk circumdabant, ecclesiam catholicam strenue defendebat et sectarismi spiritum inter Bohemos omni opportunitate data acriter impugnabat.

# DE ARGUMENTIS EUGENII AKVILONOV CONTRA CONCEPTUM ECCLESIAE PROUT EA EST SOCIETAS

*Joseph Luska.*

(Continuatio)

## *10. Ecclesia est divino-humanum corpus Christi, non societas.*[79]

Akvilonov prosequitur suas obiectiones dicens: „Ecclesia est divino-humanum corpus Christi." Attamen obici potest: Obiectum certum sumitur non tantum in concreto ut quid totum, sed etiam in abstracto in relatione ad unam partem constitutivam. De Persona Dei-hominis in theologia agitur in abstracto, tum divina tum humana natura in Christo separatim dilucidatur. Similiter in doctrina de Ecclesia: Sicut in Christo natura humana illustratur, sic de Ecclesia terrestri loqui possumus. Examinemus talem obiectionem! Expos. A

Aspectus superior dari debet i. e. dependentia Ecclesiae a suo capite, a Creatore. Quod non facit theologia, sed tantummodo analogiam inter naturam Dei-hominis humanam et terrestrem partem Ecclesiae dat. In quo omnino haec pars super primam praevalet. Sed Ecclesia est unum corpus Christi, immo Christus caelum ascendit et initium novae verae vitae hominis in eius coniunctione cum Patre caelesti ostendit. Nunc omnes credentes in Christum et membra Ecclesiae sunt cives caelestis Jerusalem. Responsio

Patet defectus theandricitatis in eius doctrina. Ecclesiam esse divino-humanum corpus Christi recte asserit. Sed sequentibus verbis suam primam propositonem reicit demonstrans quasi ab-

[79] Церковь pag. 92—94. — Unde sumpsit ideam de divino—humano corpore Christi, de theandricitate non explicite indicat. Forsitan ex Vlad. Soloviev, qui thema illud magnifice explanavit. Ceterum etiam apud alios theologos sententia ista occurrit. Akvilonov recte quidem sed breviter statuens similitudinem inter Christum et Ecclesiam asserit: „Какъ Самъ Господь нашъ Христосъ одновременно есть и Богъ и человѣкъ, такъ и Своей Церкви Онъ сообщилъ одновременно и Божественную и человѣческую природу: Церковь есть богочеловѣческое тѣло Христово". (Церковь, стр. 92).

sorbtionem elementi humani in corpore Christi et tantum divinum in praevalentia extollens.

Nunc credentes in Christum et membra Ecclesiae sunt cives caelestis Jerusalem, distinguendum est. In potentia, in fieri, destinatione: concedo. In esse: nego. — Ecclesia in terris est continuatio Christi Incarnati non in quantum caelum ascendit, sed in quantum in terra degit.

Nil mirum, si archimandrita Pavel[80] tali modo Akvilonovo respondet. Facit scilicet homiliam in diem Nativitatis Domini et explicata narratione de pastoribus et apparitione angelorum apud Bethlehem (Luc. 2, 9—12), quaerit: ubi haec evenerunt? In caelo vel apud nos in terra? Cui angelus gaudium anuntiavit, caelestibus vel terrestribus incolis? Non caelestibus, qui gaudio aeterno replentur, sed terrestribus. Angelus dicit: Anuntio vobis, pastoribus, vobis in hac terra, addens hoc gaudium erit omnibus hominibus, non mortuis sed viventibus. Est gaudium illud, quia natus est vobis, iterum in hac terra viventibus, Redemptor Christus, non angelis, quibus non est opus redemptione a peccato et morte. — Quod etiam Ecclesia in symbolo fidei confitetur: credo in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei ... propter nos homines — et non propter spiritus angelorum — et propter nostram salutem descendit de caelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Natus est hodie vobis Salvator. Ipse est Dominus et Creator totius mundi, caeli et terrae; sed pro nobis, lapsis hominibus, non solum Dominus et Creator, sed insuper Redemptor est. Etiam angeli participant laetitiam hominum de Nativitate Domini, sed ipsi cantant: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus. Congaudent cum hominibus et loco eorum Deum laudant nuntiantes pacem, quae cum nativitate Christi in terra apparuit, non in caelo, ubi semper fuit et erit. Hominibus bonae voluntatis i. e. nobis in terra habitantibus, et non respicimus angelos, qui iam in Dei frutione habitant.

Incarnatio Filii Dei et omnis eius cura propter nostram salutem facta est. Redemptionem nos per fidem in Domini Incarna-

[80] Братское Слово 1895, I. pag. 77—79. — Non quidem nominat, sed ex tenore contionis et adnotatione redactoris Subbotin (pag. 77, adnot. 1) patet agi de Akvilonovo.

tionem, quae propter nos facta est, acquirimus: per ingressum in eius sanctam Ecclesiam fundatam in terra a Domino propter nos incarnato, per sacramenta ab Eo in hac Ecclesia constituta, mediantibus quibus dona Spiritus Sancti nobis praebentur. Si Ecclesia in terra non est, sicut nonnulli loquuntur,[81] nec sacramenta sunt; si sacramenta non sunt, neque redemptio nec gaudium est. Quomodo tunc verba angeli componantur: annuntio vobis gaudium magnum quod erit omnibus hominibus, quia natus est vobis hodie Salvator? Cur gauderent nunc temporis contionatores, qui non admitterent exsistentem Ecclesiam in terra et tantum in caelo posse admitti dicerent? Si etiam pastores Ecclesiae essent, qui tales sententias admitterent, tunc vellemus eos pastores Ecclesiae caelestis et non terrestris vocare; sunt membra hierarchiae caelestis et non terrestris: cur habent adhuc festum terrestre Nativitatis Domini? Cur partem habent in gaudio cum incolis terrae de nostra redemptione? Hoc gaudium est nostrum, viventium in terra et non illorum; sicut redemptio nostra et non eorum... (Haec quoad sensum sunt sententiae archimandritae Pavel in meditatione in diem Nativitatis Domini.)

Facili et omnibus perspicuo modo argumentatur et optime consequentias talis doctrinae ostendit.

Akvilonov tamen aliquantulum aliter suam propositionem probavit. Nos sumus unum corpus cum Christo. Christus caelum ascenet nova vita in Ecclesia esse coepit, nos fillii adoptivi Dei sicut Christus, naturalis Filius Dei, sumus nunc cives caelestis Ecclesiae. —

Attamen Verbum Incarnatum sibi Ecclesiam ad imaginem et similitudinem suam efformavit. Sicut Christus vixit in terris et postea caelum ascendit, ita Ecclesia debet esse hisce in terris et etiam in caelo. Secundum assumptam humanitatem Christus est exemplar Ecclesiae, corporis sui. Christus exemplum nobis dedit, ut simili modo sicut ipse ageremus. Propterea Verbum caro factum est, Christus Deus in natura divina et invisibili genitus a Patre, factus est homo ex hominibus in natura humana et visibili, ut nos qua homo doceret, ut etiam nos eum visibilem qua hominem sequi possemus. Sicut unusquisque christianus sequitur et imitatur hisce in terris Christum in terris degentem et non ad dexteram

[81] Redactor adnotat sermonem esse de Akvilonovo.

Dei sedentem, sic et Ecclesia militans et in terris laborans debet ad exemplar Christi in terris ambulantis construi et eum imitari sicut ipse vivebat et patiebatur in vita sua mortali; similiter Ecclesia caelestis efformata est ad exemplar Christi resurgentis, quoad humanitatem transfigurati. Nam qualis universitas Christi, talis debet esse universitas Ecclesiae.

Utique finis incarnationis, de quo sermo est, fuit ut genus humanum repararetur. Quae autem reparatio vel restauratio effecta est, ut Verbum Incarnatum sibi genus humanum in Ecclesiam ad imaginem et similitudinem suam formaret, nam ad imaginem et similitudinem Dei Verbi condita sunt omnia primitus sicut nos Apostolus docet: „Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia . . ."[82]

Si Ecclesia non plene ad exemplar suum Christum facta esset, docetismus in ecclesiologiam introduceretur.[83]

Ex propositione Akvilonovi de divino-humano corpore videtur evolvi posse doctrina de Ecclesia ut societate perfecta, si naturam humanam Christi extendimus ad Ecclesiam. Christus fuit cum Deus perfectus tum etiam homo perfectus.[84] Nihil divini Christo deest, etiam in natura humana Christi habetur plenitudo, nulla imperfectio, nihil incompletum, nullus hiatus. In eo divinitas sustentabat, elevabat et sanctificabat naturam Eius humanam. In Christo natura humana erat perfectissimum instrumentum naturae divinae.

Similis character theandricus est proprius unicae verae Ecclesiae. Plenitudo naturae humanae Ecclesiae requirit, ut ipsa sit integra et perfecta societas humana. Immo Christus aliquo sensu est magis homo quam alii homines, quia divinitas eius humanitatem sustentabat, aderat plenitudo perfectionis. Ecclesia tali modo potest dici perfecte perfecta societas in comparatione cum statu. Ecclesia est multo magis perfecta et multo magis humana quam

[82] Col. 1, 16.

[83] Aliquo sensu improprio, translato potest concedi Ecclesiam iam nunc imaginem Christi, qui a mortuis resurrexit, exhibere sc. spectando vitam supernaturalem gratiae in terris. (Cf Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 320).

[84] Vide de his Tyszkiewicz: Praelectiones pag. 330 ss; Ученіе о Церкви pag. 135 ss, 28—35; La sainteté de l'Eglise, pag. 463.

res publica, multo magis evoluta quam in statu perfectissimo adest. Ecclesia debet „solida, stabili et plane independenti auctoritate hierarchica humana pollere; quae possit cum efficacitate statuere leges, iudicare et a corpore Ecclesiae resecare contumaces, ut in ea habeatur praeter lumen gratiae propria collectiva vita intellectualis cum indeficienti progressu cognitionis rationalis veritatum aeternarum in quantum sunt accessibiles rationi naturali; ut ipsa perpetuo operetur omnibus honestis mediis naturalibus ad salutem et perfectionem omnium procurandam; ut possideat omnia quae pertinent ad naturam omnis institutionis humanae."[85]

Externa autem haec omnia et visibilia suam propriam rationem et valorem habent a donis internis, a quibus promanant et quibus informantur sicut habetur in Christo capite, in quantum sc. eius natura visibilis exaltatur et sanctificatur per Verbum; nam tota Ecclesia est templum Spiritus Sancti, qui eam donis et gratiis suis inhabitat.

### *11. Definitio Ecclesiae per conceptum societatis deest in Scriptura et Traditione.*[86]

In Sacra Scriptura et in Traditione nec scientifica nec systematica doctrina de Ecclesia adest. Invenitur autem inexhauribilis thesaurus pro scientifico-theologica elaboratione talis doctrinae. Theologica doctrina talem definitionem Ecclesiae, quae praecise doctrinae scripturisticae et traditionali respondeat, construere debet. Expos. A.

Dantur in Scriptura et Traditione concretae (non abstractae de societate credentium) denominationes: corpus Christi, domus Dei... et multae similes. Tam multae expressiones, sed nomen societatis non invenitur. Certe rationem habuerunt evitandi talem significationem. Quae circumstantia ex impossibilitate faciendi conceptum abstractum probari non potest.

Maximus inter apostolos et theologos, Paulus, numquam voce „societas" ad Ecclesiam definiendam usus est, sed locutus est de uno indiviso divino-humano corpore Christi, ad quod omnes cre-

85 Tyszkiewicz, Praelectiones..., pag. 30.

86 Церковь, стр. 95—97.

dentes in Christum cum in terris tum in caelis pertinent. Casum fortuitum in hoc cernere licet, potius tamen habuit rationem suam s. Paulus, quia denominatio ea optime non solum religiosis, sed etiam scientifico-theologicis desideriis satisfacit ut integra et determinata; quibus longe non satisfacit conceptus societatis credentium.

Responsio

Reiciendo hanc obiectionem sequentia adnotamus. Ecclesiam esse veri nominis societatem e doctrina Evangelii de regno caelorum auctores catholici demonstrant.[87]

Akvilonov[88] de regno Dei dicit: inter vos est secundum Scripturam (Luc. 17, 21). De Ecclesia hoc praedicari non potest. Sub influxu ergo unilaterali protestantico radicaliter reicit identitatem regni Dei cum Ecclesia Christi, nam iuxta eum sermo est de regno gratiae, quod clam et interne advenit. Exprobrat theologos catholicos eos ex hac identitate demonstrantes iuridicum characterem Ecclesiae similem statali iuridicae institutioni efficere. Argumentum pro sua thesi Akvilonov in comparatione regni Dei ad hoc vel illud habet, dum de Ecclesia nullibi sermo fit de similitudine sola corporis Christi ad Ecclesiam. Regnum caelorum „simile est grano sinapsis . . .", simile est farinae, simile est homini mercatori, simile est thesauro abscondito . . . Similitudo et identitas sunt duae res diversae, comparatio non est probatio. E contra Apostolus Ecclesiam directe corpus Christi nominat.

Non omnimodam identitatem Ecclesiam inter et regnum caelorum praedicamus, nihilominus terrestris Ecclesia organisatio regni Dei in terra vocari potest. Adnotat ad hoc Grivec: „Talem conceptum regni Dei sensu organisationis ecclesiasticae contradicere conceptui Pauli de corpore Christi mystico Akvilonov putat."[89] Sed revera conceptus Christi in Evangelio conceptui Pauli valde aequiparari potest. Ambo conceptus unionem Ecclesiae terrestris cum caelesti et cum interno regno gratiae mediante Christo, rege et capite Ecclesiae, illustrant.

[87] Sic Dieckmann, I, pag. 14—184; Schultes, pag. 38—44; Franzelin, pag. 75—88; Ives de la Brière, 1221—1248; Pospíšil, pag. 13—14.

[88] Новозавѣтное ученіе о Церкви, стр. 45—54.

[89] „Akvilonov misli, da pojem kraljestva božjega izraža pravno cerkveno organizacijo v nasprotju s Pavlovim pojmom mističnega Kristusovega telesa.

Akvilonov argumentationem iuxta citatum textum construit; exegesis autem contextum exhibere debet.

„Interrogatus autem a pharisaeis: Quando venit regnum Dei? Respondens eis, dixit. Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est" (Luc. 17, 20—21). Christus reicit regnum politicum, quod pharisaei cum rumore adventurum esse exspectabant. Regno Dei nec opus est externo splendenti apparatu vel praeparatione sicut regna terrestria propter fines politicos vel oeconomicos faciunt; nec de una nationali religione potest dici[90] eam esse regnum Dei. Nec certe Christus pharisaeis dixit: regnum Dei in animis vestris est. Sed „Christus voluit dicere: In his civitatibus et vicis, ubi vivitis, inter vos, in populo vostro, sine clamore iam nunc crescit, independens a synagoga, societas religiosa discipulorum Christi."[91]

Praeter vocem regnum Dei vel regnum caelorum, qua figura praecipue character socialis[92] et organicus nec non dominum Dei insinuatur, vocatur Ecclesia saepe civitas Dei,[93] unum ovile (Jo. 10, 16), ex quibus similis institutio iuridica deduci posse liquet (si praetermittamus multas parabolas).[94]

Inveniuntur etiam aliae expressiones in Scriptura aequivalentes conceptui societas. Sic Christus omnes discipulos in unum „gregem" colligit;[95] satis ergo insinuatur societas cum praepositis episcopis et organisatione iuridica.

Ecclesia debet esse determinata, peculiaris societas, ut in omnibus casibus dubiis diiudicare possit secundum illud Mathaei: „Si

A v resnici je evangeljski, Kristusov pojem kraljestva božjega po svoji globokosti in obsežnosti enakovreden Pavlovemu pojmovanju mističnega telesa Kristusovega. Oba pojma osvetljujeta zvezo zemske cerkve z onostransko nebeško cerkvijo in z notranjim kraljestvom milosti po posredovanju Kristusa, kralja in glave cerkve. Kraljestvo božje in telo Kristosovo veže nebo in zemljo, Boga približuje človeku, človeka pa dviga k Bogu." (Grivec, Cerkev, pag. 34.)

90 „Ecce hic, aut ecce illic."

91 Tyszkiewicz, Ученiе о Церкви, pag. 127; Cf et pag. 109 s.

92 Ipsa vox „regnum" hoc clare praebet.

93 Mt. 5, 14; 12, 25 ss; Hebr. 12, 22; Apoc, 11, 2.

94 Vide adhuc Dieckmann I, pag. 111—114.

95 Act. 20, 28.

autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum... vel adhibe adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo." (Mat. 18, 15—18).

Concedentes omnem praeeminentiam verbi „corpus" apud Paulum, haec adnotare malumus: Paulus, eruditus vir, civis romanus, voluit se etiam in expressionibus culturae graeco-romanae accommodare, ut melius mysteria christiana cogitationibus auditorum apta fierent. Ita sumpsit Paulus e mentalitate graeco-romani mundi comparationem societatis ad corpus. Non erat utique tantum apud eos notum, sed saepius adhibitum et evolutum.[96] Apud Romanos[97] saepe organisatio statalis et socialis ad organismum corporis humani comparabatur.[98] Propterea etiam vox corporis saepe saepius pro societate, communitate hominum et rerum inservit: corpus rei publicae, corpus civitatis, corpus militum, corpus collegii, corpus iuris romani.[99]

Concludere licet vocem societatis non quidem explicite dari in Scriptura,[1] sed satis implicite per expressiones aequivalentes et similes indicari; omnia bene cum corpore Christi componi possunt, immo invicem se complent.

96 Grivec, Kristus v Cirkvi, pag. 91.

97 Etiam Graeci Romanos secuti similes corporationes *σωματεῖα* vocabant (Tromp, Corpus Christi quod est Ecclesia, 69).

98 Cf fabulam: Menenius Agrippa de membris corporis humani.

99 Non negamus etiam aliis ex motivis forsitan expressionem corporis a Paulo adhibitam esse; sic e. gr. K. Prümm S. J. recensionem dans libri A. Wikenhauser, Die Kirche als mystischer Leib Christi, minus contentus est eius sententiis de influxu ex iudaicis vel antiquis christianis sententiis a gnosticis haustis de anima universali (Sammelseele), in qua omnes singulae animae comprehenduntur — ostendens potius moralem unitatem humanitatis ab Adamo, fundamento posito e peccato originali, unitatem insinuatam per caput universi generis humani in messianicis indiciis maxime apud Isaiam per Servum Dei, unitatem consideratam ut mysticam solidaritatem Redemptorem inter et redemptos; haec potius in verbo „corpus" Christi secundum eum includuntur. (Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck-Leipzig 1939, 1. Heft, pag. 107—113).

1 Loquuntur pravoslavi de corpore Christi mystico vel spirituali. Vox

## *12. Eucharistia, centrum Ecclesiae, non est societas.*[2]

Theologi tractatum de Ecclesia ab essentia Ecclesiae in sensu unius indivisae realitatis incipere debent. Centrum autem oeconomiae salutis, expressio maxima vitae ecclesiasticae, quam participant non solum homines, sed et defuncti et angeli,[3] est Eucharistia. In sacramento Eucharistiae Christus fit centrum et omnis mundus redemptus eius periferiam constituit. SS. sacramentum Eucharistiae determinate et clare nobis altissimum sensum vitae revelat. Qui sumunt altissimum corpus et sanguinem Christi, sunt non solum societas fidelium, sed etiam invisibilis mundus animarum et spirituum sine corpore, qui nobiscum de illo sacrificio participant. Expos. A.

Alibi[4] suam mentem Akvilonov aperit dicens: Eucharistia est victoria spiritus supra materiam, vitae super mortem, caeli super terram et infernum. Argumenta autem e vita sanctorum sumit: Onufrius Magnus post sanctam communionem tantam laetitiam in corde habuit, ut quasi magis in caelo quam in terra vixerit. — S. Maria Aegyptiaca post sumptionem Eucharistiae tam spiritualisata est, ut in aëre volitare et super undas ire potuerit. — Vultus s. Theresiae splendidiorem lucem eradiabat quam vultus Moysis. — Paisij aliquando sumpta Eucharistia per 70 dies sine cibo manebat.

Istos casus exceptionales non posse ut regula poni puto. Akvilonovum materiam timere et excludere velle et semper spiritualisare ex mente platonismi[5] patet. Resp.

„mysticum" similiter non invenitur explicite in Scriptura, sed nonnisi aequivalenter in epistolis paulinis in verbis „corpus" et „mysterium" datur.

[2] Церковь, стр. 85—87; Новозавѣтное ученіе о Церкви, стр. 70—113.

[3] Citat s. Augustinum, De civitate Dei 10, 6. (Церковь in fine „Примѣчанія pag. 46, adnot. 90).

[4] Церковь Христова въ дѣлѣ нашего спасенія. (Странникъ 1895, I, стр. 695—696).

[5] Platonismus: Hic mundus est tantum splendor idearum, est apparens, verae realitates sunt ideae aeternae. — Christus cum corpore caelum ascendit et ad dexteram Patris sedet, quod corpus est Eucharistia: corpus spirituale, non materiale.

Eucharistia maxime ut sacramentum, causa efficiens instrumentalis simul cum gratia sanctificante transformat mentes et animos hominum in unum corpus morale, i. e. ut collective sumpti non tam individualiter, sed mutuo invicem[6] membra fiant unius corporis mystici, societatis supernaturalis. Christus ut paterfamilias congregat christianam familiam[7] ad communem mensam illam Novae Legis et ipse se dat cibum familiaris amoris et unitatis. Hic revera christiani etiam visibiliter apparent ut familia Dei, societas supernaturalis. — Verba in Traditione adhibita *σύναξις*, collectio; *κοινωνία*, communio, communitas, societas: insinuant eitam externum aspectum visibilis societatis; nam secunda vox graeca saepe societas[8] in traductione sonat.

Secundum Akvilonovum Eucharistia est centrum Ecclesiae; eo sensu quod Christus caput Ecclesiae ibi praesens est, concedi potest. Non ita de praesentia hic agitur, sed de praesentia Christi-capitis Ecclesiae. Adhuc Eucharistia est centrum Ecclesiae eo sensu, quod eam nutrit. „Ecclesia ab hoc sacrificio et sacramento

[6] Cf Jürgensmeier, o. c. pag. 282:

„Wir werden im Folgenden die heilige Eucharistie unter dem Gesichtspunkte sehen, dass sie wesentlich und primär das Opfer und Sakrament des Gesamtleibes der Kirche ist, also Gemeinschaftscharakter hat.

Damit stellt sich uns das corpus mysticum in seinem erhabensten heilsökonomischen Sinne dar: ... indem nicht nur die Einzelglieder in der Lebensverbindung mit dem mystischen Leibe ihr übernatürliches religiöses Leben leben, sondern indem der Gesamtleib als solcher durch die Gnadenveranstaltung Gottes aktiv im heiligen Opfer das Opferwerk Christi von neuem vollzieht."

„Der Charakter der heiligen Messe als Gemeinschaftsopfer, zugleich als Opfer Christi und des mystischen Leibes Christi, findet seinen Ausdruck in einer dreifachen Steigerung des Gemeinschaftscharakters" (Ibidem, pag. 291) ... die Gebetsgemeinschaft ... die Opfergemeinschaft ... die Lebensgemeinschaft.

[7] Vox familia etiam in liturgia latina et orationibus Ecclesiae occurrit: „Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum."

Vel in canone missae:

„Hanc igitur oblationem servitutis nostrae et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias ..."

[8] Vide: Thesaurus linguae graecae, IV, Parisiis 1841, col. 1726.

eucharistico velut a corde et centro totius vitae suae participat in se ipsa coniunctionem ac compenetrationem humani et divini, dum natura per gratiam, terrena per caelestia, visibilia per invisibilia informantur, sanctificantur et clarificantur."[9] Omnia autem necessitatem ordinis, ordinis institutionis supponunt, ut omnia rite circa Eucharistam perficiantur; quod prompte solum in perfecta societate iuridice stabilita fieri potest.

Akvilonov ad verba s. Augustini[10] alludit demonstrans etiam mortuos et angelos participes esse mensae eucharisticae. Attamen s. Augustinus loquitur de vero sacrificio i. e. de plena submissione voluntati Dei, de perfecto sacrificio sive ab hominibus sive ab angelis vel mortuis praestito, non de usu Eucharistiae ab angelis. — Postea discutit Augustinus sententiam s. Pauli nos corpora nostra hostiam Deo placentem exhibenda dare, et citans verba s. Pauli, Rom. 12, 3—6, venit ad Eucharistiam (ubi iam nulla connexio cum angelis adest). „Hoc est sacrificium christianorum: multi unum corpus in Christo. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re quam offert,[11] ipsa offeratur."[12]

Angeli et sancti neque re neque voto oblationem Eucharistiae in missa sacrificare videntur; nec censendi sunt conspirare nobiscum in communi oblatione huius sacrificii.[13]

9 Franzelin, Theses de Ecclesia, pag. 319—320. — Cf d'Herbigny, De corpore Christi mystico, pag. 24—26.

10 De civitate Dei, lib. X, caput 6: De vero perfectoque sacrificio (Migne P. L. 41, 284):

„Cum igitur vera sacrificia opera sunt misericordiae, sive in nos ipsos, sive in proximos, quae referuntur ad Deum; opera vero misericordiae non ob aliud fiunt, nisi ut a miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus; quod non fit, nisi bono illo de quo dictum est, Mihi autem adhaerere Deo bonum est (Psal. 72, 28): profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est; quia secundum hanc mediato[illegible] est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est."

11 Var.: quod in et oblati[illegible] quam offert.

12 Ibidem, Migne P. L. 41, [illegible].

13 „Beati coelites non hac una de causa extra numerum eorum qui offerant sunt collocandi; sed etiam, et potissimum, qui minime iam sunt in via, sed

Angeli non habent votum Eucharistiae et aliter ac nos Christi corpore haerent; nobis gratiam dat Christus per corpus suum, quam et per corpus suum meruit; angelis nec gratiam meruit, tantum per animam influit, neque is fuit finis Incarnationis, ut influeret, sed effectus incarnationem consequens. Nos Christo facti sumus concorporei potius „secundum unius sanctificati corporis spirituale consortium. Hoc enim importat participatio nostra dominicae hostiae; quae angelis neque sacramentaliter competit, neque spiritualiter, quamquam per hostiam suam Christus sibi meruit statum illum gloriae, in quo illuminaret angelos."[14] Christus consummato sacrificio beat angelos, liquet ergo eos non carere omni connexione cum Eucharistia, licet indirecta. Dicit enim s. Thomas[15] posse quoad angelos loqui de manducatione spirituali Christi tantum; non autem de manducatione spirituali ipsius sacramenti, quae includat desiderium sumendi sacramentaliter Eucharistiam.

totaliter in termino. Omni enim sacrificatione significatur quidam veluti donatonis motus, quo a donantibus nobis nostra propria substantia in Dei donatarii manus transeat. Sancti autem cum pervenerint iam ad Deum, cum sint Dei, non est iam quod transferantur ad Deum; sed omnis talis motus exsulat ab iis qui iam in termino quiescunt. Rursus omni sacrificio contrahitur foedus: sed non est quod paciscantur cum Deo, qui iam sunt haereditatis divinae comprehensores. De angelis vero valet ulterius alia ratio; quod numquam in illorum censum translatum est sacrificium illud corporis et sanguinis Christi: quod a sacerdote nostro, non ipsorum, oblatum est in redemptionem nostram, non ipsorum, subofferendum a corpore Christi ecclesiastico, cuius nos membra sumus, non ipsi." (M. de la Taille, Mysterium fidei, pag. 361, adnot. 2.)

[14] Ibidem, pag. 526.

[15] „... In hoc sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti: dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum: uno modo, prout in sua specie consistit; et hoc modo angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, inquantum ei uniuntur fruitione caritatis perfectae, et visione manifesta (quem panem exspectamus in patria), non per fidem, sicut nos ei hic unimur: alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus huius sacramenti; inquantum sc. aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum: et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non competit angelis: et ideo licet angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum." (Summa Theologica III, qu. 80, a. 2, in c.).

## 13. *In notione societatis non apparet persona Christi; Ecclesia vero est Christus.*[16]

Secundum illud Scripturae: Saule, Saule, quid me persequeris? (Act. 9, 5) patet Ecclesiam esse personam Christi. In notione societatis non apparet Persona Christi, Ecclesia vero est Christus. Magis attente considerare personam Dei-hominis necesse esset, et tunc problema Ecclesiae iam plane eluceret. **Expos. A.**

Akvilonovo minus grata est externa structura vitae socialis ecclesiasticae, quam parvipendere vult; non ideae abstractae, sed concretae essentiae considerari debent. Nos etiam sublineamus talem sensum interpretationis, utique non sensu exclusivo. Non idea boni, utpote innefficax, est fundamentum vitae christianae, sed persona, nimirum Christus... Sermo est de definitione. **Responsio**

Deberet sane persona Christi in definitione Ecclesiae explicite poni. Nam Christus centrum est omnis vitae supernaturalis, omnis actionis in Ecclesia, ut fons gratiae, sed simul ut gubernator, ut exemplar; praesertim hoc triplici sensu Christus caput est Ecclesiae. Christus, caput Ecclesiae tali abundanti sensu certe considerari debet.

Sicut Christus est Persona constans e natura divina et humana, ita Ecclesia ut Christus Deus-homo est divino-humanum corpus mysticum. Atqui in Ecclesia non solum elementum gratiae divinae adest, sed etiam plenitudo naturae humanae sicut in Persona Christi necessario requiritur. Ergo in corpore collectivo Ecclesiae, praeter plenitudinem divinitatis adesse debet integra structura societatis humanae perfectae. — Ita evolvenda est propositio Akvilonovi: Persona Dei-hominis considerari debet et tunc problema Ecclesiae plane elucebit.

Quamvis bona definitio Ecclesiae dari posset, etiamsi Persona Christi non explicite in definitione poneretur, tamen, uti supra, quando de Christo capite Ecclesiae sermo fuit, optandum est, ut in definitionem explicite ingrediatur, quia certe ad essentiam Ecclesiae pertinet Christum esse caput Ecclesiae.

[16] Церковь pag. 93; 97—98.

## 14. *Ecclesia est perfectissima, societas quid humanum imperfectum.*[17]

Expos. A. Societas est idea abstracta de rebus humanis, proinde quid imperfectum. Ecclesia est quid perfectissimum, ideoque imperfectis notionibus humanis, ut est notio societatis, definiri non potest. Notio societatis non est purus conceptus, quia in eo nihil positivi ex experientia vitali invenitur. — Si obiectum est imperfectum, etiam idea abstracta ab eo est imperfecta. Unde surgit talis inconvenientia: conceptum imperfectum societatis praedicamus de perfectissima, una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia, i. e. non omnino veram notionem de ea construimus. De imperfecto secundum imperfectum iudicare debemus, de perfecto secundum perfectum. Definire Ecclesiam prout societatem credentium, hoc significat longe abesse a pleno conceptu de ea.

Responsio Eadem de verbo „corpus" dici posse nobis videtur. Expressionem corpus esse translatam et quidem a corpore organico humano manifestum est. Sed non polemice procedere volumus.

Sumamus fundatorem et caput Ecclesiae Jesum Christum, qui est causa exemplaris eius.[18] Quod Akvilonov concedit Ecclesiam debere conformari ad suum exemplar, suum caput. Sed haec conformitas debet esse adaequata, completa, exhauriens in quantum possibile. Derogationes, exceptiones, lacunae non admittuntur nisi inquantum in Scriptura et Traditione fundantur. „Jesus fuit plene Deus et plene homo, et ad eius exemplum similiter propter suam unionem organicam cum eo, Ecclesia possidet plenitudinem vitae divinae unitam cum plenitudine nostrae naturae humanae, quae non iam est individualis sed socialis."[19] Christus homo fuit et nihil impedit, quominus assimiletur, quamvis Deus, hominibus in omnibus excepto peccato; nec obici potest eum proinde imperfectum fuisse vel similia. Eadem proportionate de Ecclesia valent. Ex-

17 Церковь pag. 98—100.

18 De Christo vero homine scribit Akvilonov in opere: О Спаситель и о спасеніи, pag. 18s; cf. et articulum: О безгрѣшности Господа нашего Іисуса Христа и о совершенномъ Имъ спасеніи. (Церковный Вѣстникъ 1899, Но 13. 475).

19 Tyszkiewicz, La sainteté de l'Église, pag. 463.

cepto elemento divino omnino societatibus humanis aequiparari potest quoad visibilem partem, sicut Christus omnino modo humano in hac terra vitam degebat.

Sumamus saltem unum verbum, quod Dominus de se interdum adhibet et ut patet ex evangeliis: Filius hominis, i. e. homo, designando sc. ut is, qui ad societatem humanam vel ad categoriam hominum pertinens, vel potius perfectus homo.[20] Christus est perfectus homo, immo ut dictum est, magis quam alii homines perfectus homo. Vel Christus Dominus veritatem locutus est, vel non. Christus est causa exemplaris Ecclesiae. In ea homines non solum individuales, sed imprimis collective sumpti faciunt societatem; insuper, quia a virtute supernaturali sustentatur, est societas perfectissima, utique supernaturalis.

Attamen necessario analogia locum obtinere debet. Sicut de Deo nihil nisi in conceptibus analogicis exprimere possumus, sic etiam si de rebus supernaturalibus sermo fit. Quod si non admittitur, difficile vel impossibile redditur de rebus divinis loqui. — Haec omnia necessario concedi debent, si docetismum ecclesiologicum evitare volumus.

Sub tali respectu obiectio Akvilonovi considerata vana evadit. Qui bonus christianus de Christo praedicare potest eum fuisse imperfectum, quia homo fuit, adhuc magis homo quam ceteri homines, homo perfectissimus? Ergo ipsum factum Incarnationis inanem hanc obiectionem reddit. Christus assumpsit organismum individualem humanum nec divinitas eius inde quidquam detrimenti passa est; a pari non repugnat Ecclesiam assumpsisse organismum socialem humanum, dummodo ipsa semper Christo fidelis maneat. Bonitas Dei, una caritas infinita, uno actu voluntatis suae statuit humanitatem Christi physicam et humanitatem socialem Ecclesiae.

[20] De exegesi huius verbi cf. Biblica 1925, pag. 165—171: Marcus Antonius van den Oudenrijn, O. P., L'expression „Fils de Prophètes" et ses analogies; vel idem in libro: נבואה De prophetiae charismate in populo israelitico. Romae 1926, pag. 283—288. Akvilonov de Filio hominis disserit in opere: О Спаситель..., pag. 25s. — Similiter prius: О безгрѣшности Господа нашего ..., 477

## *15. Theologi non habent obiectivam normam pro definienda Ecclesia (norma est corpus Christi).*[21]

Expos. A. Consequentia quaedam ex erroribus theologorum provenit. Definitio Ecclesiae utpote societatis credentium non potest exhibere verum conceptum eius essentiae. Talis definitio non est plena, praecisa et fundamentalis, ita ut cum parvis mutationibus ab omnibus tribus christianis confessionibus acceptari possit. Doctrina theologica non habet idealem conceptum societatis, qui etiam aptus esset ad definiendam Ecclesiam et sumi sensu perfectissimae societatis ex omnibus humanis possit. Definitio adhibita de societate credentium sumpta est per abstractionem ab exsistentibus societatibus; necessario habet in se multos eorum defectus. Posset idealis conceptus construi et ita quaestio ad veram solutionem appropinquaret. Nihilominus ante constructionem idealis conceptus societatis necesse esset prius habere idealia elementa et talem idealem normam, secundum quam idealitas ipsius conceptus mensurari posset; quae non dantur.

Ex hoc concludimus: si theologi definitionem Ecclesiae qua societatis construunt, ad libitum sumunt notas christianae societatis sicut iam delineavimus. Evidenter theologi normam obiectivam ad construendam definitionem Ecclesiae non habent; aut talem normam invenire debent aut admittere se ad libitum formare definitionem. Ex dictis patet primum impossibile esse; consequenter quoad alterum consentire debent.

Responsio Akvilonov ex conceptu societatis semper in mente habet non nisi elementum materiale, sed elementum formale et media et auctoritatem, maxime autem finem societatis negligit. Societas autem imprimis per finem specificatur, cui media et auctoritatis forma respondere debent; qua ex ratione societatem in naturalem et supernaturalem dividimus. In societate, quae undequaque supernaturalis est, omnia societatis elementa de supernaturali participare debent. „Perfectio cuiusvis societatis determinatur perfectione eius genuini finis et gradu, in quo haec societas correspondet suo fini."[22] Nihil in oeconomia mundi sine ordi-

[21] Церковь, pag. 103—104.

[22] Тышкевичъ, Ученіе о Церкви, стр. 105.

ne, sine fine exsistit; omne ens suam destinationem habet, cur exsistat, haec et eius naturam determinat et mensura est omnium eius proprietatum. Lex ista universalis est, cum pro visibili, tum pro invisibili societate valet et fundamentum in sapientia divina habet.

Ecclesia non est tantum invisibilis, spiritualis unio membrorum mystici corporis Christi, sed „sicut patet ex omnibus libris Novi Testamenti, illa est etiam organismus socialis, in terra a Redemptore fundatus. Ecclesia Christi terrestris proprium, peculiarem, convenienter eminentem finem necessario possidet; et omnia in eius ordine divino-humano in gradu superiori respondere huic fini debent. Recta definitio cuiusvis societatis ne cogitari quidem potest sine clara notione sui finis genuini."[23] Illa Akvilonov negligere videtur, unde talis difficultas, cui defectus analogiae entis accedit.

Quapropter concludi potest: recte Ecclesia per conceptum societatis supernaturalis definitur, nam societas supernaturalis una tantum datur in mundo i. e. vera Ecclesia Christi.

### *16. Essentiales proprietates Ecclesiae non continentur in conceptu societatis.*[24]

Ex definitione societatis fidelium difficile est quattuor proprietates essentiales Ecclesiae deducere. Non continentur in hoc conceptu, propterea ex eo deduci non possunt. Vocantur proprietates essentiales, quia ex ipsa essentia Ecclesiae profluunt, consequenter coniunctae sunt cum ea vinculo necessario et indissolubili. Notae istae organice in ea coadunatae sunt, ne cogitari quidem possunt sine essentia, propterea relatio inter Ecclesiam eiusque essentiales proprietates non potest accidentalis esse. Expos. A.

Aliter in societatibus humanis. Aliquas proprietates simul multa obiecta unius eiusdemque generis habere possunt. Una eademque proprietas pluribus obiectis applicari potest; ceterum nihil interest, utrum una vice vel pluribus exsistat aliqua proprietas.

In proprietatibus ecclesiasticis omnino aliter res se habet, quia ibi proprietates ligatae sunt cum essentia modo arctiore, e.

[23] Ibidem, pag. 105— 106.

[24] Церковь, pag. 105—107; 241.

gr. sobornost et apostolicitas soli Ecclesiae conveniunt. E subiecto „Ecclesia" per se eruitur eius unitas, non ita e subiecto „societas". Ecclesia non est tantum una, sed unica.

Quattuor notae illae tantum Ecclesiae integrae congruunt, non eius parti terrestri.[25] Non est facile demonstrare unitatem in parte terrena Ecclesiae, nam tale tentamen semper de contrario testificatur. Quo in casu theologi ad probationem unitatis Ecclesiae tantum in eius totalitate accedunt. Unitas potest tantum in suo toto probari, nam haec de facto non nisi in toto reperitur; si pars sumitur, non est ex exsistentia sumptum. Unitas in parte terrena Ecclesiae demonstrari non potest. Attamen unitas est essentialis proprietas Ecclesiae. Si societas credentium est Ecclesia, quomodo haec componantur? Vides inconvenientiam talis definitionis!

Responsio

Secundum Akvilonovum soli terrestri, militanti Ecclesiae iniuste proprietates illae quattuor adscribuntur: unitas, sanctitas, sobornost et apostolicitas; nam illa tales proprietates in se non continet. Non omnes proprietates Akvilonov perpendit, sed solam unitatem, de aliis generatim dicit eadem valere.

Akvilonov citat aliquos textus, ubi proprietates de Ecclesia sensu latiori praedicantur, quod verum est. Alia testimonia, ubi soli terrestri Ecclesiae unitas adscribitur, adduci possunt. Ipse s. Paulus in epistola dicit: „Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudei, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno Spiritu potati sumus." (I Cor. 12, 12—13.) Sine dubio Apostolus unitatem corpori Ecclesiae terrestris adscribit, nam caelestes incolae non baptizantur,[26] ibique in caelis, in mundo angelorum nec servi nec liberi, sed Jerusalem superior, quae omni ex parte libera est secundum illud: „Illa autem quae sursum est Jerusalem, libera est; quae est mater nostra." (Gal. 4, 26.) — Alibi autem loquitur Paulus: „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corpo-

25 Церковь, pag. 107 – 110.

26 Aliquomodo utique distinctione opus est, nam homines et pro caelo, nempe destinatione, baptizantur.

ris Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus."[27] Haec etiam Apostolus terrestri Ecclesiae appropriat et non caelesti, nam verba: omnes de uno pane participamus, non bene cum illa caelesti quadrant.

Distinctionem inter notam et proprietatem dari adnotandum est. Proprietates sunt illae, quae essentialiter Ecclesiae insunt. Notae: quibus ab aliis distiguitur. Nota definitur ut „qualitas Ecclesiae propria, facile observabilis, manifestior quam eius legitimitas."[28] Akvilonov de proprietatibus loquitur, interdum autem non bene distinguens ad notam transit.

Quia corpus Christi unum est, et Ecclesia necessario una exsistit, non tantum una, sed insuper unica est; argumentat recte Akvilonov. Nihilominus sentitur difficultas interna de absentia unitatis externae, inde refugiendum est pravoslavis ad unitatem internam tantum, quod magis ex unione cum ecclesia caelesti demonstrant.[29] Attamen praeter unitatem spiritus in Ecclesia etiam unum corpus est, i. e. una perfecta societas credentium hisce in terris, unus vivus collectivus organismus, et vinculis internis principii vitalis coniunctus et organo unitatis visibilis coniunctus. Aliis verbis: unitas Ecclesiae debet esse divino-humana.

Nec sufficit unitas fidei sola, nam neglecta unitate hierarchica, interna etiam illa ruit ut prof. Tyszkiewicz demonstrat e textu evangelii (Jo. 17) dicens: „Unitas credentium in Christum per hierarchiam perficitur, nam, si fides (... rogo et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me) ab una hierarchia a Christo fundata dependet, tunc et omnis unitas Ecclesiae suum fundamentum in unitate hierarchiae habet."[30]

Non datur diversitas sine correspondenti unitate in mundo,[31]

[27] I Cor. 10, 16s.

[28] d'Herbigny, Theologica de Ecclesia, II, pag. 19.

[29] Plura vide: Jugie, Theologia dogmatica christ. orient., IV, 529—539; Grivec, De unitate Ecclesiae, pag. 34—42 ;Gordillo, De Ecclesia et rom. Pont., pag. 27—34.

[30] Ученіе о Церкви, pag. 150—151.

[31] „Il n'y a pas d'unidiversité sans unité, sans unification des éléments divers. C'est un fait d'ordre métaphysique. Dieu lui même n'y peut rien changer, puisqu'il ne peut pas réaliser l'absurde, une contradiction, un cercle carré. Mais on peut se poser la question suivante: une diversité doit-elle

nec derogationes legis naturae vel Incarnationis licet concedere, ut probatio clara concludit in eodem opere in notis citato.[32] Semper diversitati visibili respondet unitas visibilis, sicut diversitati invisibili unitas invisibilis convenit. — Sine dubio influit unitas superior spiritus in diversitatem inferiorem, non tamen immediate, sed mediante unitate correspondenti visibili.[33]

Accedamus ad aliam obiectionem Akvilonovi.

### *17. Per conceptum societatis non exprimitur vita organica corporis Christi, nexus temporum.*[34]

Expos. A. Definitio Ecclesiae qua societatis habet suas morales aut practicas consequentias pro vita ecclesiastica, nam sententia theoretica arcte cum vita practica connexa est. Ecclesia consequenter est nimis terrena, vivit sine ecclesiastica traditione, sine nexu cum praeterito. Loco unius Ecclesiae universalis datur Ecclesia praesentis,[35] apud quam nexus cum Ecclesia temporum praeteritorum et cum generationibus futuris non aparet, vel aliter, non exprimitur vita organica corporis Christi. Cum unaquaque generatione novas ecclesias surgere dici potest.

Responsio Christus sicut homo materialiter crescebat, accidentaliter mutabatur, dum novam escam sumebat, dum elementa materialia

nécessairement être unifiée par son facteur, son principe ou son organe unifiant propre, ou bien peut elle être unifiée uniquement par l'unité propre d'une synthèse supérieure ou par une intervention immédiate de Dieu? La solution de cette question est identique à celle qu'on donne pour le miracle en général. Une diversité ne saurait naturellement subsister sans facteur d'unité propre." (Tyszkiewicz, Le principe d'Unidiversité, pag. 336).

32 „Personne n'a encore prouvé l'existence du miracle perpétuel d'une Église unifiée par la seule action immédiate de l'Esprit St, ou seulement avec le concours de facteurs d'unification autres que celui qui correspond à la diversité universelle de l'Eglise entière. Répétons le: l'unification purement spirituelle de l'Eglise est compatible avec la toute puissance de Dieu, mais elle est incompatible avec la véracité, la sainteté de Jésus Christ, à moins qu'il n'ait écarté tout danger d'erreur en annonçant que sur ce point il suspend ou renie la loi naturelle et l'Incarnation." (Ibidem, pag. 343.)

33 Plura de his vide in eodem opere; praesertim optimam in brevem synthesim redactam explicationem unitatis Ecclesiae invenies pag. 344—345.

34 Церковь pag. 111s.

35 Церковь настоящаго.

commutabantur. Intra septem annos omnimo mutatum esse hominem quoad elementa materialia corporis sui biologi demonstrant. Neque tamen subiectum, homo, persona alia est, sed eadem manet.

Applicando Ecclesiae similiter dicendum est humanitatem eius quidem mutari, eventibus historicis turbari, sed haec mutatio est accidentalis, quam revera concedimus. Nulla autem essentialis mutatio humanitatis Ecclesiae datur. Nullam formalem mutationem subire Ecclesiam per se patet, nam spiritus immutabilis usque ad ultimum iudicium in Ecclesia manebit, de quo nullum est ergo dubium. Revera „Ecclesia immutabilis est in sua divino-humana essentia in omni tempore suae exsistentiae."[36] Anima Ecclesiae sensu sociali semper eadem quoad substantiam manet, insuper principium supernaturale, quod omnes ad finem supernaturalem attrahit, semper idem manet. Materia quidem in Ecclesia mutationi, sed tantum accidentali subiacet, dum organismus visibilis, eius socialis institutio, corpus Ecclesiae, i. e. divinitus instituta natura humana Ecclesiae essentialiter eadem manet. Tanti inimici contra constitutionem Ecclesiae, humanam partem durantibus saeculis insurrexerunt sed invanum; nam assistentia divina et specialis protectio omni tempore contra impetus portarum infernarum eam luculenter defendit.

Ecclesia a principio formam perfectae societatis humanae induit, sicut caput eius Christus corpus humanum sumpsit. Ita Ecclesia similis capiti suo semper talis manet et usque in finem manebit et quidem quoad essentiam suam organisata societas credentium. Incarnatio totius Christi immutabilis manet, ita et immutabilis humana natura, per quam sicut per instrumentum necessario nos salutem acquirimus.

Sicut Christus in terra quoad corpus accidentaliter mutabatur, crescebat et anima eius humana evolutioni subiacebat, ita in Ecclesia anima socialis, quoad scholas theologorum in limitibus Revelationis, etiam quoad hierarchiam evolutione accidentali et mutatione, sicut in omnibus functionibus perfectae societatis, fidelis suo exemplo semper se evolvit suum caput immitans.

Patet etiam vitam organicam in Ecclesia revera inveniri et ne-

[36] Тышкевичъ, Ученіе о Церкви, стр. 129.

xum temporum dari; non solum in Ecclesia identitas formalis semper adest, sed insuper nullam materialem essentialem mutationem patitur, sed tantum accidentalem; quae non nociva, e contrario, ut in omni organismo viventi necessario requiritur.

*Corollarium: Necessitas alterius definitionis.*

Expos. A. Vita practica theologos satis incitat, ut a definitione Ecclesiae non exacta recedant.[37] Inveniat sibi illa inconveniens definitio locum in heterodoxis systematibus theologicis, in quibus exsistere potest; sic romanus catholicismus separatus ab una catholica Ecclesia Christi, cum omnibus erroribus ex eo emanantibus, eo ipso Ecclesia desiit esse; et factus est simplex religiosa societas credentium in Christum. Pro tali societate etiam Ecclesiam esse solum societatem patet.

Pro pravoslavis autem illam definitionem omnino inconvenientem esse apparet; pravoslava doctrina invenire debet plenam, exactam, pravoslaviae correspodentem definitionem Ecclesiae. Huic necessitati doctrina apostolica de Ecclesia utpote corpore Christi satisfacit.

Responsio Omittendo incriminationes contra Ecclesiam Romanam, nam patet ex decursu laboris dictis Ecclesiam revera bene definiri posse per conceptum societatis, commemoranda sunt quaedam de necessitate alterius definitionis ab Akvilonovo proposita. Non negamus Ecclesiam vocari posse corpus Christi mysticum, immo hac in re plene Akvilonovo consentimus, sicut iam multi auctores ultimis decenniis de corpore Christi mystico scribentes fecerunt.[38]

Archimandrita Pavel respectu vitae practicae considerans definitionem[39] minus contentus est mutatione definitionis communiter usitatae dicens mutationem non esse necessariam. Si interrogati, quid sit Ecclesia, responsionem damus: est corpus vel organismus, non est pro populo clarum. Debet iterum poni quaestio:

37 Церковь, pag. 117.

38 Hanc ideam prof. Grivec magnopere in operibus propagavit, vel prius iam card. Franzelin, qui fere definitionem Ecclesiae dicit corpus Christi mysticum (Theses de Ecclesia, pag. 300); Mersch, Tromp, aliive. (Consuli potest brevis synthesis doctrinae de corpore mystico apud prof. Gordillo, Compendium theologiae orientalis, pag. 69—77.)

39 Братское Слово 1894, II, pag. 560.

quid est corpus? Et praesertim: quid est organismus? Explicando hoc iterum veniendum est ad divinitus institutam societatem credentium. — Aliquid veri inest in verbis archimandritae Pauli. Tamen variae definitiones possunt dari, et omnes bonae. Ecclesia revera mysterium magnum est quoad elementum supernaturale; nil mirum, si varii aspectus unius eiusdemque veritatis proponi possunt, unde variae nascuntur definitiones. Utique definitio debet omnes essentiales partes rei sive explicite vel saltem implicite exhibere.

Ceterum non est solvenda quaestio tali modo sicut prof. Subbotin[40] facit, praescribendo scilicet unam exsistentem definitionem ut veram, nam definitio hoc in casu non est stricte dogma fidei.

Nec iuxta nonnullos catholicos auctores tam eminens definitio Ecclesiae per conceptum corporis Christi dicenda esse nobis videtur. Nam definitio claritate, brevitate eminere debet. Videtur haud magna claritate pollere haec definitio, neque alia difficultate caret, brevitate nempe et perspicuitate. Sic prof. Tromp[41] dat sequentem: „Corpus Christi mysticum, praecise quatenus mysticum vocatur, est ille organismus religiosus universalis et socialis, in quo magisterium, imperium, sacerdotium Christi, sub uno Christo vicario iuridica et visibili missione continuantur, et fideles secundum varios status a Christo volitos cum Hierarchia in extendendo Regno Christi collaborant: prout ille organismus a Spiritu Christi invisibiliter unificatur et vivificatur, atque ideo Christo spiritualiter coniungitur Eoque per varia dona ac charismata interne quoque ita assimilatur, ut Christus ipse in organismo isto secundum omnes suas functiones et qualitates Messianicas perfecte exprimatur et prolongetur; ea ratione ut opus salvificum Christi in eius pleromate perenne fiat, illudque crescat in augmentum sui tum quantitative, i. e. ratione extensionis, tum qualitative, i. e. ratione perfectionis, qua sub influxu vitali Spiritus Christi imago Salvatoris in singulis membris exprimitur."[42]

40 Братское Слово 1894, II, pag. 555.

41 Corpus Christi quod est Ecclesia, pag. 166—167.

42 Definitio haec non tam clara est, sicut illa infra Akvilonovi, quae melior videtur quia trinitaria est et hierarchiam nominat. Utique falsa pud Akvilonovum est generalis eius tendentia spiritualizandi.

Nunc ad definitionem Akvilonovi oculos vertamus. Certe magnum valorem dogmaticum ei attribuere debemus; ita Ecclesiam qua corpus Christi definit:[43] „Ecclesia est divino-humana compages (organismus) ab ipso Domino Jesu Christo capitata et Sancto Spiritu animata, ab ipso Domino secundum Dei Patris voluntatem fundata et gubernata (quae in sua terrestri parte etiam habet hierarchiam sacerdotalem divinitus institutam), constans ex omnibus in caelo et in terra credentibus, qui ad vitam aeternam in beata cum Deo trino et in ipso etiam inter se unione contendunt."

Vel idem breviori forma pronuntiari potest: „Ecclesia est mystica ac vivifica in unum corpus, cuius caput est Dominus Jesus Christus, anima vero Spiritus Sanctus, adunatio tum incorporalium spirituum, tum iustorum, qui ex hac vita ad Deum migrarunt, tum christianorum in terra adhuc degentium, qui veram Christi fidem retinent et absque mutatione dominica instituta custodiunt."

Ad tales definitiones recte et iuste P. Jugie[44] sequentia adnotat: „Huiusmodi definitiones sub aspectu quidem dogmatico et theologico laudem merentur; sub aspectu vero apologetico et discretivo omni virtute vacant, quandoquidem coetus christiani fere omnes eas absque ullo incommodo recipere possunt. Atqui vera et completa Ecclesiae definitio ita concipienda est, ut ex una quidem parte nihil essentiale quoad utrumque corporis mystici elementum omittat; ex alia vero, uni Ecclesiae a Christo fundatae congruat, eamque a coetibus haereticis vel schismaticis sufficienter discriminet. Expedit autem ut huiusmodi definitio ab Ecclesia triumphante vel patiente abstrahat, et ad solam Ecclesiam militantem restringatur; de Ecclesia enim gloriae vel purgatorii nulla est specialis difficultas."

Qiubus consentiri posse videtur, nam certe pro vita practica, apologetica ea definitio per societatem supernaturalem magis inservit. Quae utique optime cum expressione corporis Christi mystici coniungi potest, attamen nominatio haec potius ad solum elementum spirituale, internum in Ecclesia considerandum allicit,

[43] Церковь, pag. 254. — Versio latina citatur secundum Jugie, Theologia dogmatica, IV, pag. 292s.

[44] Ibidem, pag. 293.

sc. unilateraliter proponi posset. Haec videtur etiam difficultas, quae in concilio Vaticano apparuit.

*In concilio Vaticano*

in primo schemate de Ecclesia[45] caput primum: „Ecclesiam esse corpus Christi mysticum", quasi definitionem primo loco ponunt.[46] Hoc primum schema iuxta primam redactionem non est acceptum, sed postea mutatum, nec iam expresse de corpore Christi caput speciale statuitur, sed tantum obiter in aliquibus locis.[47]

Variae observationes Patrum Concilii in primum caput fuerunt. E. gr. Fauli Grossetanus: „Licet posset videri inopportunum constitutionem inchoare ab idea corporis mystici, quae obscura est, et certam ac perspicuam Ecclesiae notionem non exhibet, qualem exhiberet clara et distincta Ecclesiae descriptio, exclusis metaphoris"[48] tamen non debet reprehendi, quia imago biblica est et ex hac postea logice alia evolvuntur.

Si faventes sententias, quae mutationes parvas vel explicationes tantum ulteriores postulabant, excludamus, videmus multas minus faustas fuisse. Putat D'Avanzo Calvensis ac Theanensis in definitione corporis Christi solam internam unionem Ecclesiae exprimi.[49] Alius hanc definitionem vel rationem rei enuntiandae „satis obscuram et implicatam esse, nec dignam tanti concilii",[50] alii immo eliminandum hoc caput e schemate putant. Sic Dupanloup Aurelianensis: „Hoc caput suprimendum esset vel reficien-

45 Mansi, 51, 539.

46 Franzelin hoc primum schema confecit; putat ita Grivec (Kristus v Církvi, pag. 197, adn. 25) comparationem instituens schematis, ubi corpus Christi tam fortiter inculcatur, cum libro Franzelin De Ecclesia; —

Ibi editor eius laborem circa concilium Vaticanum refert: „. . . . parandae instruendaeque concilii Vaticani celebrationi, adiutorem variis collatis officiis arcessitum, tanta curarum mole obruerunt, ut nullam temporis partem labore vacuam habuit. Accedit eodem, quamdiu tenuit concilium Vaticanum, pontificium theologum egisse, magnosque ad eum concursus fieri solitos fuisse hominum e quolibet ordine praestantium . . ." (Theses de Ecclesia, pag. XII—XIII.)

47 Cf de his: Gordillo, De Ecclesia . . ., pag. 18—19.

48 Mansi, 51, 751 B—C.

49 Mansi, 51, 752 D.

50 Mansi, 51, 756 D.

dum. Potius optaret, ut supprimeretur, nam 1° est inutile. 2° est satis vacuum, duas tantum male conceptas et propositas ideas continet. 3° non est verum, quod efformatio corporis mystici sit finis directus[51] Incarnationis, ut hic asseri videtur. 4° non satis explicatur quid sit Ecclesia, et quid corpus mysticum. 5° illud caput cum sit praeparatio ad ea quae de visibili unitate Ecclesiae postea afferuntur, opus fuisset corpus mysticum Christi potius ex externis describi, quam ex internis characteribus. 6° non videtur expediens ponere tamquam fundamentum et cardinem totius huius gravissimi schematis de Ecclesia ideam metaphoricam."[52]

Alii multi optime de Ecclesia corpore Christi mystico loquebantur.[53] Ceterum brevitatis causa sola verba theologi concilii Vaticani Josephi Kleutgen adducimus: „Multis reverendissimis patribus in priori schemate displicuit, definitionem Ecclesiae symbolicam, qua corpus Christi dicitur, tamquam caput doctrinae et fundamentum eorum, quae sequuntur, proponi. Hoc igitur mutatum est, ita tamen, ut etiamnum nomen illud Ecclesiae singulariter commemoretur, propterea quod in ipsa etiam Scriptura ceteris frequentius et expressius usurpatur, et valde idoneum est ad Ecclesiae proprietates significandas."[54]

Videtur patres nimis consuetos esse definitionem communem Bellarmini adhibere et videbantur eis melius ex hac pro apologetica vita practica omnes partes constitutionales depromi posse. Non omnes enim profundis rationibus corporis Christi mystici ita imbutos esse patet, ut card. Franzelin, qui fuit forsitan auctor primi schematis de Ecclesia.

Nec inutiles tractationes vel observationes in concilio Vaticano fuerunt, sed alicuius momenti pro posterioribus sine dubio sunt; nam sententias et propositiones multas a posterioribus elucubrandas ii, qui Concilio interfuerunt, protulerunt et ita indirecte impulsum dederunt maioribus investigationibus circa hoc nomen in ultimis decenniis.

51 Var. decretus ed.

52 Mansi, 51, 760 B—C.

53 Cf Mansi 51, 888 A; 51, 902 B—D; 51, 905 B—C; 51, 911 C. — Plura adhuc vide: Mersch, Le corps mystique de Christ, II, 326—332.

54 Mansi 53, 319 D.

In fine sincere profiteri debemus bonam definitionem dogmaticam Ecclesiae nos non habere, si abstrahimus a corpore Christi mystico a Franzelin, Akvilonov aliisque propugnata. Forsitan retinenda est definitio per societatem, non omnino verbis s. Bellarmini, sed complenda elemento illo divino vel supernaturali, ut magis completa evadat.[55] Tamen pro uberiore explicatione doctrinae de Ecclesia optime inservire potest definitio per conceptum corporis Christi mystici. Nam uti saepius dictum est has duas definitiones sese mutuo non excludere, sed e contrario melius eandem rem illustrare[56] seque invicem complere.

Quoad nomen corpus Christi pro Ecclesia adhibitum, utrum nempe comparatio est aut imago, vel analogice sumptum, distinguendo respondere licet. Certe metaphorica locutio est, si per id significatur corpus morale, societas, relate ad corpus physicum communiter tali sensu adhibitum.[57] — Si consideratio instituitur de vinculis internis et de tota vita supernaturali, quae secundum omnia a capite Christo in corpus eius mysticum diffluit, sine dubio loqui licet de corpore Christi ut metaphysica formula,[58] nam christiani in Christum incorporati per baptisma unum corpus mysticum efficiunt iuxta illud Domini nostri ad Saulum ante Damascum: „Saule, Saule, quid me persequeris?" (Act. 9, 4.)

Hoc additamenti instar adnotatum est.[59]

55 Bellarminus ipse minimum quid necessarium, ut quis ad Ecclesiam pertineret, dare voluit. Non est plena ergo et universalis descripto Ecclesiae. Plura possunt esse ad essentiam Ecclesiae pertinentia.

56 Cf Congar, Chrétiens Désunis, pag. 95—111.

57 Tali sensu a s. Thoma consideratur: „Respondeo dicendum, quod tota Ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus, . . . ita Christus dicitur caput Eclesiae secundum similitudinem humani capitis, . . ." (Summa Theologica III, q. 8, a. 1, in c.).

58 Quod non videtur contradicere s. Thomae, l. c. et sequentibus. — Contra cf. K. Prümm, in Zeitschrift für katholische Theologie, 1939, 1. Heft, pag. 111. — Vide et Vlad. Soloviev, Собраніе Сочиненій, III, стр. 159, 347: „Такимъ образомъ исходя изъ понятія Церкви какъ тѣла Христова (не въ смыслѣ метафоры, а метафизической формулы), . . ." „Прежде всего Церковь состоитъ въ живой, реально-мистической связи людей съ Христомъ, какъ началомъ богочеловѣчества". (Собраніе сочиненій, IV, стр. 97.)

59 Cf et Grivec, Mistično Telo Kristusovo, pag. 10: „Trditev da je cerkev mistično telo Kristusovo, je dogma, jasno obsežena v sv. pismu in v tradi-

## B) AKVILONOV ET ECCLESIA ROMANA

### *a) Aspectus generalis.*

Opera Akvilonovi iam obiter legenti patet multas propositiones, quae Ecclesiae Romanae catholicae obiciuntur, reperiri variis in locis. Nec solum illud a multis theologis russis etiam antiquis doctrinae traditionalis, sc. negatio primatus Romani Pontificis, sed multa alia ipsam essentiam Ecclesiae spectantia, conceptum eius pervertentia, ab Akvilonovo in Ecclesia Romana inveniuntur.

Suspicionem magnam patitur Akvilonov faciliter adversus Ecclesiam catholicam: Nihil mirum, dicunt theologi occidentales, si aliquae formae pure humanae, externae constructionis vel rituales e Vetere Testamento vel a paganis communitatibus receptae sunt,[1] dummodo ipsa essentia vitae ecclesiasticae nihil mutetur. Nihilominus pro Akvilonovo haec circumstantia iam suspicionem movet: non potuit ab his humanis societatibus etiam quid magis essentiale accipi? Quod attente theologi cavere debent.

Illud in Ecclesia Romana verificatur, ubi Ecclesia tamquam res publica monarchica concipitur.[2] Si Ecclesia per conceptum societatis definitur, confestim hoc ipsum theologum bona fide allicit transferendi in eam ipsas mundanas notiones, appropriandi ei machinam et formas vitae terrestris. Spiritus mundanus omnino occupat romano-catholicos cum eorum absoluto regimine. In re publica caput plenam potestatem suorum subditorum, super eorum vitam et mortem possidet. In statu mundano sunt qui spiritu egoistico imbuti vel sibi oppositi sunt, invidia magna ex potestate aliorum exoritur, superiores opprimunt inferiores, opprimunt eorum libertatem et res florentes, copias eorum diminuunt etc.

Tales sunt defectus omnis societatis, nam multa egoistica, ni-

cilji." Lege et pag. seq.: „... To ni morebiti samo slučajna primera ali pesniška prispodoba, marveč s tem se predstavlja bistvo cerkve, narava cerkve ... Pavlovo pojmovanje cerkve pa izraža v prvi vrsti njeno nadnaravno, skrivnostno notranje bistvo. Zato je pomen njegovih primer pač globok in tudi skrivnosten. Toda heretična (ali vsaj „haeresim sapiens") bi bila trditev, da je to samo simbolizem, samo primera."

1 Церковь, pag. 101.

2 Ibidem, 102, 122, 119, 120 et a.; variis in locis sequentes sententiae inveniuntur.

mis humana in omni societate exoriuntur et apparent. Et haec Akvilonov e societate humana desumpta catholicis applicans sequentia profert. Papa de vita et morte suorum subditorum, qui in duas classes impares dividuntur, decernit; sicut in aliis societatibus, sic in Ecclesia Romana adest classis superior, hierarchia, quae despotice inferioribus, laicis, dominat. Primus imperat, docet, alter autem serviliter et caece oboedientiam praestat. Haec Akvilonov ex male intellecto conceptu catholico de coetu docenti et discenti in Ecclesia deducit. Citat verba prof. Perrone,[3] quae bene explicari possunt, non tamen sensu exclusivo expressiones eius sumi debent; vel potius a certis verbis abstinendum, qui male interpretari possunt, i. e. elementum passivum et activum.[4] — In societatibus humanis semper vis necessitans, quae libertatem conscientiae limitat, adest. Consequenter pro catholicis inquisitio rectificatur.

[3] „Evincemus eam (sc. Ecclesiam) in duos ordines distribui, clericos nempe et laicos, seu, quod idem est, in coetum docentem et discentem, regentem et rectum, activum et passivum" (Praelectiones theologicae, vol. II, pars I, pag. 41).

Ceterum bene et luculenter doctrina catholica ibi apud Perrone explicata est. Sic legimus: „Legitime infertur Ecclesiam non sola anima, sed et corpore constare, ac propterea formam exteriorem habere, ac visibilem esse, prout supra adnotavimus.

Pari praeterea iure consequitur, Ecclesiam, quod ad hanc formam exteriorem sive corpus attinet, non in mera fidelium aggregatione consistere, sed intimo et essentiali ordine atqui, ut ita dicam, organice esse institutam, sic ut constat ex membris invicem sociatis et subiectis pro diversitate officiorum quae unicuique membro competunt iuxta Christi institutionem. Immo vero, quemadmodum in qualibet rite instituta societate, omnino necesse est ut alii subiciantur omnesque arctissimo inter se nexu consocientur per modum unius, ut unam societatem aut corpus morale efficiant, illudque individuum reddant, ita plane eiusmodi Ecclesiam Christi esse, societatum scillicet omnium perfectissimam et nobilissimam, necesse est."

Doctrina hic sat clare proponitur et posset inservire Akvilonovo ad cognoscendam doctrinam catholicam. Tamen uti dictum est, ipse in verbis activus et passivus insistit et doctrinam catholicam prorsus secundum mentem Chomjakovi reicit.

[4] Akvilonov acceptat verba Chomjakovi: „Christianus aliquando particeps in decisionibus Ecclesiae, factus est subditus (ex contextu patet, in Romano catholicismo) Ecclesiae." (Soč. Chom. II, pag. 52.)

Res per maioritatem votum in re publica deciduntur et talis modus expeditionis in concilia introductus est; sed veritas Christi est quid totum, quae totaliter accipi debet, quid positivum... Haec omnia mendacium papismi demonstrant.

Consequentias vel potius causas, cur haec omnia in Ecclesia Romana evenerint, Akvilonov indicat. Ecclesia Romana mala fide contrivit et laceravit vincula unitatis ecclesiasticae.[5] Occidens unitatem ecclesiasticam dereliquit, nec ei quid remansit nisi viam vitae mundanae sequi. Ecclesia catholica non est iam Ecclesia, ideoque non potest intelligere essentiam et vitam Ecclesiae, sicut dicit moscoviensis metropolita Filaretus in suis operibus. Ab adiutorio Dei derelictus catholicismus humanis viribus corpus Christi aedificare non valet, sed solum societatem vel coetum aliquem. Secundum verba prof. Katanskij: „Doctrina Romana de Ecclesia fundatur in unilaterali, pure humano, immo plus — mechanico aspectu organismi ecclesiastici, qui certe theoriam romanam mechanismi politici et universalis dominationis imperii romani commemorat."[6]

In Catechismo Romano dicitur quidem: „... Ecclesia dicitur, quia terrenis et mortalibus rebus contemptis, caelestes et aeternas tantummodo consectatur."[7] In hoc autem ad maximum videri potest resonantia veritatis universalis, quia aliter definitio et omnis constructio Romanae Ecclesiae mundanis imperiis similes considerantur. Nam iuxta ipsos catholicos[8] in sua substantia Ecclesia

5 Церковь,' pag. 119.

6 Katanskij, Характеристика православія... (Хр. Чтеніе 1875, I, 9).

7 Pars I, c. X., qu. 3.

8 Pilgram; Bellarminus: apud quem Akvilonov spiritum jesuiticum detegit dum idem vocabulum de rebus diversis, Ecclesia nempe et re publica praedicat, sc. monarchia, rex.

Cf Bellarminus, Opera omnia, I, pag. 372: „Respondeo... Dominum non removisse monarchiam ab Ecclesia, sed potius eam instituisse, atque admonuisse diversam esse a monarchia civili gentium." — De rege vide ibidem, pag. 325: „Iam vero, quod umquam regnum fuit, quod non regeretur ab uno? et quamquam rex Ecclesiae Christus est; tamen ex eo colligitur, Ecclesiam habere debere praeter Christum aliquem unum a quo regatur, quod regna semper administrantur regie, idest, per unum qui omnibus praeest; et siquidem rex praesens est, per se id facit; si abest, per alium, qui dicitur prorex: saepe etiam rege praesente, generalis aliquis vicarius constituitur."

Catholica est monarchia et secundum organisationem suam a mundanis imperiis omnia derivantur.[9] Nec mirum, si in Romano catholicis definitionibus caput Christus ne nominetur quidem. Semper tantum de eius vicario, Romano Pontifice loquuntur. Inde et cogitatio de caelo et aeternitate, de angelis, de defunctis ultimo et secundario loco ponitur. Semper loquuntur tantum de vivis in terra membris Ecclesiae et de eius visibilibus gubernatoribus, qui ut caput habent unum monarcham Ecclesiae — papam.[10]

Vitam religioso-ecclesiasticam romano-catholici oculis corporeis vident. In conceptum verae vitae illi mendaces profanos conceptus non verae vitae adducunt. Dein organice e conceptu iuridico sequitur: in doctrina de redemptione et iustificatione talia proferuntur, quae potius reiectio eorundem sunt, loco legum caelestium sumuntur leges terrenae, coetibus humanis sic dicta oecumenica concilia romano catholicorum comparantur, ubi res ecclesiasticae secundum maioritatem votorum deciduntur.[11]

Si Ecclesia in sua essentia est societas humana, mundana, etiamsi cum aliqua indole religiosa, si est imperium mundanum, ad plenitudinem certe requiritur imperator. Sine imperatore non adest imperium, unde origo papismi. Non directe e Roma pagana, sed potius a Roma haeretica papismus provenit.[12] Propterea pugna contra aberrationes romano-catholicorum revera est pugna contra papatum. Si adversariis romano-catholicismi omnia praeter papatum vincere contigerit, nihil fecissent...

Certe multae calumniae inveniuntur in libris Akvilonovi de Ecclesia Romana. Multae etiam minus praecisae exaggerationes, quas e libris catholicis deducit. Expressiones nonnullae vario sensu sumi possunt, si autem exclusive de sola visibili parte Ecclesiae vel de solo regimine hierarchico sumuntur, excluso principio activo, quod a capite Christi defluit: certe minus rectae conclusiones efformari possunt, sicut Akvilonov aliique orthodoxi faciunt. Saepius autem vel imputatur catholicis doctrina male in-

9 Церковь, pag. 120.

10 Церковь, pag. 120.

11 Ibidem, pag. 121.

12 Haec ultima habet ex Overbeck (Libellus invit. 8), quem et citat (Cerkov, Additamentum pag. 58, adn. 83).

tellecta[13] vel simpliciter propositiones erroneae adscribuntur. Multa minus recta deducit ex male intellecto conceptu Ecclesiae docentis et discentis, ut iam supra insinuatum est.

Simpliciter sine ulla restrictione leges societatum naturalium humanarum Ecclesiae applicat; non est verum Ecclesiam mediis inhonestis, sicut gubernia civilia, in sua administratione uti, nam finem diversum, supernaturalem habet. Certe quidam defectus externi per accidens in Ecclesia ut societate divino-humana reperiri possunt; in elementum humanum sc. quidam abusus aliquibus in locis, durantibus temporibus irrepserunt, quod concedi potest. Natura sua autem Ecclesia est societas supernaturalis, non possunt simpliciter omnes leges et defectus societatum, communitatum et sodalitatum humanarum Ecclesiae applicari, nam si externa similitudo adest, nec methodus nec finis nec alia elementa supernaturalia cum re publica identificari possunt. — Si ab his omnibus abstrahimus, invenitur — conscie non potest dici — potius inconscie toti argumentationi Akvilonovi quidam praeconceptus, qui in traditione orientali et theologia russica detegi potest. Non est quidem explicite nominatus, sed tantum implicite adest et erui debet. Ipse Akvilonov hanc difficultatem ex conceptu de unica societate oriri insinuat.

### *b) Idea societatis unicae.*

Ecclesia et status iuxta Akvilonov, una est societas: Ecclesia habet relationem ad vitam aeternam, status ad vitam civilem. Societas civilis in relatione ad cultum dicitur Ecclesia. — Papa habet etiam potestatem politicam i. e. in relatione sociali. Quod papa habet ius mere ecclesiasticum, iam haec est ei potestas politica.

Sicut multi Russi orthodoxi, ita et Akvilonov ne mente concipere quidem potest posse dari societatem perfectam independentem, a re publica diversam, sc. Ecclesiam. Hanc autem suam mentem patefacit cum dicit[14] adesse contradictionem in modo loquendi theologorum. Contraponunt Ecclesiam societatibus religio-

[13] Forsitan etiam ex mala fide; quod tamen apud Akvilonov non evenit, saltem non potest probari.

[14] Церковь, pag. 100s.

sis naturalibus, insuper et paganis, non christianis, et dicunt Ecclesiae non posse applicari conceptum huiusmodi societatis, et probant immensam super has eius eminentiam. Sed isti theologi maiorem vigilantiam in adhibendo verbo ostendunt, quia aliter sine ea caderent omnes eorum constructiones. E modo videndi horum theologorum Ecclesiae non licet applicari conceptum societatis religiosae, quomodo itaque potest esse societas sic et simpliciter? Si autem est societas credentium, consequenter et in aliis societatibus religiosis debet exsistentia Ecclesiae agnosci, nam ibi quoque exsistunt societates credentium. Theologico-scientifica cogitatio evidenter talem conditionem et statum quaestionis effecit, qui sine exitu est.

Tali modo Akvilonov suam difficultatem insuperabilem ostendit. Quomodo applicare conceptum societatis Ecclesiae? Unica exsistit societas perfecta i. e. res publica. Ecclesia autem non est res publica.

Latenter in eum sine dubio principia philosophica influunt, quae talem cursum cogitationis efficiunt; unde et ista difficultas pro eo in decernendo hoc problemate surgit. Necessario ad principia philosophica recurrere debemus, ut optime prof. Tyszkiewicz[15] ostendit. Nam omne systema religiosum praesupponit quaedam principia metaphysica; inquisitio tamen in metaphysicam pravoslaviae propriam difficultate non caret. Datur quaedam philosophia ex professo, quae saepe cum pravoslavia nectitur. Sed maioris momenti altera est, quae numquam ex professo proposita est, intimo tamen vinculo organico per saecula cum principiis apologeticae pravoslavae anticatholicae evoluta est, quam „vocari placet nomine philosophiae potentialis vel latentis, subconsciae".[16] Non ergo agitur de illa philosophia ex professo, quae magna ex parte nata est in Germania, sed de illa latenti, quae fontem habet tum traditionalem connexum cum mentalitate orientali; tum ex parte philosophiam idealisticam germanicam, quae Russiam invaserat, quaeque partim etiam ex Oriente originem ducit, sc. ex platonismo, et mentalitati pravoslavae utique tantopere convenit.

[15] Philosophia potentialis pravoslaviae (Acta VI. conventus Velehradensis, pag. 82—90).

[16] Ibidem, pag. 82.

Abstrahendo a rationibus historicis,[17] illis praesertim byzantinismi[18] vel caesaropapismi imperatorum, qui non solas res civiles eis competentes decernebant, sed insuper saepe in res ecclesiasticas diiudicandas ut protectores sese immiscebant, ita ut paulatim obnubilata sit idea societatis independentis ecclesiasticae perfectae, alterius ordinis, distinctae a potestate civili; abstrahendo etiam a rationibus politicis, dogmaticis, anticatholicis, ad principia philosophiae Platonis recurrere necesse videtur. Quae philosophia in Oriente christiano fere semper auctoritatis magnae fuit; ex exaggerato usu autem Platonis propensio cogitationis talis evoluta est, ut periculosa pro recta sententia dogmatica evaserit. Nam platonismus non est solum doctrina, sed mentalitas, propensio mentis.

Platonismus autem decursu saeculorum varias mutationes et phases suae evolutionis subiit.[19] Si historicas phases evolutionis platonismi consideramus, doctrina Platonis primae et secundae periodi distingui potest. Praeterea magni momenti est pro theologia apud Russos neoplatonismus Plotini, qui maximum influxum habuit.

Quoad modum penetrationis platonismi in Russiam, breviter assignari potest tum traditio vitalis byzantina, tum scripta Patrum platonizantium (Clemens, Cyrillus Alexandrinus, maxime Origenes), tum posteriora scripta religiosa byzantina ordinis ascetici, quae in relatione ad palamismum stant, tum per mysticismum orientalem, tum via indirecta per philosophiam Hegel.

Ex platonismo secundae periodi provenit idea, quae magni in mentalitate pravoslava aestimatur, idea alicuius status idealis cum quasi omnipotenti tyranno, qui omnia tum civilia, artem

[17] Cf Congar, Chrétiens Désunis, pag. 257—261.

[18] Consuli potest et: Masaryk, Rusko a Evropa II, 612—617, 622s. — Quamvis non omnia, quae ibi de rebus theologicis proferuntur, recta sunt; nec verum est quod de capite ecclesiae pravoslavae scribit: „Tak byl v Moskvě jak v Cařihradě císař uznáván hlavou církve ve smyslu vyloženém" (pag. 623). Numquam talis sententia apud theologos russos prolata est, nec implicite quoad sensum proposita. Caput ecclesiae solummodo Christus est iuxta illos, imperator autem tantum moderator vel protector ecclesiae nuncupabatur.

[19] Vide: R. Arnou, Platonisme des Pères (Dictionaire de Théologie Catholique, XII, 2258—2392).

spectantia, tum ad religionem etiam pertinentia regit. Plato in fine vitae defatigatus cogitatione et ideis abstractis solutionem practicam in suis praelectionibus[20] dare intendebat. Unde haec in Legibus Platonis sententiae de re publica, cum quibus altera idea, quae maximi momenti in nostra quaestione est, i. e. idea societatis unicae, cohaeret.

Saepe origo aversionis erga conceptus catholicos fontem communem, platonismum, habet.

Sic e. gr. nos distinguimus: societatem perfectam, non perfectam; civilem, religiosam; naturalem, supernaturalem. Perfecta, quae non est pars alterius, et cuius finis ad alterius finem in eodem genere non refertur (talis est Ecclesia, talis est et res publica), imperfecta societas est familia vel civitas.

Pro homine orientali distinctio talis non existit. Revera apud Platonem secundae periodi habebatur illa idea, quod platonismus debet concretizari et quidem in ordine politico sociali; habebatur ut spiritus, philosophia, quae simul est religio, et philosophi rem publicam regendam suscipere debebant. Pro omni gubernatione rerum socialium, uti religionis, commercii, artis etc. stat unus gubernator.

### *c) Nomoi Platonis.*

Saltem aliqua in sequentibus e doctrina Platonis, et quidem ex eius Legibus[21] adducimus. Ne mentio quidem in Nomoi Platonis de aliquo coetu religioso invenitur, sed potestas statalis omnes leges condit, etiam circa res religiosas.

[20] Cf Zeller, Die Philosophie der Griechen, II. Teil, 1. Abt., pag. 951—982.

[21] Optima institutio videtur, si tyrannus administrat communitatem, ut in libro IV° describitur (710e—713. Adhibemus editionem Schneider, Platonis opera graece et latine.), utique tyrannus virtutibus praeditus i. e. sapiens et fortis in actione. Absolutistica voluntas tyranni in legibus concretizatur, leges sunt praescripta tyranni (In fine libri IV. 722d—723). Ex omnibus legibus in re publica tamen elucet tendentia non solas res externas sociales vitae publicae, sed et familirem et privatam vitam minute legibus subiacentem determinandi (In libro VI. 781e—783). Quicumque vult, ut leges publicae observentur, necessario et praescriptionem vitae privatae aspicere debet, nam his neglectis et publicae leges parvipendi possunt (780a).

Omnes virtutes morales determinantur et praescribuntur civibus, quae po-

Illa theoria de perfecto modo gubernandi tunc primum systematice proposita est. Pleno sensu potest dici hanc ideam imperatoris omnipotentis, ideam unicae societatis omnino platonicam esse. Idea haec magni momenti per saecula in mentalitate pravoslava inveterata reddit difficilem actionem catholicam, nam talia contra unicam societatem russicam esse videbantur. Altera ex parte pro pravoslavis nihil mirum, non repugnat eis, si res publica sumptionem poenitentiae, eucharistiae vel ceterorum sacramentorum determinat; non bene apud eos distingui potest: res publica et Ecclesia. Propterea etiam apud nostrum Akvilonovum catholicismus est tantummodo potestas statalis, est societas.

Akvilonovum doctrinam de unica societate directe e Platone evolvisse non asserimus. Minime, sed durantibus saeculis mediante sic dicto byzantinismo mentalitas talis efformata est.

### *d) Additamentum.*

Cum nuper dictis monophysitismus ecclesiologicus cohaeret, cuius duae species, prima magis appolinaris, secunda species po-

tius ad religionem pertinent (Initium libri V.). Religionem esse fundamentum omnis ordinis (716a—b) verum est, sed apud Platonem et quomodo dei colendi sint (Liber V. 740a—c, 741b—d, 745b—c; Lib. VI. 771b) determinatur, nam principium legum ab institutionibus religiosis egredi debet (771a). Initio libri VIII legimus: „His vero proximum est ut dies festos constituamus et legibus definiamus, quaenam sacrificia et quibus diis oblata prosint conducantque civitatem. Tempus vero et numerum constituendi aliquam saltem partem eorum legibus definire fere nostrum videtur esse." (Iuxta Schneider 828a.) Templis custodiendis sacerdotes et sacerdotissae a societate civili constituantur (759a).

Amplissima autem dissertatio de religione in lib. X° Legum locum obtinet. Legislator decretis contra eos, qui laesionem dei aut verbo aut facto commiserunt, edendis introductionem longam de existentia deorum, de cura eorum circa res humanas praeponit... Introductionem doctrinalem propriae leges contra incredulitatem sequuntur (907d—909d), et quidem primo contra atheistas, incredulos, secundo loco contra dubitantes de providentia divina, tertio contra hos qui modo falso impuroque hominibus simplicibus persuadere student deos per orationes et dona conciliari posse ne sceleritatem poenis plectant... In fine lib. X. lex universalis datur prohibendi liturgiam illegalem in domibus privatis: Nemo sanctuarium in domo privata habeat! Postea poenae et multae pro variis casibus statuuntur.

Haec sunt quaedam exempla e Nomoi Platonis hausta.

tius docetismus ecclesiologicus; manet semper mentalitas platonica. Liceat quaedam fundamenta philosophica discrepantiae in doctrina theologica inter Occidentem et Orientem adicere. Character theophanicus apud Russos attendi debet, qui in omnibus rebus ecclesiasticis, personis et actionibus liturgicis vel ecclesiasticis apparet. Ubi incipit societas, est abusus humanus, nimis cum rebus humanis huius mundi cohaeret, est contagium. Tota institutio Ecclesiae non admittitur nisi in quantum est imago Dei, icona, symbolum. Evolvendo ex Platone mundus apparens est; ideae aeternae, prototypi veram realitatem possident; hic mundus est materia, est per se malum, non est spiritus.

Quo cum occasionalismus coniungitur, ut applicatio principii ad operationem. Nam si mundus secundum mentem platonicam ut apparens, transitorius, sine vera realitate adest, tantum tamquam occasio ad laborandum, patet nec creaturam hoc in mundo, qui sine vera realitate est, valorem veri nominis causae instrumentalis vel secundae habere posse.

„Fere omnibus difficultatibus, quas polemistae russi pravoslavi doctrinae catholicae opponunt, subiacet, in ordine philosophiae latentis aliquod fundamentum commune, nempe plusminusve conscia negatio causarum secundarum causaeque instrumentalis propriae dictae, sive quaedam species occasionalismi ... Revera, analysis rationum, quae indignationem horum polemistarum maxime movent, ostendit eos tamquam crimen considerare omne tentamem attribuendi creaturae, in ordine salutis, valorem causae veri nominis. Sincerus pravoslavus ... admittit solummodo manifestationes, vel ritus sacros, vel accidentales operationes, quarum occasione vel sub quarum specie Deus determinatam realitatem spiritualem immediate producit."[22]

„In organisatione rerum Ecclesiae, in propensione omnia ordinate exsequendi, in legislatione ecclesiastica pravoslavi saepe vident defectum spiritus christiani, immo invasionem sequelarum culpae originalis in sacrarium religionis: organisatio et legislatio supponunt causas secundas in oeconomia salutis, quia immediata actio Dei non indiget ulla organisatione; at praecise honestas huius causalitatis negatur vel in dubium vocatur.

[22] Tyszkiewicz, Phil. potentialis pravoslaviae, pag. 83.

Sed maxima cum claritate apparet occasionalismus pravoslavus in negatione iurisdictionis et magisterii doctrinalis Summi Pontificis. In scriptis auctorum pravoslavorum saepissime occurrunt exclamationes quae ostendunt hos auctores ne concipere quidem posse quodlibet instrumentum Dei universam Ecclesiam regentis eamque ab erroribus servantis... Notiones omnipotentiae et instrumenti, praesertim quando agitur de gubernatione Ecclesiae, multis sinceris theologis russicis apparent ut metaphysice insociabiles, inter se sicut ignis et aqua repugnantes."[23]

Tale videtur esse axioma fundamentale philosophiae pravoslavae latentis, scilicet occasionalismus.

Ergo in usu exaggerato philosophiae Platonis propensio haec spiritualiter concipiendi Ecclesiam fundatur.

## CONCLUSIO.

Multas perpulchras paginas in evolvenda doctrina de Ecclesia Akvilonov proposuit. Optime primarium elementum in Ecclesia, puta, supernaturale, de corpore Christi spirituali, evolvit, sat bene ex Scriptura, Patribus tum etiam ratione theologica ostendit. Immo dici potest eum multis in locis quoad sententias propositas de organica vita Dei in Ecclesia, in singulis hominibus, in tota vita Ecclesiae, quae est continuatio corporis Christi, etiam nonnullos catholicos theologos superasse. Esse tendentiam apud eum dogmatice, non iuridice proponendae doctrinae de Ecclesia certe agnosci oportet.

### *a) Varia methodus Occidentalium et Orientalium.*

Differentia autem inter Occidentales et pravoslavos maxime adest in tractanda doctrina de Ecclesia. Occidentales[1] in theologia sic dicta fundamentali Ecclesiam potius ut principium directivum fidei et veritatis infallibilem magistram considerant.[2]

[23] Ibidem, pag. 85—86.

[1] Gordilo, De Ecclesia et Rom. Pont., pag. 3.

[2] „... que... les catholiques voient l'extension de l'Église, le nombre de ses fidèles, là où les orthodoxes ne voient que la profondeur de l'Église, la qualité de ses membres." (Szepticky, Deux mentalités, pag. 234).

Orientales tamen potius dogmatice ecclesiologiam tractant, primo loco ponentes gratiam sanctificantem, quae unit omnia membra Ecclesiae sive cum Christo, sive inter se, et secundo loco omnia temporalia et exteriora ponunt. Ambae duae viae admitti licet, tamen periculum latet, si modo nimis exclusivo una sine respectu ad alteram sumitur.[3] — Huiusmodi differentiae aspectum alium dant dissertationi orientalium et occidentalium, nihilominus sicut bene Szepticky dicit, invicem se complent.[4]

*b) Diversitas mentalitatis.*

Ratio cur Akvilonov definitionem per societatem impugnat, non est definitio in se sola sumpta tantum, sed ut vidimus, tota mentalitas et multa axiomata, mentalitatis et cogitationis propensio.[5] Quae discrepantiae psychologice consideratae sunt quaedam particularitas, alius aspectus diversae methodi supra commemoratae, diversae mentis dispositionis,[6] quae potius ad psychologiam per-

3 „... dans la vie de l'Église, commencent a prévaloir les qualités et les forces latentes qu'exprime le relief donné des préférence à certaines notes d'une idée, alors, sans aucune définition nouvelle, sans apporter aucun changement à l'essence de cette idée, on commence peu à peu à penser dans le même sens: on souligne avant tout ces notes que la vie a mises en relief et l'on oublie, souvent sans le vouloir, les autres notes, celle que la vie avait lissées au second plan. De cette manière, on peut arriver à se former de conceptions non seulement incomplètes, mais même inexactes". (André Szepticky, Deux mentalités, p. 233).

4 Prof. Grivec (Cerkev, pag. 4s) tenuem quandam incriminationem theologiae occidentali facere videtur, nam doctrina de Ecclesia maxima ex parte apologetica fuit contra protestantes et modernitas; minime autem respectum facit ad pravoslavos, nec, si ultimis decenniis nonnullos auctores excipias, ad methodum et mentalitatem eorum attentionem vertit. (Vide et: Mistično Telo Kristusovo, pag. 2). — Sine dubio quid veri inest in tali assertione, tamen multa diversitate illa explicari possunt.

5 Alias causas et radices unde peculiares opiniones proveniunt, lege apud Spáčil, Conceptus et doctrina de Ecclesia, pars altera, pag. 46—49.

6 Vide: Congar, Chrétiens Désunis, pag. 257ss. — Cf et Adolf Špaldák, Quae sunt psychologicae condiciones concordiae eorum, qui inter se de doctrina contendunt, restituendae. (Acta III. Conventus Velehradensis, Pragae Bohemorum 1912, II, pag. 1—5). — Cum fructu perlegi possunt verba Prof. Sergii Bulgakov: Ad Congressum Velehradensem (Acta IV. Conventus Velehradensis a. 1924, Olomucii 1925, pag. 130).

tinent. „Hae diversitates in modo cogitandi fluunt ex educatione, ex historia, geographia etiam, generatim ex moribus vitae, quae tam diuturnam a nobis dissonantiam creaverant. Isti modi cogitandi non sunt secundarii, sed magnas partes habent in enuntiatione et solutione problematum."[7] Hae discrepantiae psychologicae certe attendi debent.[8] Si in aliis quaestionibus theologicis et philosophicis admittuntur, multo magis, si agatur de tractatu de Ecclesia. „Aliae enim quaestiones iam erant theoretice tractatae et solutae tempore antiquo; sed labor theologorum in quaestione de Ecclesia est relative recens, et efformatus secundum modernam occidentalem culturam et psychologiam independenter ab omni influxu orientali.[9] Initio fuit tractatus apologeticus contra Protestantes. Propterea hoc, quod eminet in psychologia moderni catholici, quando vult sibi repraesentare quid sit Ecclesia, societas spiritualis, habens suum finem et propria media, quamvis transcendens, et a Deo constituta, est conceptus psychologice elaboratus ad instar societatum modernae Europae."[10]

### *c) Defectus firmi fundamenti philosophici.*

Alia causa discrepantiae tractatus de Ecclesia Orientem et Occidentem inter sunt diversa principia philosophica variis in locis breviter adnotata. Praesertim illa res notissima doctis, qui operam theologiae orientali dant, de non praecisis et stabiliter determinatis conceptibus philosophicis. Sic et Akvilonov non bene determinat et distinguit conceptus, exinde e parte conclusiones eius falsae sunt. — Vestigia neoplatonica apud recentiores theologos pravoslavos conspiciuntur, quae in probandis ex ratione dogmatibus et veritatibus fidei tamquam fundamentale principium philosophicum permanent; dum in Occidente principia Aristotelis in scholastica magis praevalent.

[7] Ch. Bourgeois, Psychologica Russorum ad occidentalem culturam relatio quomodo influat in eorum conceptum de Ecclesia, pag. 175.

[8] Quamvis non nimis exaggerandae sunt: Lege Acta VII. conv. Velehradensis, Olomucii 1937, pag. 221s.

[9] Agitur potius de modo proponendi doctrinam de Ecclesia. Non de ipso conceptu Ecclesiae; quasi talis conceptus Ecclesiae omnino ignotus in Oriente esset.

[10] Ch. Bourgeois, pag. 180.

Nil mirum, si voces sparsim audiuntur de ponenda firma basi pro theologia orientali. Martin Grabmann[11] ostendit scholasticam ipsam, seu tendentiam systema aristotelicum evolvendi ipsumque theologiae christianae accommodandi priusquam in Occidente latino, exortam esse in Oriente;[12] quapropter Johannes Damascenus[13] primus scholasticus vocari potest. Ita e. gr. Denissoff sentit defectum firmi fundamenti philosophici, super quod aedificium theologicum construatur; quod vult, non curans de evolutione talium saeculorum, supra Johannem Damascenum construere;[14] insuper sperat nominatus auctor ad unionem praeparandam supra hanc basim procedi posse.[15]

[11] Die Geschichte der scholastischen Methode, I. Bd., pag. 76—116.

[12] Cf Cichowski, De fundamento philosophico..., pag. 91—93.

[13] „Derjenige von den Theologen der griechischen Spätpatristik, dessen Schriften das entschiedenste scholastische Gepräge an sich tragen und der zugleich ein von der mittelalterlichen abendländlischen Scholastik viel benützter Autor gewesen, ist Johannes von Damaskus" (Grabmann, o. c., pag. 108).

[14] „De l'édifice philosophique chrétien oriental Saint Jean Damascène est donc la pierre angulaire... Il a, le premier, introduit dans la théologie chrétienne les méthodes d'interprétation rationnelles. L'Église russe peut donc à juste titre se placer, en philosophie comme en théologie, sous l'égide du maitre qui fut nommé le père de la scolastique et le S. Thomas d'Aquin d'Orient." (Denissoff Elie, L'Église Russe devant le Thomisme, pag. 61).

Si l'on parcourt les thèmes philosophiques réunis par le Damascène, l'on constate que notre auteur, pas plus que Thomas d'Aquin, n'est aristotélicien, ni platonicien, ni néo-platonicien. Jean ne se rallie à aucune école philosophique, mais adopte une attitude indépendante qui, depuis caractérise tous les penseurs chrétien; dans les thèses des anciens philosophes, il recherche des doctrines adaptables aux vues chrétiennes. Cette indépendance à l'égard des Écoles, jointe au respect des opinions des autres Pères de l'Église, fait partie de son legs méthodologique à la postérité . ." (Ibidem, pag. 62).

[15] „L'oeuvre damascénienne rend possible, semble-t-il, sur le terrain philosophique, le rapprochement des deux branches de l'Église chrétienne, la byzantine et la latine. Domaine de la raison naturelle, ce terraine est propice à la fraternisation des tenants des deux confessions-soeurs.

Pour que ce rapprochement puisse s'effectuer, il suffit que le thomisme soit réintégré dans le plus large mouvement qu'est la tradition philosophique chrétienne... Ainsi la branche latine sera amenée à introduire dans sons enseignement philosophique les travaux de la période patristique grecque, si negligée dans ses universitées" (Ibidem, pag. 65).

*d) Ecclesia imprimis ut continuatio Christi Incarnati consideranda est.*

Manentes in ambito sententiarum nostri Akvilonovi, ceterum apud multos pravoslavos similes propositiones inveniuntur, summatim concludere possumus theologos pravoslavos magna ex parte bona fide contra Ecclesiam catholicam pugnare putantes solos pravoslavos elementum primarium sc. supernaturale inculcare, dum apud catholicos elementum humanum praevalere... (campus apertus adhuc manet pro multo labore, pro mutua cognitione et comprehensione).

Catholicos numquam elementum divinum, supernaturale, immolare et solum visibile, humanum, extollere, sublineari debet. Secundum schema Constitutionis II. de Ecclesia in Concilio Vaticano elaboratae, „Quo vero magis hoc regnum divinum est, eo minus Dei Filius illud informe reliquit, humana scilicet prudentia ordinandum; sed per se ipse constituit et iura dedit".[16] Ergo catholici tantum ea, quae interna sunt, a Domino externis unitatis vinculis communita fuisse tradunt.[17] Etiamsi nonnumquam minus, concedi potest, de elemento divino in Ecclesia loquantur, id tamen potius ex diversa methodo super indicata provenit. Nihilominus sincere sine polemica multis theologis pravoslavis explicandum esse patet eos revera optime Ecclesiam corpus divinohumanum appellare, sed non omnino logice usque ad consequen-

„La branche orientale, à son tour, lorsqu'elle aura attentivement médité l'inspiration philosophique des Pères d'Orient, sera amenée, par le dynamisme même de leur pensée, à redescendre le courant de la tradition philosophique jusqu'aux Docteurs médiévaux latins. Les chrétiens de rite byzantin constateront alors, combien est grande la parenté d'esprit du Damascène et du d'Aquin. L'un avait posé les jalons de la scolastique, l'autre l'a portée à son apogée. Thomas a, dans ses Sommes, traité explicitement les idées qui n'étaient qu'ébauchées dans les oeuvres de Jean. Les travaux de S. Thomas d'Aquin présentent de nombreuses citations des textes de S. Jean Damascène, étudiées et interprétées par l'esprit penétrant du fondateur du thomisme.

La tradition philosophique de la chrétienté prendrait de la sorte sa source à une époque antérieure à la scission qui se fit au IX siècle entre la branche de Rome et celle de Byzance..." (Denissoff, ibidem, pag. 66).

16 Mansi 53, 315 B.

17 Vide: Gordillo, Compendium..., pag. 64.

tias procedere.[18] Propositiones rectas statuentes in ulterioribus investigationibus humanum concedere nolunt et insistunt plus quam necessarium in divino,[19] metuentes omne contagium ex humano, ex materia proveniens.[20] Ita Akvilonov Ecclesiam esse di-

[18] „... Mais il ne faudrait pas remplacer une exclusive par une autre exclusive et, si certains ne parlent guère de l'Église que comme une société fondée par le Christ, ne vouloir plus connaitre, dans l'Église, que le Corps vivant du Seigneur, animé par l'Esprit de la Pentecôte. Deux éléments inégaux d'ailleurs en valeur, sont à tenir ici ensemble: l'immanence du Christ à son Église par son Esprit, la transcendance du Christ à son Église par sa puissance; le fait d'organisme, et le fait d'organisation; le corps mystique, et la réalité sociétaire de l'Église. Le Christ n'a pas seulement fondé une société; il l'anime aussi comme son Corps; le Christ n'est pas seulement, pour l'Église, une source intérieure de vie par son Esprit; il est aussi son législateur, il l'a fondée comme un peuple nouveau et a institué en elle des pouvoirs: jurisdiction pastorale, ordre, magistère apostolique.

Aussi, on ne peut pas plus considérer l'Église seulement comme une réalité vivante, le Corps mystique, qu'on ne peut la considérer seulement comme une institution ou une société: elle est les deux." (Congar, Chrétiens Désunis, pag. 270—271).

[19] Recte scribit Carl Feckes: „Die Kirche ist gestiftet von oben, Ziel und Wesen sind übernatürlich, und doch hinwiederum ist sie eine echt menschliche Gemeinschaft. Sie ist eine sichtbar-unsichtbare Gemeinschaft. Nur so kann sie ein Abbild des Gottmenschen sein. Den Kampf um diesen Charakter hat die Kirche durch alle Jahrhunderte hindurch geführt. Immer wieder stiess man sich an dem Sichtbaren, welches ja auch das Menschliche und Fehlbare ist, und wollte eine neue Geistkirche errichten." (Das Mysterium der heiligen Kirche, S. 167).

[20] Jam Vlad. Soloviev sententiam istam similo modo clare expressit dum scribebat: „Востокъ, православный въ богословіи и неправославный въ жизни, понялъ богочеловѣчность Христа, но не могъ понать богочеловѣческаго значенія Церкви; онъ хотѣлъ имѣть въ Церкви только божественное, а не богочеловѣческое. Для него церковь была только сватыня, данная свыше въ окончательной формѣ, сохраняемая преданіемъ и усвояемая благочестіемъ. И по истинѣ это есть самое первое въ Церкви, но дла Востока это было и первое и послѣднее. Для него вся истина христіанства, представляемая Церковью, была только надъ человѣчествомъ и прежде человѣчества. Но христіанство есть истина богочеловѣчества, т. е. внутренняго единенія Божества съ человѣчествомъ во всемъ его составѣ. Поэтому Церковь, будучи въ своемъ основаніи дѣломъ сверхчеловѣческимъ, не можетъ ограничиваться однимъ этимъ божественнымъ основаніемъ, а должна обнимать собою все зданіе нашей жмзни.“

Соединеніе же того и другого въ Церкви непремѣнно требуется

vino-humanum corpus Christi bene proponit, non tamen usque ad extremas consequentias omnia logice evolvit, scilicet humanum in Ecclesia considerans deberet ad societatem pervenire.[21]

Akvilonovum cum aliquibus theologis Russis ad synthetistas pertinere initio dissertationis dictum est; retinens scilicet doctrinam traditionalem in particularibus aliquando, aliquando in generali aspectu[22] sententias Chomjakovi, qui clare Ecclesiam qua societatem iuridicam reicit et ut organismum spiritualem, unionem spiritualem fidelium definit, sequens, saepissime impressionem dat spiritualiter concipiendi Ecclesiam. Protestantes spirituale in Ecclesia magis prementes ad conceptum Ecclesiae invisibilis pervenerunt; ipse forsitan hoc periculum comperit et multum contra invisibilitatem Ecclesiae verbis pugnat, de facto tamen negans Ecclesiam qua societatem, iamiam conceptui protestantium appropinquat.

Quoad positivam partem; cum pravoslavis agentes vel doctrinam de Ecclesia explanantes respectu habito Orientalium non tam in definitione s. Bellarmini insistendum est, sed magis in illo divino-humano corpori Ecclesiae, in theandricitate (quam ideam apud Russos Vlad. Soloviev magnifice explanavit),[23] in continua-

ея богочеловѣческимъ характеромъ. Какъ истинное тѣло Богочеловѣка Христа, Церковь должна быть, какъ и Онъ, несліяннымъ и нераздѣльнымъ сочетаніемъ божественнаго и человѣческаго." (Великій споръ и христіанская политика 1883. Собраніе Сочиненій Владиміра Сергѣевича Соловьева. Томъ IV. С. — Петербургъ, стр. 45-46.)

21 „On aura bien compris que, pour nous, l'ecclésiologie orthodoxe n'est pas tant fausse qu'incomplète: elle néglige le statut propre de l'Église militante". (Congar, Chrétiens Désunis, 272).

22 E. Akvilonov, A. Lebedĕv, N. Malinovsky . . . „ich tendencje postępowe wyrażają się w tem, że, próbując zachować tradycyjne dane eklezjologji konserwatywnej, przeprowadzają bardziej liberalną interpretację lub też uzupełniają je szczegółami z demokratycznych opinji Chomiakova." (Pawłowski, Idea Kościoła w ujęciu rosyjskiej theologji i historjozofji, pag. 111.)

23 „W każdym razie jeśli chodzi o tytuł „duchownego ojca rosyjskiego katolicyzmu" podstaw dla niego należy szukać z całą pewnością nie w sofiologii Sołowjewa, lecz w idei wcielenia „bogo-człowieczeństwa", zapewniającej niezniszczalną wartość jego religiozofii. Z tej idei wyrostło głębokie zrozumienie Sołowiewa dla tajemnicy Kościoła, jako teandrycznego organismu powszechnego, w którym uskutecznia się zespolenie wartości boskich z doczesnymi." (Ks. Antoni Pawłowski, Sofiologia Włodzimierza Sołowiewa, Lwów 1937, pag. 56.)

tione corporis Christi in Ecclesia, in continuatione redemptionis. Exemplum nobis dedit concilium Vaticanum insinuans talia in constitutione dogmatica prima de Ecclesia Christi, et quidem in parte reformata: „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis suae opus usque ad consummationem saeculi perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur."[24] Summatim potest dici: „Concilium Vaticanum suis editis documentis characterem tum visibilem quam invisibilem Ecclesiae pari cura illustravit."[25] Similia pronuntiari licet de litteris encyclicis Leonis XIII. „Satis cognitum";[26] vel Pii XI. „Miserentissimus Redemptor".[27] Similitudinem inter Verbum incarnatum et Ecclesiam etiam praebet Congar,[28] maxime autem haud raro nuncupatus prof. Tyszkiewicz,

[24] Mansi 53, 252 C; cf prius 53, 240 C.

[25] Gordillo, Compendium..., pag. 64.

[26] „Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Jesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet.

Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam... Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis,... vel divina tantummodo natura invisibilis, sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit." (Acta Sanctae Sedis, vol. XXVIII, pag. 710.)

[27] „Accedit quod passio Christi expiatrix renovatur et quodammodo continuatur et adimpletur in corpore suo mystico, quod est Ecclesia." (Acta Apostolicae Sedis, vol. XX, 1928, p. 174). Vide et: „Cum enim corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit, compactum et connexum, corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse: quisquis igitur cum eo non copulatur, nec eius est membrum nec cum capite Christo cohaeret." (Litterae encyclicae PP. Pii XI „Mortalium animos". — AAS, XX, 1928, p. 14s).

[28] „... l'Église, comme société, est la forme humaine de l'unité, intérieure

Ita optime explicari potest cum elementum divinum tum humanum in Ecclesia; non solum autem explicari, sed etiam maxime theologice et omnino logice deduci, vel aliis verbis: insistendum est in conceptu corporis Christi mystici, et quidem recte explicato omni ex parte usque ad ultimas consequentias; nam uti vidimus, differentia inter Orientales dissidentes et catholicos magna ex parte fundatur in eodem falso conceptu corporis mystici a pravoslavis proposito,[29] ex quo non solum negatio primatus,[30] sed etiam reiectio Ecclesiae ut societatis provenit, cuius deductionis exemplum nobis exhibuit Eugenij Petrovič Akvilonov.

## IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

*Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C.Ss.R.*

Continuatio.

In neutra phasi evolutionis sponsalium iuris consuetudinarii nullum unquam impedimentum matrimoniale ex ipsis oriebatur, nec noscitur aut admittitur processus ad eadem solvenda.[712] Quodsi vir ante matrimonium sponsam propriam virginitate criminose privaverit, datur quidem dehonoratae ius ad „intrusionem" (naturvanie, natrapvanie); hoc ius tamen cuilibet virgini defloratae competit, etiamsi ne unilateralis quidem viri promissio de matrimonio ineundo praecesserit; non vero competit viduae aut alias corruptae nec virgini, si cum viro coniugato peccaverit.[713] Uno verbo: ex sponsalibus consuetudinariis nullum impedimentum ligaminis oritur aut cognationis aut aliud quod-

toute divine de l'Église comme Corps mystique... L'Église visible et empirique, la société religieuse que nous appelons l'Église est la visibilité et la réalisation, sous forme humaine, du Corps mystique. Le Christ compare l'unité pour lequelle il prie à celle qui existe entre son Père et Lui, le Verbe incarné: lui, dans sa visibilité, il fait les oeuvres du Père, et le Père opère par lui: théandrisme. De même l'Église, en sa substance spirituelle et visible à la fois." (Chrétiens Désunis, pag. 94.) - Cf discussiones in conventu VII. Velehradensi habitas. (Acta VII. conventus Velehrad. a. 1936. Olomucii 1937, p. 215-219.)

29 Cf Špáčil, Conceptus et Doctrina de Ecclesia, pag. 103.

30 Plura vide: Gordillo, Compendium Theologiae Orientalis, pag. 69—77

libet. Quaestio igitur, quodnam ex tribus sponsalium momentis ad ipsa constituenda essentiale sit, ad nos non pertinet. Si tamen propriam sententiam proferre liceat, videtur nobis modo in minoribus sponsalibus (in quibusdam regionibus) modo in maioribus essentia nostri instituti consistere, prout scilicet pactum de pretio pro muliere in primis vel in secundis concluditur.[714]

Maioris momenti sunt duae observationes ex examine iuris popularis adquisitae:

a) non ubique celebrata sunt sponsalia ecclesiastica, sed hierarchia sat contenta erat, si saltem ad coronationem nupturientes in ecclesiam venerant.[715] Qua de causa in his regionibus ipsum fundamentum deerat, ut in ius aut saltem in usus populares impedimenta ligaminis et affinitatis ex sponsalibus ecclesiasticis inducerentur;

b) etiam in oppidis et pagis, in quibus una cum sponsalibus iuris popularis, sponsalia ecclesiatica celebrabantur (in sponsalibus maioribus) populus exaequationem sponsalium iuris ecclesiastici cum matrimonio relate ad impedimenta ligaminis et affinitatis difficulter concipiebat et abusus tam frequentes erant, ut etiam hierarchia a canonica severitate quandoque recederet.[716]

Notandum enim in Bulgaria usque ad annum 1889 sponsalia ecclesiastica semper domi et separatim a matrimonio celebrata esse; spatium inter sponsalia et matrimonium a duobus vel tribus mensibus usque ad duos vel tres annos vacillabat.[717] Ecclesia Bulgarorum „orthodoxa", ut conflictus iuris ecclesiastici cum consuetudinibus populi inradicatis evitaret, per speciales litteras circulares die 17 Martii 1889 praecepit, ut sponsalia immediate cum matrimonio in ecclesia celebrarentur.[718]

Magis adhuc dubia sub adspectu iuris viventis est *affinitas ex copula illicita.* In ipsa legislatione et iurisprudentia scripta (theoretica) existentia huiusmodi affinitatis discuti potest.[719] In praxi quaestio raro apud Bulgaros occurrere poterat; in universa enim Bulgaria alia consuetudo vigebat, quae sensu improprio impedimentum vocari potest, secundum quam:

a) Virginis stuprator aut fornicator in flagranti deprehensus ab universo populo, non solum a mulieris cognatis seductam virginem uxorem ducere cogebatur.

b) Post factum vero, nisi de fornicatione cum vidua aut cum manifeste iam prius ab alio deflorata actum sit et nisi vir ipse impedimento ligaminis ligatus fuerit, dabatur ius ad intrusionem.[720]

Quae consuetudo cum organisatione zadrugali cohaerebat: Dehonoratio enim alicuius membri zadrugae ut dehonoratio totius familiae, imo totius gentis concipiebatur: qua de causa nec familia viri nec ille ipse recusare matrimonium ineundum poterat.

Idcirco casus affinitatis ex copula illicita nonnisi raro occurrebant, sed etiam in his casibus Ecclesia nullum impedimentum in praxi agnoscebat.[721]

*Defectus virginitatis* in sponsa, quae virgo praesumitur, quia nec vidua nec prostituta nec alioquin manifeste deflorata, constituebat in iure consuetudinario praechristiano causam divortii, excepto casu, quando ille ipse, qui talem ducit, fornicationis crimen cum ipsa perpetraverat. Modo sub dominatione Ottomana, mutata notione de matrimonii natura iuridica, defectus virginitatis sponsae potius velut praesumpta privata conditio coniugii contrahendi concipitur ita, ut ipse populus, qui repudium eiusmodi mulieri fieri videat, dicat: „matrimonium non fuisse initum!"[722]

Cum in iure consuetudinario ne sub fine quidem saeculi XIX ulla unquam vestigia *impedimenti ex adulterio* reperta sint, praesupponere licet: hierarchiam sive Graecam sive Bulgaricam aut nunquam aut raro tantum impedimenti huius observantiam a populo exegisse. Etiam quaedam exempla revera classica habentur abusivae praxeos, iuxta quam notorie adulteri coronati sunt in Ecclesia.[723]

Nihilominus non tam abusiva praxis ecclesiastica quam potius ius consuetudinarium Bulgaricum poenale causa erat, cur hoc impedimentum in iure matrimoniali non inveniretur. Crimen adulterii enim in quibusdam regionibus puniebatur morte utriusque rei (tunc quaestio exsulabat); ordinarie expulsione aut talibus poenis plectebatur, ut mulier aut et mulier et vir etiam crudelibus sanctionibus perpessis praeferrent exsilium voluntarium in regionem Bulgariae tam longinquam, ut nemo crimen ipsorum agnosceret.[724]

Propterea ecclesia a iudicio criminali instituendo abstinebat;

deerant etiam accusatores. Impedimentum ecclesiasticum adulterii, uti plurimum, ne oriebatur quidem[725] et ita in ius populare non est receptum.

E contra *impedimentum raptus* a iure consuetudinario non solum non est receptum, sed ab hoc positive eliminatum est et qua tale per totam nostram epocham remansit, quamvis usus raptus ut modi matrimonii ineundi non in omnibus Bulgariae regionibus cum aequali frequentia exerceretur;[726] hodie utique raptus potius ad historiam iuris consuetudinarii pertinet.[727]

Licet populus Bulgaricus *coronationem sponsorum* matrimonii elementum essentiale seu constitutivum non considerasset, nihilominus regulariter saltem ecclesiam ad coronationem recipiendam adire solebat et quidem etiam in casu raptus, fugae et intrusionis.[728] Propter quos tres extraordinarios matrimonii ineundi modos numquam in Bulgaria consuetudo obtinuit, ut coniugia coram parocho proprio contraherentur. Ad summum obtinere poterat regula, ut matrimonium a parocho proprio sponsi non sponsae coronaretur, sed haud raro coronatio securitatis causa in tertio loco celebrari solebat.[729] Et quia sponsi ipsi bullam requirebant, semper per optionem eligere sibimetipsis ex sacerdotibus totius metropoleos poterant, a quo coronari optabant. Quodsi nuptiae per emptionem-venditionem celebratae sint, parochus sponsae, non sponsi matrimonio benedicere solebat. Nupturientium consuetudo ecclesiam ad coronationem recipiendam adeundi bellorum tempore internorum interdum magna ex parte interrupta est; ita quidem ex positivis testimoniis scimus: tempore invasionum latronum, quibus nomen „chajduci" aut „kirdžali", quo pro quinquaginta pagis unus sacerdos superfuisset (aa. 1792—1804), matrimonia inter Bulgaros christianos sine coronatione celebrata esse.[730]

Quoad quattuor fundamentales modos consuetudinarios matrimonii ineundi notandum est:

a) *Raptus* est chronologice modus antiquior: tempore vero historico per emptionem-venditionem substitutus est, non vero ita, ut dispareret. Etenim usque ad novissima tempora cum secundo modo in Bulgaria coexistebat.[731] *Fuga (pristanka)* recentioris originis est: in antiquioribus canticis et proverbiis popularibus nun-

quam reperitur.[732] Hodie autem, saltem in pagis vicinis Plovdiv (Philippopolis) fuga de die in diem frequentior fit, ast non propter discordiam inter parentes sponsae cum sponsis, sed ex oeconomica ratione, ut scilicet gravissimae expensae sollemnitatum nuptialium evitentur, fingitur discordia, fuga simulatur.[733] Ex eadem ratione iam pridem ad fictum raptum recurri solebat.[734] In regionibus Vidin, Lom, Kula, Orěchovo, Vratča raptus interdum formam subdolae retentionis mulieris induebat.[735] *Emptio-venditio* saltem inde a saeculo XIX in pluribus Bulgariae regionibus in emptionem-venditionem fere symbolicam transformata est.[736] Nec desunt pagi et oppida praesertim in Bulgaria orientali, in quibus iuris Graecorum influxu loco emptionis-venditionis mulieris dos invaluerit; cum instituto iuridico terminus adaptatus est *πϕοῖξ* prik (plerumque dicitur „zestra").[737]

*„Intrusio"* denique omnium modorum rarissima est et absque dubio semper exceptionalis erat.[738]

b) Omnes hi modi matrimonii ineundi nullo modo *formae substantiales* coniugii dici possunt: Nam sicut ad possessionem adquirendam praeter duo elementa constitutiva: realem rei apprehensionem atque animum dominii nulla alia solemnitas requiritur nec requiri potest, nam possessio in facto consistit, ita etiam quaelibet forma substantialis matrimonii-facti ad validitatem praescripta impossibilis erat. Ita in iure consuetudinario nondum christianisato.

Nihilosecius sub dominatione Ottomana videmus populum semper exteriores solemnitates matrimonii requisisse. Etiam in casu raptus, fugae, intrusionis necesse erat, ut nuptiae celebrarentur *(svadba)*, licet non cum tanto splendore et apparatu quam in matrimoniis ordinariis.[739] Qua de causa antiquissimum illud proverbium „Bez svadba brak nestava" = „Sine nuptiis matrimonium non consistit" sensum mutasse videtur: Dum enim in iure nondum christianisato terminus *svadba* substantialiter deductionem mulieris in domum mariti, melius mulieris subiectionem in viri potestatem designat, nunc etiam ceteras magis principales saltem sollemnitates exteriores designare videtur, ita etiam sub hoc adspectu notio popularis de matrimonii natura iuridica mutata est.

At sicut distinguendum est inter possessionem naturalem tantum (i. e. furtivam) ac naturalem et civilem (i. e. legitimam), ita etiam inter matrimonium clandestinum et matrimonium sollemniter initum. Utraque est possessio, utrumque est validum matrimonium, societas tamen illud vel illam reprobat, punit, inhibere conatur; hoc vel hanc laudat, fovet, defendit. Matrimonia sine sollemnitate inita rarissima erant, quia minus decentia habebantur, nihilominus ne in nostra quidem epocha eiusmodi coniugia clandestina concubinatus considerabantur.[740]

c) Etiam *populares caeremoniae* nuptiales mentionem saltem summariam merentur, nam in iis haud raro conceptus primitivi de matrimonio vestigia resplendent.[741]

Festa nuptialia ordinarie die Mercurii per caeremoniam dictam *zasevki* incipiunt, quae fortasse (!) influxu Romanorum invexit (immediate vel mediate per Thraco-Illyricos): Videtur enim patricia confarreatio! Substantialiter consistit in eo, quod speciales panes nuptiales sollemni ritu confecti a sororibus (aut mulieribus cognatis) utriusque sponsi, melle desuper infuso, super capita nupturientium franguntur et, dum mel decurrit, proferuntur verba: Ita vos invicem amate, ita vos invicem diligite, sicut apis mel (ceteris rebus praefert). Quae caeremonia propterea Romana videtur, quia apud alios Slavos non est reperta. Quaenam vero in illa ad Quirites pertineant et quae sint additamenta Thraco-Illyrica aut Bulgarica, determinari nequit.

A feria quinta usque ad sabbatum praeparationes fiunt, quae multis canticis et saltationibus nullius certe momenti iuridici adornantur.

Principales caeremoniae die Dominica incipiut et finiunt. Primo mane abeunt omnes cognati viri uxorem ducere optantis in domum sponsae, quam sponso, qui quandoque domi remanebat, adducant. Etsi ordinarie sponsus simul it, non comparet in publico nisi in limine domus propriae, ubi essentiale nuptiarum elementur completur; imo ne „cognoscatur" a cognatis sponsae, faciem suam velo abscondit. Usque ad limen domus locum eius tenet frater iunior aut, si eo careat, alius cognatus vel etiam amicus quilibet appellatus „děver". Portae domus sponsae sunt clausae. Cognati sponsi ficte per vim intrare tentant. Postquam vero

omnes conatus in irritum ceciderunt, pretium solvendum promittunt, tunc solum portae aperiuntur et sponsa, quae in cubiculo hucusque clausa erat, in cavaedium (cortile) exit. Quandoque etiam portae de novo clauduntur, quia pretium solutum sufficiens nondum esse videtur. Sponsa domum paternam derelictura primum (saltem in quibusdam regionibus) ad focum domesticum abit, ubi ter profunde se inclinat, dein omnibus in cavaedio congregatis manus osculatur, patri vero (respective patrifamilias) genua; iterum in quibusdam regionibus tantum genua osculatur. Etiam ad flendum obligatur—quandoque usque ad limen domus viri. In quibusdam canticis, quae vel sponsa ipsa vel alii pro ea cantant, in itinere ad domum mariti filia sponsa maledicit parentibus, fratribus et in genere toti zadrugae se misere venditam esse; in aliis de matrimoniis per raptum initis mentio fit. Raptum etiam arma commemorant, quibus cognati viri interdum muniuntur. Ordinarie inter derelictionem domus paternae sponsae et ante eiusdem deductionem in domum mariti coronatio in ecclesia intercedit. In quibusdam autem regionibus coronatio adhuc in domo sponsae et quidem post meridiem peragebatur, in aliis, ut diximus, nonnisi post aliquos menses, imo et post annum, nuptiis iuris consuetudinarii integris peractis. Etiam in ritu ecclesiastico coronationis populus aliquas caeremonias sui proprias introduxit. Maxime instructiva est sparsio grani in capita praesentium, symbolum aut potius optatum, gratulatio fecunditatis matrimonii. Eandem significationem habet usus regionalis impositionis infantis in sinum sponsae immediate ante, quam domum viri ingressa est.

Postquam limen domus paternae viri comitatus nuptialis adeptus est, sponsa descendere de curru aut equo recusat, sed paulatim donis a familia sponsi (per matrem) oblatis allicitur. Quae dona quandoque sat notabilia erant et „charisano" appellabantur, id est intangibilia, irrevocabilia, sancta, sponsae propria. Dein hospitalitatis gratia accipit dulcem potum (sladko) hucusque in Bulgaria pro hospitii symbolo usitatum; interdum uterque sponsus cingulo ligatur et ad portam domus adducitur. Ubicumque caeremoniae nuptiales fidelius conservatae sunt, transgressio liminis fit cum magna sollemnitate: sponsa primum salem ex genu

sponsi lambere tenetur; dein sub pede ipsius subrepere ac patienter ictum tergo impositum perpeti. Clarius subiectio mulieris in viri potestatem vix exprimi posset. Multis locis autem haec humilians caeremonia per simplicem osculationem manus viri et eiusdem patrisfamilias ac parentum substituta est et paulatim etiam haec disparuit. Ita in desuetudinem plerumque illa pagana venit, at sub dominatione Ottomana fortasse adhuc sat ordinaria adoratio foci domestici sponsae post ingressum in domum mariti facienda.

Nox nuptialis dein sequebatur, quae ut iam diximus, ad essentiam nuptiarum non pertinet, sed merum erat medium, ut virginitas sponsae publice comprobaretur, nam casu, quo in matrimonium vidua aut manifeste deflorata ducitur (praesertim si matrimonium per raptum, fugam aut intrusionem initum est), nox nuptialis non celebrabatur. Hodie praesertim haec sollemnitatum nuptialium pars abrogata est.[742]

### Articulus III.

### *Influxus iuris Islamici in ius matrimoniale consuetudinarium.*

Sicut philologis ita etiam iuristis difficillimum praesentatur problema elementa revera Turcica discernendi ab influxu Cumanorum, Pečenĕgorum, Vardariotum necnon ab influxu ipsorum Bulgarorum-Finnicorum. Ad confusiones inutiles evitandas inter influxum officialem et inter influxum conviventiae distinguamus oportet:

*§ 1.* De relatione iuris Islamici ad systemata religiosa „infidelium" fundamentalis codex Musulmanorum est valde lacunosus.[743] Primus, qui conditionem iuridicam christianorum in Civitate musulmana determinaverat, fuit califus Omar I. (634—644). Duo acta eiusdem, licet hodie de ipsorum authenticitate dubitetur, ut basis subsequenti iurisprudentiae ac legislationi Islamicae inserviebant.[744]

Relate ad ius consuetudinarium „infidelium" in primo „fermano" Omaris I. deciditur:

1. Ne (christiani) in vestitu, consuetudinibus legibusque Musulmanos imitentur.

2. Ne nomina propria „fidelium" assumant.

3. Ne paganorum mores aut usus ostendant.

4. Ne campos aut domos Musulmanis vicinos emant.

5. Ne servos Musulmanos emant.

Quicumque contra haec egit, negotium eiusdem irritum sit; insuper impune a quolibet „fideli" occidi potest. In secundo „fermano" omnium christianorum securitas solemniter proclamatur.[745]

Certe etiam Mahometus II. (1451—1481) prototypis Omaris I. usus est. Dolendum „fermanum" Mahometis II. ad nostra tempora non pervenisse. Secundum probabilissimam reconstructionem tria privilegia Graecis (per quos omnes christiani ritus Byzantini intelliguntur) in imperio Ottomano assecurata sunt:

1. Ecclesiae eorundem in moscheas transformari nequeunt.

2. Eorundem matrimonia, sepulturae aliaeque ipsorum consuetudines secundum ritum et principia Ecclesiae Graecae conserventur.

3. Etiam festa paschalia celebrentur, sicut antehac fieri solebat.[746]

Ex numerosis itinerariis edocemur non solum in Bulgaria et Serbia, sed in ipsa urbe principe Constantinopoli christianos omnimoda autonomia in negotiis ecclesiasticis, ad quae etiam matrimonia pertinebant, gavisos esse.[747] Ceteroquin etiam iurisprudentia Musulmanica incompetentem declarat iudicem Islamicum in causis matrimonialibus „infidelium", nisi utraque pars litem coram eiusdem tribunali expresse detulerit.[748] *In linea principii igitur Turcae causis matrimonialibus christianorum nullatenus sese immiscebant.*

Quaestiones de illegitimitate matrimonii „infidelium" exoriebantur tantummodo, si causa sua sponte ad *kadi* (iudicem Musulmanum) a christianis delata est aut si matrimonio in „infidelitate" contracto, uterque vel alteruter religionem Islamicam amplexus est, aut denique in matrimoniis „infidelis" cum „fideli". In hisce casibus obtinuerunt sequentes regulae:

1. Matrimonium inter fidelem et infidelem permittitur tantum-

modo, si pars „fidelis" est vir, non viceversa, nisi „infidelis" vir sincere et non ficte Islamismum professus sit, secus morte plectitur. Quodsi comprobetur mulierem „fidelem" non coacte, sed sponte matrimonium cum „infideli" iniisse, etiam illa occidenda est. E contra nihil obstat, quominus „infidelis" mulier religionem suam conservet, etiam matrimonio cum „fideli" viro durante, dummodo filii ad „apostasiam" non cogantur.[749]

2. Matrimonio in „infidelitate" contracto, si alteruter tantummodo convertitur, iterum distinguendum est inter virum et mulierem. Viro converso, matrimonium servatis servandis (i. e. nisi aliud obstet impedimentum) sustinetur. Uxore conversa, matrimonium ex officio dissolvitur.[750]

3. Matrimonii in „infidelitate" initi legitimitas casu, quo uterque convertitur aut quotiescumque causa validitatis vinculi ad *kadi* defertur, est secundum leges consuetudines „infidelium" proprias dimetienda. Quodsi utraque pars ad diversam religionem pertineat, regulae Islamismo propinquiores praeferuntur. Analogice in causis contentiosis de filiorum educatione ius coniugis minus „infidelis" praevalere debet.[751] Schola Malechita absque ullis subtilibus distinctionibus et subdistinctionibus quodlibet matrimonium in „infidelitate" contractum illegitimum declaravit,[752] quae tamen schola in imperio Ottomano non obtinuit.[753] In iure matrimoniali scholae Hanafitae a Turcis universim receptae disputatur tantummodo, utrum coniugium contractum inter cognatos, inter quos matrimonium secundum ius Islamicum prohibetur, sustineri possit necne, casu quo alteruter vel uterque Islamismum amplexus est.[754] Quae disputata quaestio pro Bulgaris „orthodoxis" momentum habuit solum relate ad impedimentum cognationis ex lacte.

Ex collectionibus iuris consuetudinarii Bulgarorum tantummodo edocemur, matrimonia inter virum Turcam et mulierem christianam Bulgaram orthodoxam accidisse, quin haec ad apostasiam cogeretur. De filiorum educatione in eiusmodi coniugiis nihil unquam refertur. In genere vero coniugia haec in ipsa Macedonia exceptiones rarissimae erant.[755]

Quamvis autem ius Islamicum Turcarum nullum influxum in ius consuetudinarium Bulgarorum directe exercuisset, nihilomi-

nus immensus indirectus influxus in ipsum erat et quidem tum ad iuris matrimonialis consuetudinarii conservationem, tum ad eiusdem christianisationem. Ad consuetudines Bulgarorum conservandas contulerunt:

1. tributarium systema Turcarum „per focolaria" ordinatum, propter quod praecise zadrugae, cardo et fundamentum non solum iuris matrimonialis consuetudinarii in genere, sed et quorundam impedimentorum popularium in specie conservata sunt;[756]

2. suppressio oeconomica Bulgarorum, qui sub dominatione Ottomana omnes fere in sola agricultura media sustentationis inveniebant; propterea ius consuetudinarium, quod semper ius agricolarum *κατ' ἐξοχήν* erat, ut iam diximus, in statu sat primitivo conservatum est;[757]

3. immoderata pecuniae a hierarchis Graecis exactio necnon nimia ac frequens ingerentia potestatis civilis in eorundem in sedes eparchiales institutionem, in qua evidenter criteria politico-oeconomica unice decidebant ita, ut famosae illae generationes metropolitarum Phanarioticarum efformatae sint, qui erant quidem optimi taxarum exactores, sed pessimi animarum immortalium pastores;[758]

4. tacita recognitio tribunalium popularium, quae praesertim in pagis ab omni communicatione cum oppidis separatis etiam causas matrimoniales ad normam codicis consuetudinarii iudicabant;[759]

5. aliquem influxum etiam novissimus codex poenalis Ottomanus a. 1856 promulgatus exercebat, in quo raptus, si factus est matrimonii intuitu, nondum punitur et fornicatio cum promissione matrimonii coniuncta obligationem aut illam uxorem ducendi aut indemnitatem mulieri deceptae solvendi inducit.[760]

Ex altera vero parte:

1. quia est ius ecclesiasticum matrimoniale ut ius christianos obligans expresse recognitum et quia metropolitae in conflictu cum iure populari interventu „čorbadžiorum" seu „begličijorum" novae illius nobilitatis hellenisatae utebantur, ius ecclesiasticum a populo paulatim recipi coeptum est potius ex timore quam ex intima persuasione.[761] Ita saeculis XVIII—XIX;

2. e contra duobus saeculis anteactis XVI et XVII ius ecclesias-

ticum in consuetudines populi matrimoniales potius ex persuasione penetrabat. Clerus enim praesertim superior Medio Aevo ad classes privilegiatas pertinens sufficientem curam de populi sanctificatione (phaenomenon in historia sat commune) non gerebat. Postquam vero una cum populo a Musulmanis arbitrariis persecutionibus afflictus est et destructio religionis christianae in paeninsula Balcanica serio timebatur, clerus maiorem zelum apostolicum evolvere conatus est.[762]

Improprie tantum *de influxu* indirecto *iuris Islamici in evolutionem iuris ecclesiastici* matrimonialis loqui possumus. Subiugatio enim christianorum Patriarchatus Constantinopolitani sub „lunae dimidiatae" potestate stagnationem et tardius et confusionem disciplinae ecclesiasticae causavit. Prohibitio propriae officinae typographicae una erat ex numerosis ordinationibus, quae ulteriorem evolutionem iuris ecclesiastici indirecte inhibebant.

§ 2. Item primo adspectu influxus Turcarum in ius consuetudinarium Bulgarorum per conviventiam cum his fortissimus fuisse videtur. Si enim consuetudines utriusque populi[763] comparemus, revera haud paucas invenimus similitudines: emptionem-venditionem mulieris, raptum, cognationem ex lacte, uxorum in quasi-servitutem redactionem, requisitum consensus parentum ad nuptias legitime contrahendas, altam virginitatis aestimationem.

Sed re profundius perspecta statim videmus ius matrimoniale Turcarum niti aliis fundamentis ac ius consuetudinarium nostrae epochae, id est ius magna ex parte christianisatum.[764]

Influxus Islamismi impediebatur praesertim per strictissimam observantiam Musulmanos prohibitae communicationis cum „infidelibus" Si quando christianus congressui horum participare tentaverat, Turcae statim domos suas discedebant et praesertim usus, caeremonias et consuetudines matrimoniales zelotype sub secreto custodiebant.[765] Quam exiguus influxus Turcicus fuerit, cognoscere possumus ex eo, quod etiam Bulgari et Serbi, qui ut persecutionem effugerent, ad Islamismum transierunt, hucusque ius matrimoniale consuetudinarium Bulgaricum aut Serbicum fere intactum conservarunt, licet cum connationalibus suis (christianis) nunquam matrimonia contrahere solerent.[766]

Praeter cognationem ex lacte omnia elementa apparenter Bulgaris et Turcis communia in iure Bulgarico consuetudinario medioaevali extitisse vidimus; imo aliqua ex ipsis iam in iure Bulgarico praechristiano vigebant. Etiam durior mulieris conditio influxu Turcico non esse introducta videtur, sed potius propter duras conditiones oeconomicas, propter quas et viri et mulieres in „zadrugis" uniti gravissimis laboribus onerabantur.[767]

Cognatio ex lacte dein ubique ut matrimonii impedimentum non est recepta. Ubicumque vero recepta est, ad normam Corani invaluit. Heic influxus Turcicus est incontestabilis.[768] Ex positivis testimoniis scimus etiam Bulgaros Dibraenses (in Macedonia) neque impedimentum disparitatis cultus neque impedimentum cognationis ex sanguine observare potuisse propter oppresionem dominatoris Ottomani; sed casus huiusmodi iuris Islamici violentae impositionis revera erant exceptionales.[769]

Concludendo igitur:

Influxus Turcarum duplex est distinguendus: officialis et conviventiae. Primo adspectu nullus influxus officialis esse verificatus videtur — fortissimus autem ille conviventiae. Re profundius perspecta e contra vidimus illum officialem maximum fuisse, licet per viam indirectam, localem vero et restrictum illum conviventiae: Unicum impedimentum cognationis ex lacte quibusdam locis tantummodo observatum certe dici potest receptitium ex iure Islamico per conviventiam.

## Articulus IV.

### *Relatio iuris ecclesiastici ad consuetudines matrimoniales Bulgarorum.*

Regula generalis, quae ex historia comparata systematum iuridicorum adquisita est et iuxta quam ius inferius systemati superiori semper succumbere solet, etiam heic verificatur. Post millenarium luctamen inter ius matrimoniale ecclesiasticum et ius matrimoniale populare in Bulgaria (aa. 864—1860) vincit ius ecclesiae: Cessiones, quae ab hac in favorem consuetudinum populi factae sunt, sunt potius indolis negativae.

In rigore iuris nullum impedimentum populare in praxi ecclesiastica nostrae epochae canonisatum est: quod certum est quoad impedimenta „koritanstvo" seu defectus consensus fratris sororisve natu maioris; porro quoad impedimenta cognationis ex lacte, cognationis spiritualis ex nuptiis necnon quoad impedimentum classium. Etiam impedimenta aetatis et consanguinitatis, prout illa ius consuetudinarium observare vellet, ab Ecclesia non sunt recepta.[770] Referuntur quidem casus sacerdotes sponsis, quorum vir scil. puerulus adhuc erat, benedixisse,[771] sed huiusmodi anomaliae erant evidentes abusus, non canonisatio.

Utrum Ecclesia impedimentum fratrificationis aut impedimentum defectus consensus parentum, prout in iure populari viget, canonisaverit, dubitari quidem potest, attamen re melius examinata, ne his quidem de receptione proprie dicta loqui possumus.

*Adoptio in fratrem.*

Certum est Ecclesiam Byzantinam, id est Constantinopolitanam, ex conatu eliminandi barbaricam illam consuetudinem fratrificationis per sanguinem adoptionem in fratrem in sacrosanctis ecclesiis introduxisse.[772] Acoluthiae ad hunc scopum compositae mox traductae sunt in linguam palaeo-Slavonicam et introductae in praxim liturgicam Ecclesiarum Byzantino-Slavonicarum.[773] Medio aevo non solum populus, sed etiam nobiles fratrificatione ad amicales relationes fovendas utebantur.[774] De impedimento matrimoniali exinde derivante nihil unquam officialiter decisum est; in documentis canonicis saltem nulla hucusque positiva hac de re dispositio est inventa. Nihilominus ex quaesitis ad hierarchas et iurisperitos Byzantinos missis apparet opinionem saltem prohibitionis matrimonii contrahendi inter fratres sororesve adoptivos eorumque descendentes ortam esse in populo et in clero inferiore.[775] Sed hierarchia Byzantino-Graeca inde a medio aevo, i. e. inde a saec. XI constanter et sollemniter declarabat ex huiusmodi fratrificationibus[776] non solum ullum impedimentum oriri, sed propter abusus, qui exinde orti sunt, quod scilicet multi sub praetextu adoptionis in fratrem sororemquae peccaminosas cohabitationes abscondere conabantur et fortasse etiam oppositione Ecclesiae contra Bogomilismum ducti, qui praecise haec matrimonia, spiritualia abusive appellata, suis asseclis commendabat etiam aco-

luthia fratrificationis severissime in Ecclesia Constantinopolitana et Achridana prohibita est.[777] Eandem hostilitatem contra ecclesiasticam adoptionem in fratrem sororemve episcopi seu Metropolitae Graeci in Bulgaria ostendebant, qui dominatione Ottomana durante, praesertim inde a saeculo XVIII usque ad praeultimum decennium nostrae epochae exclusive Ecclesiam administrabant.[778] E contra clerus inferior Slavus necnon monachi Bulgari sat saepe acoluthiam peragere solebant et impedimentum matrimoniale exinde derivans populo inculcabant. Saeculorum igitur decursu etiam in fratrificatione „canonica" distinctio inter adoptionem electivam seu voluntariam et adoptionem casualem seu necessariam invaluit.[779]

Quotiescumque fraternitatem inire cupientes ecclesiam adibant, specialis caeremonia adhibebatur, si autem in domo privata fiebat, etiam per simplicem orationem peragi poterat et in aliquibus regionibus loco orationum et caeremoniarum per coniurationes coram icone Beatissimae Virginis aut alicuius sancti fraternitatis vinculum contrahebatur.[780]

Valde instructiva est exhortatio, quam sacerdos aut hieromonachus fraternitatem inituris ex libris ritualibus usitatis praelegere solebat:

„Carrisimi! Vos sanctum revera propositum cepistis, fratrificationem. Tamen vos estis adhuc iuvenes nec sufficienter experti. En, cur necesse sit, explicare vobis, quid sibi velit fratrificatio, antequam vinculo vestro benedixero. De fratrificatione nihil in legibus scriptis cavetur, tamen ipsam novit sancta Mater nostra Ecclesia, imo et universus orthodoxus populus. Nos omnes fratres sumus in christiana fide et charitate, sed haec est simplex fraternitas. Fraternitas vero, quam vos inituri estis, nonnisi in pervigilia Sancti Joannis (Baptistae) (die 6./I.) concludi potest. Cuius consuetudinis ratio est, quia S. Joannes, etsi initio noluisset Dominum Nostrum Jesum Christum baptizare, tandem aliquando ipsius desiderium expleverat et ita confratres facti sunt inter se, quales et vos nunc fieri desideratis. Ex illo tempore igitur introducta est in hunc mundum fratrificatio. Attendite modo, ad mea verba, quae vobis dicturus sum: Ab hoc ipso momento, cum vobis benedixero, etiam vos confratres fietis: ne proinde altercationes aut

lites inter vos audiantur, diligite sincere alterutrum, alterutrum adiuvate. Et quando tempus advenerit, ut matrimonia ineatis, nolite oblivisci: filios vestros coniugia inter se contrahi non posse. In propinqua enim cognatione positi sunt..."[781]

[712] ll. cc. sed praesertim Marinov IV. 146—147 q. 155: uti omnes testantur, plerumque sponsa a pacto recedit.

[713] Baldžiev o. c. VII. 142 sq.

[714] E contra cl. Baldžiev concludit: „годежниятъ перфекционенъ моментъ се пада въ вториа обичаенъ годежъ". o. c. VII. pag. 120.

[715] Cf. testimonia Čolakov et Marinov indicata in notis 709—712.

[716] Baldžiev o. c. V. 199—200.

[717] ll. cc. in notis 710—711.

[718] Tančev o. c. II. n. 935.

[719] Cf. ex. gr. textus quos affert cl. Zhishman 366—381. Cf. etiam sect. II. cap. III. art. nostri studii.

[720] Pravni običaji pag. 132—133; С.Б.Ю.О. I.-1. pag. 169; Poslovici 26; Krauss o. c. pag. 204; Saturník § 26, pag. 117.

[721] Baldžiev o. c. V., pag. 200.

[722] Popov (Varnensko) SNU XX. 16; Pravni običaji pag. 65—66; Zbornik qu. 77; Boev o. c. 44—45; Marinov IV. 161 sq.; Gisler o. c. VI. 132; С.Б.Ю.О. I.-1. 190—232; Baldžiev o. c. IV. 187—189; Ljubenov „Сборникъ за разни народни умотворения" Sofia (1896), pag. 75—78.

[723] Cf. notam 639; etiam cl. Baldžiev (V. 203) refert: „въ практиката нашата църква... позволява понѣкога бракосъчетанието имъ (adulteris)".

[724] Cf. Marinov III 158—160: „мѫжътъ awималъ право да убие и неѭ (uxorem adulteram) и мѫжьтъ съ когото е блудствувала." Cf. Jireček „Fürstenthum" qui scribit: „Die Sitten des Bulgarenhauses sind patriarchalisch rein und streng... Ehebruch von Seiten der Frau ist eine Seltenheit. Den Liedern und Sagen zu Folge scheint *Feuertod* die Strafe des alten Volksrechts zu sein; in neuerer Zeit wurde die Schuldige durch den Ort geführt und bespieen. In Panagjurište z. B. setzte man die Ehebrecherin (bludnica) auf einen Esel — mit rückwärts gekehrtem Gesicht und dem Schweif in der Hand; ihr Mitschuldiger mußte das Tier am Zügel herumführen" (pag. 80). Cf. etiam Krauss o. c. 197—244 et S. St. Bobčev „Droit contumier pénal Bulgare" in SNU XXXVII pag. 73—78.

[725] Cf. sect. II. cap. II. art. II. § 2 n. 11; cap. III. art. I. cap. IV. art. I. § 2 nostri studii.

[726] Ami Boné o. c. II.-472; Jireček „Cesty", pag. 430—431; С.Б.Ю.О. I.-1. pag. 174/178. Posl. pag. 19—21; Saturník o. c. § 25, pag. 105—108; Ljubenov „Баба Ега" Tirnovi (1887), pag. 74; Robert Cypr. „Les Slaves de Turquie" I. Paris (1844), pag. 228—337; Marinov III. 47 – 57; Zbornik pag. 139 sq.; Krauss o. c. pag. 245 sq.

[727] ll. cc. Nihilominus in Bulgaria in uno pago (*Borec* 25 km ad septentrionem ab urbe Plovdiv [Philippopoli]) audivimus raptum paucis ante annis accidisse. Cf.

insuper Vakarelski o. c. pag. 400; Gisler V. 237; Zachariev o. c. XXXII. (SNU), pag. 101/102, Popov o. c SNU XX., pag. 6.

728 Marinov Ж. Ст. III. 49—51; Baldžiev VII. 149.

729 Cf. testimonia allata in notis 726—727.

730 Marinov IV. 150 qu. 161.

731 Cf. notam 727 et Saturník l. c.; E contra cl. Niederle in suo studio „Život starých Slovanů", Praha (1924), pag. 75 sq. (ethnographico!) immerito dubia movet: „Z uvedených dokladů je zřejmo, že na konci doby pohanské byl u Slovanů vedle sebe dvojí druh sňatku: sňatek únosem a sňatek na základě úmluvy s rodiči o výkup. Který z nich byl starší, původnější a zda vůbec jeden výlučně předcházel druhý z historie nelze pověděti a z filologie také ne." Cf. e contra sect. II. cap. I. art. I. § 1 notas 159/160 nostri studii.

732 Ita iam cl. Popov (o. c. SNU XX 6) iuste observeverat: Въ старо врѣме приставането било голѣма рѣдскость... Въ народнитѣ пѣсни нищо почти се споменава за приставането..."

733 Ex indagatione personali.

734 Cf. textus allatos in notis 726—727.

735 Marinov Ж. Ст. III. 51—57.

736 Cf. Bobčev „Агърлъкъ (придъ) и происхождение на прикята" in libro LXIV. ephem. „Периодическо Списание" Sofia (1904) pag. 637—732. Porro perlegas: С.Б.Ю.О. I-i pag. 120, 179—183; Zbornik pag. 210—221; Jireček „Fürstenthum" pag. 76—77; Posl. 22—24; Krauss o. c. 271—278; A. Boué o. c. pag. 471 —479; Ljubenov „Баба Ега" pag. 66; Zachariev o. c. SNU XXXII pag. 102—104; Slavejkov o. c. pag. 60; Proverbia praecipua quae ad mulieris emptionem — venditionem sese referunt apud Petev o. c. SNU XX. pag. 18 n. 693—712 habentur.

737 ll. cc.

738 De illa tantum Baldžiev et Bobčev (SNU VII. 142—143 et С.Б.Ю.О. .-1., pag. 169 referunt; quorum testimonium ceteri repetunt; e contra de emptione-venditione, raptu et fuga omnes loquuntur.

739 Cf. notam 728.

740 Marinov III. 156—158, ubi elementa necessaaia dantur ad notionem popularem concubinatus.

741 Quas ceremonias minutissime fere omnes auctores-collectores consuetudinum popularium in Bulgaria describunt, quorum opera in introductione alegavimus: *collectiones* classis II. n. III. lit. A) n. 1—39.

742 Kiranov „Жената", pag. 142 sq.

743 Cf. A. Fracassi „Il Corano" (Testo arabo e versione italiana), Milano (1914) V. 7, 18, 19, 85, 86 III. 187, 196; IV. 40; IX. 5, 6; XLVII. 4.

744 Apud G. P. Genov „Положението на християнитѣ въ Турция споредъ мюсюлманското право" Sofia (1923) 84.

745 Ibipem.

746 Hammer „Histoire de l'Empire ottoman", Paris t. III., pag. 3 sq.

747 Cf. praeter opera citata in nota 763 et numerosa itineraria allegata a cl. Dujčev in opusculo „Единъ дубровнишки пѫтеписъ за нашитѣ земи презъ XVI

в." Sofia (1936) pag. 240 n. 1 et a cl. Blagoev „Лекции по история на българското право" Sofia (1921) § 48 necnon studium cl. S. St. Bobčev „Quelques remarques sur le droit coutumier bulgare pendant l'époque de la domination ottomane" in „Revue internationale des études balcaniques" I. (1934) Belgrade.

[748] Genov o. c., pag. 64.

[749] Van den Berg „Principes du droit musulman selon les rites d'Abou-Hanifah et de Châfi'î",Alger (1806), pag. 145; P. José Lopez Ortiz „Derecho musulmán", Barcelona (1932), pag. 157—158. Sidi Khalil „Mariage et répudiation" Alger (1909), pag. 16, 36/39. Zeys E, „Essai d'un traité méthodique de droit musulmam" Alger (1884). pag. 64; M. Morand „La famille musulmane" Alger (1903), n. 49—51; Halîl Ibn. Ishâq (Dav. Santilana) „Il *Muhtasar*-Sommario del diritto malechita", Milano (1919) II. n. 38; Th. W. Juynboll (Giov. Baviera) „Manuale di diritto Musulmano", Milano (1916), pag. 140—141.

[750] Halîl Ibn Ishâq (l. c.), Genov (l. c.), Sidi Khalil (l. c.).

[751] Sidi Khalil (l. c.), Halîl Ibn Ishâq (l. c.), Genov (l. c.).

[752] Genov (l. c.), Sidi Khalil (l. c.), Halîl Ibn Ishâq (l. c.).

[753] Citatione non indiget Cf. si velis: „Gateschi:" Manuale di diritto publico e privato ottomano", Alessandria di Egitto (1865), pag. LXXVIII.

[754] Genov l. c.

[755] С.Б.Ю.О. I.-1. pag. 105—113; Krauss o. c.

[756] E contra cl. Bobčev: „Нѣма докизателства да се твърди че турскиятъ данъченъ режим както впрочем и византийскиятъ сѫ спомагали за групирание на задругитѣ" in SNU XXII. pag. 185 non distinguens inter causam efficientem et causam conservatricem.

[757] Optimam probationem huius assertionis dare potest immutatito, imo (in urbibus praesertim) totalis disparitio iuris consuetudinarii Bulgarorum novissimis decenniis, cum cultura moderna „europea" in Bulgariam penetraverit

[758] Cf. hac de re historica documenta archiepiscopiae Achridanae apud Gelzer o. c., pag. 148—175.

[759] Bobčev „История" pag. 378.

[760] Aristarchi Bey „Législation Ottomane" Constantinople (1874) II. partie II. séction: droit pénal art. 200 et addition, pag. 253 et 270.

[761] Cf. ex gr. Snĕgarov „История на Охридската архиепископия — патриаршия" Sofia (1932) II. 256—275.

[762] Ibidem pag. 275—305 aut. Jireček „Dějiny", pag. 455—465.

[763] Pro consuetudinibus Turcarum consulenda sunt opera: B. de la Broquière „Voyage d'outremer", Paris (1892). — H. Schiltberg „Reisebuch aa. 1394—1427 ed. Tübingen (1885). — Mühlbacher „Tractatus de moribus Turcarum", 1481. — L. Bassano da Zara „I costumi e i modi particolari della vita dei Turchi," Roma (545). — G. A. Menavino „Trattato de costumi et vita dei Turchi", Firenze (1548). P. Giovio „Commentario delle cose dei Turchi", Venezia (1535); Quer: „Moeurs et usages des Turcs", Paris (1519); M. Crusius (Krauss): „Turco-Graecia", Basilea (1584). – De moribus Turcam, qui saeculo antecedente inter Slavos vivebant, multa invenies apud Fried. Krauss „Sitte und Brauch der Südslaven", Wien (1885).

[764] Si de systematibus iuridicis (consuetudinariis) paganis, i. e. praechristiano et praeislamico loquimur, eaedem fundamentales differentiae, de quibus in sect. II. cap. I. art. I. nostri studii obtinent.

[765] Ita nobis multi ex maioribus natu in Bulgaria retulerunt.

[766] Cf. de hac re opera cl. Šiškov in introductione citata, qui collegerat ius consuetudinarum „Pomacorum", i. e. Bulgarorum, qui islamismum amplexi sunt. Idem attestatur Ami Boné (o. c. II. 478) de Serbis „Les musulmans serbes de la Bosnie ont conservés la plupart des usages slaves de mariage".

[767] Non desunt tamen, qui heic etiam influxum Turcium videant; ita ipse cl. Bobčev, qui in conclusione studii „La situation de la femme selon l'ancien droit bulgare et roumaine" (publicato in periodico „La Bulgarie ]1931]) loquens de inferiore conditione mulieris in familia Bulgarica adnotat: „le droit turc n'a pas été sans rexercer de l'influence chez les Bulgares" (num. II.). Idem cogitarunt aliqui ex visitatoribus Bulgariae; ita ex. gr. visitator Apostolicus P. Pierling S. J. scribit in sua relatione (a. 1880) Romam: „... della posizione sociale della donna . bisogna sapere che sotto influenza dei costumi turchi la donna vi è trattata come una schiava. Di grammattina se ne va a lavorare nei campi portando sulle spalle la sua famigliuola e quando torna la sera a casa, sfinita di forze, tocca ancora a lei tutto il lavoro domestico. Se indebolita per le continue fatiche muore di morte prematura, il marito piglia una dona più giovane ed acquista una nuova forza pel lavoro. Tale è lo stato delle donne nel matrimonio; esso è tanto più acerbo che non si bada alla libertà delle ragazze che vengono più tosto vendute ad un padrone che concesse ad un marito di propria scelta. Si capisce perchè in tali congiunture parecchie ragazze preferiscono rinunziare al matrimonio e consecrarsi a Dio diventando „kalugerke" (-monache) in opera „Sopra i provedimenti da prendersi per tutelare e promuovere l'unione dei popoli slavi e specialmente dei Bulgari colla Chiesa Cattolica". Roma (1880), pag. 74.

[768] Cf. ex. gr. Halil Ibn Ishaq. o. c. num. 245—251; Sidi Khalil o. c. pag. 201/20 Genov pag. 63; Gatteschi o. c. pag. 390—391, qui subiungit: „La parentela nata dall'aver succhiato lo stesso latte equiparata alla parentela per vincolo di sangue è propria della solla lege musulmana; non se ne trovano tracce nelle legislazioni europee".

[769] Cf. Miletić L. „Lettre de Patriarcat de Constantinople adressé aux Bulgarei de Dibra (a. 1849) in Spisanie na blgarska Akademia na naukitě god. X., pag. 17.

[770] Etiam in regionibus in quibus ius ecclesiasticum maxime negligebatur ad quaestionem „Има ли обичай да се вѣнчаватъ момъкъ или мома годѣто сѫ още малолѣтни т. н. помляди отъ *12* години съ цѣло да се обезпечи тѣхното бѫдѫще съединение" responderunt: „Всичкитѣ старци на моя въпросъ отговорихѫ отрицателно. Таково нѣщо не помнѭтъ". Marinov IV. pag. 142, qu. 143.

[771] Cf. notam 101 partis II. nostri studii.

[772] Cotelier J. „Monumenta Ecclesiae Graecae" Paris (1677) I. 102 sq. Can. Poenit. cap. DXLVII. 200, 220, 446, 512; *Πεῖρα* XLIX. 11; J. Goar „Euchologium" ed. Venetiis (1730) 706—708.

[773] L. Geitler „Euchologium — Glagoski spomenik manastira Sinai Brda" U Zagrebu (1882) pag. 16—22; cf. etiam „Glasnik" V. (1867) pag. 85—90.

[774] Exempla apud cl. Zhisman o. c. 286; Načov [pro Slavis] vol. XLIX-2 pag. 33—38.

[775] Pitra (Battandser) VII 31—32, 713 CCVIII. Rhalles ΣV 370, 400.

[776] Cf. sect. II. cap. III. art. I. Cf. etiam numerosa vetita quae allegat cl. Zhisman o. c. 285—289.

[777] Ita hucusque „въ Бѣлоградчиско и послѣ въ Македония около Прилѣпъ свободата на половитѣ отношения се прикрива подъ това че момъкът и момата сѫ свързани съ побратимство и посестримство" Volkov o. c. VIII (1892) pag. 240 sq.

[778] Bobčev o. c. 32; Du Cange „Glossarium ad scriptores mediae et infimae graecitatis" Lugduni (1688) I. col. 24.

[779] С.Б.Ю.О. I-1 pag. 75—85; Baldžiev o. c. V. 193—195; Krauss o. c. 619—643.

[780] Načov pag. 39—44; Jireček „Cesty" 221; Bobčev o. c. 34 sq.; Ljubenov: „Samovili i samodivi" pag. 135, 136; SNU IV. 274; Šapkarev „Сборникъ" III. 219 SNU VIII 240; Zbornik pag. 387; Bezsonov „Болг. пѣсни" 121.

[781] „Молодые люди! Вы задумали благое дѣло заключить: побратимство. Но вы молоды и неопытны так вотъ почему вамъ слѣдуетъ прѣжде чѣмъ благославить вашъ союзъ объяснить что такое побратимство. О побратимствѣ не написано ничего въ законахъ, зато о побратимствѣ знаетъ наша мать церковъ да православный людь Мы всѣ братя въ христианской вѣрѣ и любви; однако єто простое братство. Что же до настоящаго побратимства оно можетъ заключаться только наканунѣ Иванова дня. Это потому что хотя и св. Иванъ отнѣкивался крестить Господа нашего Іисуса Христа, наконецъ онъ крестилъ его и такъ сдѣлались побратимами, какими и вы теперь хотите быть. Съ тѣхъ именно поръ появилось на свѣтѣ побратимство. Обратите теперь вниманіе на мои слова: начиная съ этого момента моего благословенія вы дѣлаетесь настоящими братями, между вами не должны произходить никакіе ссоры, ни разводы, другъ друга искренно любите и другъ другу помагайте. Когда настанетъ время, понятно; вы женитесь оба если Богу угодно; однако не забывайте что дѣти одного не могутъ вступать въ бракъ съ дѣтми другого, ибо они находятся въ самомъ близкомъ родстсѣ" apud Bobčev „О Побратимствѣ и посестримствѣ (Очеркъ изъ обычнаго права болгаръ" in ephem. Живая Старина II. (1892) n. 3 pag. 31—42.

# VARIA

## HEBDOMAS STUDIORUM ET PRECUM PRO ORIENTE CHRISTIANO MEDIOLANI 11—14/IV. 1940

In ultima V. Hebdomade Orientis Christiani Florentiae duobus abhinc annis habita hanc VI. Hebdomadem Genuae tenendam esse decretum est. Nescio quid Mediolano potius quam Genuae suffragatum sit, centenariumne sextum decimum nativitatis sancti Ambrosii an Catholica Universitas Sacratissimi Cordis, quae procul dubio his rerum in adiunctis felicem Congressus unionistici eventum in tuto ponere promittebat, cum enim turbine ubique gentium fere aestuante facies Orientis Christiani catholicis hominibus, pro nunc temporis saltem, minus secunda ostenderetur.

Iam iuxta programma, ut aiunt, praestabilitum, exspectari fas erat in Conventu hoc studia partes principaliores quam preces sese delatura. Nomina ipsa virorum Orientis Christiani peritissimorum qui locuturi erant, quique semper, ut verbis utar Alfredi de Vigny, „vivaient dans le sublime comme dans leur atmosphère naturelle", optima, quae de quaestionibus dici possent, dictum iri nos certiores reddiderunt. Praenotandi sunt *R.mus P. Aemilius Herman S. J.*, Praeses Pontificii Instituti Orientalium Studiorum Romae, *R. P. Mauricius Gordillo S. J.*, Vice-Praeses eiusdem Instituti, *R. P. Martinus Jugie* A. *A.*, professor Pontificii Athenaei Lateranensis, necnon *R. P. Placidus De Meester O. S. B.*, professor liturgiae Orientalis in Collegio sancti Athanasii in Urbe. Quin etiam circumstantia, quod Congressus in aedibus Catholicae Universitatis locum erat habiturus, alta sperari iubebat.

Ob easdem vero rationes iam non satis clare patebat, quod eventa dein comprobarunt, quinam esset huius Hebdomadis scopus principalis, scientificusne an potius popularis. Uterque sane intendi poterat, sed tunc forsitan sessiones pure scientificas a „popularibus" clarius organice discernere profuisset.

Liturgiis Orientalibus partes modestiores quam in ultimo Congressu Florentino assignatae sunt. Missa Graeca in sacello Universitatis cotidie mane celebrata, cantus sacri Byzantini sermonem

vespertinum sequentes vel praeeuntes, denique Liturgia sollemnis a pluribus episcopis et presbyteris Orientalibus ultimo die cantata, haec fere sunt omnia, quae iis, qui intererant, contemplanda exhibebantur. Quod non caruit certe emolumento et commodo quodam maximo. Nam liturgia Graeca, utpote a concivibus Italicis celebrata, et quidem unica, attentionem omnium in se solam attrahere potuit, itaque evenit, ut mane Sancta Communio sub utraque specie etiam tribus horae quadrantibus esset distribuenda.

Externum adhuc Hebdomadis unionisticae ordinem et decursum excellentes fuisse fatendum est.

His in genere praemissis quaedam specialia recensere liceat.

**Feria V.—11./IV.** hora 3. post meridiem, in Aula Magna Universitatis sessio prima inaugurata est praesentibus *S. A. Regali Duce de Bergomo,* Emm. *Cardinali Lavitrano,* Panormi archiepiscopo, apostolico administratore eparchiae Piana de Greci, initiatore et antesignano motus unionistici in Italia necnon praeside honoris causa huius Congressus, Emm. *Cardinali Schuster,* archiepiscopo Mediolani, primo olim Praeside Pontificii Instituti Orientalis Romae, *E. Mons. Marcello Mimmi,* archiepiscopo Barii et praeside gerenti huius Conventus, *E. Mons. Mele,* episcopo eparchiae Graecae Lungrensi in Italia meridionali, *E. Mons. Besson,* episcopo Lausannae, Genevae et Friburgi in Helvetia, praeside associtiationis „Unio Catholica", *E. Mons. Perniciaro,* episcopo coadiutore eparchiae Piana de Greci in Sicilia, aliisque insignibus personis ecclesiasticis et saecularibus.

Cryproferratensis Schola cantorum, directa a R. P. *Laurentio Tardo* „Polychronion" decantavit et iam R. P. *Augustinus Gemelli* O. F. M., Rector Magnificus, ambonem ascendit, ut Eximios hospites salutaret et congressui unionistico, modo instanti, faustissima quaeque adprecaretur.

Tunc sermone inaugurali de momento et evolutione motus unionistici *S. E. Mons. Mimmi* sessionis initium fecit.

Hora 4$^{a}$ R. P. *Jugie A. A.* dissertationem Gallicam de *„doctrina catholica et doctrina fratrum se aratorum"* protulit, sententiis vere refertam. Differentias non paucas nec parvas inter utramque vigere ostendit. Eas ex parte catholica omnem prorsus conformitatem cum placitis theologorum dissidentium excludere, ex parte vero eccle-

siae dissidentis Orientalis viam unioni minime claudi, cum opiniones privatorum dissidentium theologorum non essent aequiparandae publicis definitionibus priorum septem conciliorum oecumenicorum, quae, ab omnibus infallibiles declaratae, pariter ab Ecclesia catholica recipiuntur.

Comes *Carolus Lovera di Castiglione* de modo, quo Russi et catholici religionem conciperent, discurrebat.

R. P. *Georgius Fishta O. F. M.* de opere Fratrum Minorum pro unione Ecclesiae Byzantinae disseruit. Ita feliciter lacuna, quae in ultima Hebdomade Florentina sentiebatur, expleta est, nam Franciscani Patres simul cum Ordine Praedicatorum aequo pede reconciliationi Ecclesiae Byzantinae succurrebant.

Hora 9[a] in sessione vespertina R. P. *Mauritius Gordillo S. J.* de *„statu actuali quaestionis religiosae in Oriente“* exquisitam collaionem perfecit. Argumenta ob dudum maturatam serenamque Orientalis theologiae comprehensionem ad conclusionem momenti maximi confluxerunt. Contra eos, etiam professionis catholicae theologos, qui motum, quem vocant oecumenicum, interdum affectu nimis propenso periculique haud experte, prosequuntur, animos advertit ad illam „viam angustam“, quae ad veram fidei unionem iuxta regulas a Summo Pontifice Pio XI. in litteris encyclicis „Mortalium animos“ a. 1928 emanatis, conducit.

**Feria VI.—12./IV.** Ante meridiem S. Emm. Card. Archiepiscopus Mediolamensis in palatio suo Hebdomadis asseclas excepit, eosque ad motum unionisticum inter populum fideles propagandum adhortatus est, simulque desiderium expressit, ut vocem nostram etiam fratres separati audirent.

Hora 4[a] p. m. *R.mus P. Aemilius Herman S. J.* dissertationem academice perfectam et irreprehensibilem de *„causis historicis separationis Ecclesiae Graecae iuxta indagationes recentissimas“* enuntiavit. Studia R. P. *Lapôtres S. J.*, R. P. *Grumel A. A.* specialiter vero *prof. Dris Dvornik* schisma Byzantinum saeculi IX. (Photianum) nova luce illustrarunt pariter ac investigationes *prof. A. Michel* et R. P. *Jugie A. A.* dissidium saeculi XI. (Gerularii), sicque conceptionem historicam *Cardinalis Hergenröther* haud parum mitigarunt, ut eximius orator praecisa enarratione demonstravit.

Deinde Rector Seminarii Metropolitani Mediolanensis, *Mons.*

*Caesar Dotta* de liturgiae Byzantinae et Ambrosianae elementis communibus expositionem instituit.

Denique R. P. *Pl. De Meester O. S. B.* diuturni studii „*de monachismo orientali*“ praesentibus fructus porrexit.

Hora 9ª vespere *Prof. Canonicus Stephanus Morello* de Monreale locutus est de „Catholicis Italianis et problemate Orientis christiani“. Sermo eius erat vere „popularis“, et acceptissimus. Diem precum pro Oriente christiano „nationalem“ introducendi vota emisit.

**Sabbatum** — **13./IV.** Hora 4ª p. m. *E. Senator Amadeus Giannini* de Ecclesia et Natione in Oriente Europaeo claram lectionem tenuit, fusiusque autocephaliae evolutionem exposuit. Triplicem relationem inter nascentem ecclesiam autocephalam et patriarchatum Constatinopolitanum distinxit. Illa aut directe *fovebatur*, ubi enim influxus alterius ecclesiae orientalis debilitandus erat, e. g. autocephalia ecclesiae Finlandicae (a. 1923) contra Ecclesiam Russicam; aut tantum *tolerabatur*, ut olim autocephalia ecclesiae orthodoxae in Čechoslovachia (1923); aut demum directe *reprobabatur* et ut schismatica declarata est, e. g. ecclesia orthodoxa in Albania (a. 1929).

R.mus archimandrita abbatiae Graecae Cryptoferratensis, *P. Isidorus Croce* coetibus catholicis ritus Orientalis eorumque momento pro reditu dissidentium ad unitatem catholicam sermonem dedicavit, iisque apostolatus munera *demonstrativi* attribuit proinde atque *activi*.

Tum Emminentissimus Cardinalis *Lavitrano* omnia fere hucusque dicta colloquio conclusivo complexus, fiduciam totam laboris unionistici in mediatione Sanctissimae Virginis colocare hortatus est.

Perorationis instar Rector Magnificus Catholicae Universitatis *R. P. A. Gemelli* omnibus, qui de hoc congressu meriti erant, gratias multas rependit Universitatemque Catholicam Orienti Christiano studia magis magisque esse navaturam promisit.

In ultimo conventu vespertino, hora 9ª *Mons. Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone* splendidam orationem de apostolatu pro christianis separatis protulit, verba apostoli premens: „veritatem in caritate facientes“. Contento poplite ritus Orientales tuitus est, qui in „linea iuris et margine convenientiae“ versantur.

Denique *Emminentissimus Cardinalis Schuster,* verbis Domini

inspiratus: „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili . . ."
Sessionibus studiorum finem imposuit.

**Die Dominica 14./IV.** Missa pontificalis a duobus episcopis pluribusque presbyteris Orientalibus in vasta ecclesia S. Angeli concelebrata VI. Hebdomadem Orientis Cristiani obsignavit.

Ad Congressum unionisticum Mediolanensem Ipse Summus Pontifex Pius XII. nuntium telegrammaticum mittere dignatus est, eique 6 Emminentissimi Cardinales, 35 Excellentissimi Archiepiscopi, 126 Episcopi pluresque aliae dignitate insignes personae et associationes, inter quas et Apostolatus Sanctorum Cyrilli et Methodii de Olomouc, salutationibus suis adhaeserunt.

*I. Mastyľak C.Ss.R.*

# RECENSIONES

*Ut omnes unum sint, Ein Werkbuch ostkirchlicher Arbeit,* herausgegeben von der Abtei St. Joseph zu Gerleve (Westfalen), Münster, Regensbergsche Verlagsbuchhandlung, S. 159, Preis K 24.40 K. — In Abbatia Sti Josephi in Gerleve (Westfalen) instituerunt Patres Ordinis sti Benedicti praelectiones pertractantes nonnullas quaestiones de Oriente Christiano pro theologis e Borromaeo et e seminario in Münster. Qui nunc prodiit in lucem liber sub nomine „Werkbuch ostkirchlicher Arbeit", continet collectionem quandam illorum praelectionum ad melius cognoscendum et adamandum Orientem Christianum. Ex qua parte Oriens Christianus in hoc libro illustretur, patet e sequenti serie thematum:

1. DR. RAPHAEL MOLITOR, OSB abbas Gerlevensis, praemittit brevem *meditationem de verbis Salvatoris* nostri, quae libro titulum dederunt: *Ut omnes unum sint,* quaeque nostras quotidianas preces inflamare debent.

2. P. DR. PIUS BUDDENBORG, OSB—Gerleve, in tractatu *Ostkirchliche Arbeit* putat fundamentum pii operis unitatem Ecclesiae prosequentis esse hodiernam renovationem vitae religiosae in spiritu christianae antiquitatis, quae divisionem Ecclesiae Christi antecessit. Sub hoc respectu evidentius apparent communes christiani Orientis et Occidentis thesauri: SS. Eucharistia, verum sacerdotium cum omnibus sacramentis, pulchritudo s. Liturgiae orientalis, cultus s. imaginum necnon sanctitas vitae servorum Dei in Oriente collendorum.

3. P. DR. HERMANN KELLER, OSB, Beuron, *Mystik und Mysterien in den frühen Kirchen des Ostens.* Interna vita SS. Trinitatis et mutua relatio divinarum Personarum est unica lex, cui subjacet mystica pietas christiana. Ejus essentiam patefacere potest sola cognitio, vel potius experientia propriae

ac vere internae vitae divinae. Mystica pietas christiana sanctorum Patrum ab auctore comprehenditur essentialiter prouti ascensio ad Patrem per Christum in Spiritu Sancto. Haec ascensio incipit a sacramento et ducit a victoria super peccata et mortem — semper divini judicii sibi conscia — in sui abnegatione ac submissione usque ad contemplandam Dei gloriam.

4. *Gebet zur Wasserweihe an Epiphanie* — vom Patriarchen Sophronios von Jerusalem, übertragen von P. KILIAN KIRCHHOFF, OFM. Spiritum precum liturgicarum Orientis prodit haecce translata oratio Sophronii patriarchae Hierosolymitani, quae adhibetur ad benedictionem aquae in festo Epiphaniae. Adjungitur versio antiquissimi ecclesiastici cantici vespertini, quod a s. Basilio Athanagorae Martyri († 169) auctori attribuitur.

5. P. DR. HIERONYMUS ENGBERDING OSB, Gerleve, *Einfluss des Ostens auf die Gestalt der römischen Liturgie.* Antiquissima liturgia Romana usque ad medium aevum III. servavit characterem orientalem — celebrabatur enim in illa forma, quae hodie specifice orientalis computatur. Doctissimus auctor adducit documenta magni influxus Orientis christiani in liturgiam Romanam. Historicam missionem Ecclesiae Romanae conspicit in illa cordis latitudine, quae bonum quodcumque recipiens vere *catholica* esse voluit. Itaque mater orbis catholici revera est facta. — Adjungitur iterum breve fragmentum e Liturgia Sti Jacobi.

6. *Die Totenfeier der byzantinischen Kirche,* P. MATTHÄUS ROTHENHÄUSLER, OSB — Gerleve — Rom. Cum nuper P. Paulus Matzerath, OSB, germanicam versionem *„Hl. Feiern der Ostkirche"* ex originali textu graeco procuravit (Ferd. Schöningh, Paderborn 1939), attentionem vertit tractatus P. Rothenhäusler ad celebrationem exequiarum in liturgia byzantina, et quidem tum in domo defuncti, tum in ecclesia et in coemeterio. Plenitudo christiani amoris, simplex pulchritudo suffragiorum divitias illius sapientiae christianae ostendunt, quae mysteria mortis et vitae aeternae divina luce ac humana consolatione illustrat.

7. *Der altrussische Heilige,* DR. ALEXEJ HACKEL. Unus quisque sanctorum Dei manifestat partem quandam sanctitatis Jesu Christi. Speciales conditiones vastarum Rossiae regionum prouti et evolutionis historicae formaverunt et varias species sanctitatis russicae antiquitatis. Ita exempli gratia Lavra Kievensis locus nativitatis facta est plurium Rossiae sanctorum. Communis autem et characteristica nota antiquorum sanctorum Rossiae est concetratio vitae operumque eorum in Christo (Christocentralis character)! Adjuncta est oratio pro unitate Ecclesiae russici *catholici exarchae Leonidae Fedorov* (per errorem typi orthodoxi nominati).

8. *Die russische Seele,* UNIV. PROFESSOR DR. J. P. STEFFES, Münster. Ad cognoscendam animam populi Russici adhibet auctor praesertim testimonium litteraturae Rusicae. Signa imprimis animae Russicae propria videt auctor in ejus quadam nimia extensitate (Weiträumigkeit), quae contrarietatibus est plena (gegensatzreich) nec firmam habet formam (Formlosigkeit) irrationalibus viribus agitata. Mundum considerat tamquam vitam

perpetuo fluentem, quae potius a superioribus potestatibus quam lege naturali regitur. Scientificus Russorum labor, ubi liber permansit ab influxu culturae alienae, amat formam quandam intuitionis sub mythico — mystico — prophetico aspectu. Naturalis passivitas Russorum transit data occasione ad explosionem revolutionis omnia devastantis. Amor patriae, glebae adhaesio, intima connexio populi, quam et lingua plurimis deminutivis exprimit, non tollunt illam inscrutabilem inclinationem animae Russicae, quae aut in magnam vim constructivam vel destructivam prorumpit (sehr abgründig). Quae omnia et religiosam Russorum vitam attingunt. Fundata in neoplatonismo servavit continuitatem traditionis cum spiritu eschatologico et apocalyptico.

Res divinas nec non fidei veritates representare debent perpulchrae ecclesiae Russicae, celebritas s. Liturgiae, festorm, cultus sacrarum imaginum; pietas Russorum magis est meditativa quam speculativa, non curat tam dogmaticam evolutionem prouti potius divini mysterii incorruptam conservationem propriamque eius experientiam. Opus divinum est nostra redemptio et non ethica hominis adlaboratio. Ecclesia est diligenda, quia est porta coeli, etiamsi potestati civili subjacet. „Rossia sancta" messianismo vivebat.

9. *Die Ikone als Kultmysterium*, DR. ALEXEJ HACKL, Ecclesia orthodoxa celebrat I. Dominica Quadragesimali „festum orthodoxiae" in memoriam renovati cultus s. imaginum anno 843. Ars ikonographica pervenit in Rossiam de regno Byzantino jam saeculo X. et XI. et cum ea byzantina ikonosophia. Sacrae imagines colluntur tamquam portae divinitatis, vitae domesticae divinam impertientes benedictionem, et nonnumquam fiunt visibile signum miraculorum Dei; aegrotis consolationem, moribundis promissionem vitae aeternae dant. Nil mirum, si iconostasis communionem omnis creature coelestis cum hominibus in ecclesia congregatis in mentem revocabat. — Patres benedictini Gerlevenses editione libri „Ut omnes unum sint" sine dubio cognitioni et amori Orientis profuerunt. —*a.*

G. HOFMANN S. J., *Papato, conciliarismo, patriarcato* (1438—1439). *Teologi e deliberazioni del Concilio di Firenze. Miscellanea Historiae Pontificiae edita a Facultate Historiae Ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana.* Vol. II. Collectionis n. 2, Roma 1940.

Collectio haec „Miscellaneorum" a Facultate Historiae Ecclesiasticae in Pont. Univ. Gregoriana nuper inchoata tenore tali ab editoribus dirigi intendit, ut ad historiam Romani Pontificatus illustrandam quam maxime suppeditet. Ea enim, quae adhuc in historia Summi Pontificatus vel minus cognita vel prorsus abdita erant, publicis iuris facere; quae autem palam, profundius examinare et disserere editores student. Sic et cl. prof. Hofmann, optime meritus de edendis documentis concilium Florentinum spectantibus, uti notum est, hocce in fasciculo cum historicis tum theologis commodum affert illustrans laborem Johannis de Turrecremata O. P. in dieta Nuribergensi et Maguntina in favorem papae contra theoriam conciliarem nuncupatam habitum. Opere Johannis examinato enim melius intelligitur decisio concilii Florentini contra

theoriam conciliarem et patriarchalem. Iste defensor strenuus summae potestatis papae in Ecclesia multum ad evolutionem theologicam doctrinae de Primatu papae contulit; et ipse praesens fuit discussionibus de Primatu cum Graecis Florentiae. — Recte explicato itinere episcopi Andraeae d'Escobar O. S. B. a conciliarismo ad fidelitatem papae durante concilio Florentino (pag. 31—37) transit auctor ad examinationem Johannis de Montenigro O. P. in eodem concilio, quoad eius defensionem Primatus papae (pag. 38—58). Cfr AAV XIV, 1938, pag. 141ss; XV, 1939, pag. 65ss. — Postea longior redactio de Primatu in Bulla Unionis Graecorum crisi subicitur ab auctore, nec non sensus verborum „quemadmodum etiam" cum accurata determinatione et eruditione eximia. De iuribus patriarcharum (cf. et AAV XIV, 1938, pag. 138—148) in Bulla Unionis Graecorum occupat partem ultimam operis cl. prof. Hoffmann, cuius excellens opus fervide commendamus omnibus historicis et theologis. *L.*

P. WILHELM DE VRIES S. J., *Sakramententheologie bei den syrischen Monophysiten.* Orientalia Christiana Analecta, 125. Pont. Inst. Orient. Roma 1940 (pag. 263):53 L.

Profesor Pont. Inst. Orient. Stud. in Urbe opere hoc dissertationem suam ad Lauream in Sc. Eccl. Or. publicis iuris facit. Theologiam sacramentalem apud Syros monophysitas ex variis manuscriptis Syrorum (syriacis vel graecis) in unum collegit adhibita etiam sua propria experientia, nam per duos annos sedem suam in Libanon huius rei gratia posuit. Deficiente tractatu systetico de theologia sacramentali apud illos Syros, qui ceterum parva et dispersa grex apparent, auctor ad instar systematis theologorum occidentalium opus suum redegit. Loquens in parte secunda (pag. 101—251) de singulis sacramentis, de materia, forma, ministro, subiecto sacramenti, de necessitate, effectibus, auctor permultis effatibus vel sententiis theologorum in unum collectis doctrinam eorum perpendit. Nec omisit ea, qae decursu temporis Occidentem et Orientem inter agitata sunt, puta v. gr. doctrinam de epiclesi sub influxu Graecorum etiam apud eos notam, communionem sub utraque specie, vel quaestionem de azymis. Nec non doctrina de transsubstantiatione apud Syros clare adhuc proposita est, nec problema de ministro sacramentorum indigno, haeretico vel in peccato constituto definitive soluta est... Insuper hodiernam doctrinam auctor in luce historicae evolutionis ponit; ita fit dissertatio historico dogmatica vel historia dogmatum sacramenta spectantium.

Prima pars operis (pag. 29—99) generalis conspectum mentalitatis Syrorum monophysitorum praebere intendit. Tamen de „mysteriis ecclesiae", de sacramentis in genere auctor nullam synthesim construit, sed tantum explicat sine dispositione clara conceptus mysterii, efficatiam, materiam et spiritum... Nec verum est, quae auctor scribit (pag. 29): „Zu einem systematischen Aufbau sind sie (die syrischen Theologen) nicht gekommen. Wir können deshalb auch keinen systematischen Aufbau der Lehre von den Sakramenten im allgemeinen bei den syrischen Theologen geben. Ein solcher wäre Konstruk-

tion, würde nicht dem wahren Stand der Sakramententheologie bei ihnen entsprechen." — Potuit nihilominus ipse systema melius aliquomodo adumbrare.

Stilus libri saepe saepius nimis familiaris, in operibus scientifico-dogmaticis inusitatus, deprimit pretium huius operibus. *L.*

DR. JOS. HLOUCH, *Konverse a konvertité, hledání a návraty,* Olomouc 1940.

Iam in suo primo opere: Problém odpadu od Církve (ed. 1937) penetravit auctor quaestionem, cur animae Deum amittant. Desiderio ferventi ductus, ut errantes ad Christum et Ecclesiam convertantur, experientia omnimoda imbutus, vias auctor demonstrat, per quas errantes redeunt. Opus totum in tres partes est divisum: Conversionis substantia, evolutio, ad Deum et Ecclesiam reditus eiusque effectus. Singula dissertationis de homine tractant eiusque vitae conditionibus, quae maximi sunt momenti in processu conversionis — et sicut in opere citato, quod apostasiam pertractabat, etiam hocce in libro intellectus, voluntatis et affectus in conversione pars pertractatur. Ac demum maximi illud momenti: Dei gratia, quae multifariam multisque modis effectum producit — hic lente — illic repente in convertentibus operando.

Dr. Hlouch vias et media demonstrat, quae adhibenda sunt, ut homo gratiam conversionis assequatur. Per Mariam ad Jesum — una ex viis. Qui ad Jesum-Deum venit et invenit, Ecclesiam invenit et inveniet.

Ad conversionem multae ducunt viae. Auctor effectibus, quae gratia Dei interna et media a Deo ad conversionem directe ordinata in anima evocant, pertractatis, adiutorium, quo ad conversionem concurrunt vitae conditiones praesertim familia et missionem fidelium in apostolatu conversionem errantium quaerenti, perscrutatur. Errantibus impedimenta superanda sunt et quidem ex parte intellectus, voluntatis, saepissime in moralibus. Pars tertia felicitatem conversorum necnon et eorum curam pastoralem describit.

*J. G. in Na hlubinu 1940.*

# In deposito Academiae Velehradensis adhuc supersunt:

## Acta Conventus Velehradensis:

### *Acta I. Conventus Velehradensis.*

*J. Urban,* De iis, quae theologi catholici praestare possint ac debeant.
*A. Palmieri,* De tendentiis catholicis in theologia Russica.
*Fr. Grivec,* De unionis cum Russia conatibus.
*M. Haluščyňskyj,* De nova illustratione epicleseos ex liturgia ecclesiae orientalis petita.
*A. Špaldák,* De Russorum debita relatione ad ecclesiam catholicam.
*F. Snopek,* Methodium orthodoxum fuisse.

### *Acta II. Conventus Velehradensis.*

*J. Vychodil,* Brevis memoria sacrae vetustatis Velehradii.
*J. Nevěřil,* De situ Velehradii.
*A. Palmieri,* De academiae ecclesiasticae Kioviensis doctrina B. Mariam V. praemunitam fuisse a pecato originali.
*M. Jugie,* De Immaculata Deiparae Conceptione a byzantinis scriptoribus post schisma consummatum edocta.
*A. Straub,* De principio essentiali unitatis ecclesiae Christi.
*J. Bocian,* Quomodo studia liturgica ad discidium ecclesiarum tollendum pertineant.
*A. Gratieux,* De elemento morali in theologico systemate Khomiakovii.
*F. Snopek,* De discipulorum s. Methodii ad Romam relatione.
*A. Bukowski,* Quid Russi orthodoxi doceant de poena temporali pro peccatis remissis ac de fine epitimiarum.
*B. Suciu,* De natura medicinali et vindicativa epitimiarum in Ecclesia graeca.
*S. Ritig,* De relationibus Solov'jevii ad Croatas.
*S. Salaville,* Quae fuerit Sancti Theodori Studitae doctrina de Beati Petri Apostoli deque Romani Pontificis primatu.
*A. Mal'cev,* De vestigiis epicleseos in Missa Romana.
*N. Franco,* De solidaritate Christiana contra solidaritatem sectarum modernarum per Unionem utriusque Ecclesiae propaganda.

### *Acta III. Conventus Velehradensis.*

*B. Goeken,* Possit-ne fieri, ut ecclesia orientalis occidentali uniatur?
*A. Špaldák,* Quae sint psychologicae conditiones concordiae eorum, qui inter se de doctrina contendunt, restituendae.
*N. Malinjak,* De Ecclesia Russa orthodoxa a Ruthenis adiuvanda et quid in hac re sit sperandum et desiderandum.
*M. Jugie,* De precibus pro ecclesiarum reconciliatione fundendis.
*J. Šimrak,* De impedimentis unionis graeco-orientalium cum sede Romana in regno Croatiae et Slavoniae.
*M. Ustičkov,* De Ecclesia bulgarica cum Ecclesia romana catholica reconcilianda.
*P. Hristov,* De Panteleimonis monachi Bulgari ad ecclesias inter se reconciliandas momento.

*J. Hadzsega,* De discrimine inter sententiam theologorum orthodoxorum et S. J. Chrysostomi de primatu S. Petri.
*Pl. de Meester,* Quid ex historia dogmatis Infallibilitatis Papae comparari possit pro unione dogmatica utriusque ecclesiae.

## *Acta IV. Conventus Velehradensis.*

*F. Grivec,* Doctrina hodierna Orientis separati de Ecclesiae constitutione.
*J. Hadžega,* Doctrina hodierna Orientis separati de Ecclesiae constitutione.
*G. Verchovskij,* Auctoritas patriarchatuum sub respectu hodierni status unitatis consideranda.
*S. Sakač,* Synodi Trullanae auctoritas.
*C. Kmetko,* De Apostolatu SS. Cyrilli et Methodii qua efficacissimo medio ad unionem promovendam.
*S. Bulgakov,* Ad Congressum Velehradensem.
*M. d'Herbigny,* Quidnam in Oriente slavico ad unitatem Ecclesiarum instaurandam recentissime factum et proxime faciendum sit.
*A. Totu,* De conditione Ecclesiae catholicae et orthodoxae in Rumenia.
*A. Christitch,* De vita religiosa in Serbia.
*D. Giulov,* De mediis ad unionem.
*G. Verchovskij,* De sociali et religiosa conditione necnon de effectibus emigrationis Russicae ad unitatem Ecclesiarum instaurandam.
*A. Živkovič,* De conditionibus Ecclesiae catholicae in Jugoslavia.
*H. Przezdiecki,* De obstaculis unionis.
*J. Vajs,* De liturgia palaeoslavica ritus occidentalis.
*N. Klimenko,* De Ecclesiarum reconciliatione.
*F. Hrdý,* De Ecclesia catholica in Jugoslavia.
*C. Losskij,* De momento ecclesiae ucrainicae in unione.
*N. Russnák,* De mediis unionis (de juris eccles. orientalis codificatione).
*S. Salaville,* Quomodo liturgia sacra nos doceat veram unionis methodum.
*J. Slipyj,* De valore S. Thomae Aquinatis pro unione eiusque influxu in theologiam orientalem.

## *Acta V. Conventus Velehradensis.*

*J. Vašica,* De momento ss. Cyrilli et Methodii pro unitate Ecclesiae restituenda.
*M. Gordillo,* Juridismus apud ss. Patres Orientis et Occidentis.
*P. Azis Hoh,* Primatus in doctrina Nestorianorum illustratus novis argumentis.
*Th. Spáčil,* Juridismus et indoles efficaciaque Sacramentorum iuxta doctrinam catholicam et orthodoxam.
*C. Lübeck,* De conceptu sacramentorum in theologia Orientis separati et sacramentorum Confirmationis, Poenitentiae et Extremae unctionis.
*S. Salaville,* Spiritus liturgiae orientalis et doctrina de epiclesi in theologia orientali.
*P. Azis Hoh,* De Epiclesi iuxta Syrochaldeos.
*F. Dvorník,* De s. Cyrillo et Methodio in luce historiae byzantinae.

# Academia Velehradensis
# Olomouc, Facultas theologica a s. C. et M.

Vydává Akademie Velehradská v Olomouci. — Odpovědný redaktor Dr. Josef Matocha. — Tisknou Lidové závody tiskařské a nakladatelské v Olomouci. — Používání novinových známek povoleno výnosem řed. pošt. a telegr. v Brně č. 17.488/III a 38.

# ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ANNUS XVI.

FASC. 3.

OLOMUCII 1940

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 K, pro externis 40 K.

Redactores: Prof. dr. *Jos. Vašica,* msgre *Frant. Jemelka,* prof. dr. *Jos. Matocha,* collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Úřednická 7.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*

Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. *Grivec,* Ljubljana; dr. Jos. *Slipyj,* rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. *Salaville;* prof. dr. M. *Jugie;* dr. Georgius *Hofmann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. *Ammann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus *Spáčil,* dr. Thomas *Kurent,* S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas *Živković,* prof. univ. Zagreb; dr. Rochus *Rogošić,* prof. theol. Makarska; dr. Ignatius *Świrski,* prof. univ. Wilno; dr. *Špůrek,* prof. theol. Obořiště; dr. Ant. *Salajka,* Praga.

Contenta in fasc.: 3.

| | Pag. |
|---|---|
| Dr. Franciscus *Cinek,* Orthodoxi dissidentes in Bohemia et Moravia | 177 |
| Dr. Joseph *Luska,* Errores Coptorum tempore concilii Florentini (1442). | 203 |
| Dr. Joannes Chrys. *Jaroš,* C. ss. R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos | 216 |
| Recensiones: *Nikolaus von Arseniew:* Das heilige Moskau. Bilder aus dem religiösen und geistigen Leben des 19. Jahrhunderts (J. Kellner). | 254 |

Acta
Academiae Velehradensis

*Tomus XVI.* *A. D. 1940.* *Fasc. 3.*

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 728 /40. IMPRIMATUR
Olomucii, 28. IX. 1940. † LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

# ORTHODOXI DISSIDENTES IN BOHEMIA ET MORAVIA

*Dr. Franciscus Cinek.*

## III.

Slavjanophilorum studium, ut inter Bohemos orthodoxia propagaretur, ne post annum 1874 quidem, quo aedes s. Russorum Pragae consecrata est, quidquam proficiebat. Qui orthodoxiae favebant, numero perpauci remanebant. Neque inter Bohemos neque inter Russos slavjanophilos, orthodoxiae aemulatores, viri inveniebantur, qui talia eaque tam efficacia proponerent, quae Bohemorum animos vehementer afficerent. Panslavorum et slavjanophilorum placita, quae a quibusdam politicis Bohemis liberalismo imbutis interdum extollebantur, populi assensum non consequebantur nec tanti erant, ut alicuius momenti motionem in populi vita religiosa promoverent.

Nec sacerdotes Russi, qui in aede s. Nicolai sacra obibant, efficere poterant, ut orthodoxiae studium inter Bohemos illius temporis efficacius excitaretur. Tres tales missionarii, Pragae quasi in prima statione a Petrogradensi societate Slavjanskoje blagotvoritel'noje obščestvo expositi, in munere fungendo in vicem successerunt: A. Lebeděv (1874—1882), quem supra commemoravimus, dein iereus (ab anno 1889 protoiereus) Nicolaus Apraksin (1882—1901) et iereus (ab a. 1907 protoiereus)

Nic. Ryžkov (1901—1914). Praeterea eodem tempore in aede s. Nicolai septem diaconi munere in vices sunt functi, e quibus praesertim diaconus A. Voznosenskij (1898—1903) contendebat, ut orthodoxia Bohemis commendaretur.[1] In pastorali munere limites quidem Russico clero ponebantur. Cum ad aedem s. Nicolai nulla religiosa communitas esset constituta, quae publico iure permitteretur, ordinaria animarum cura non est concessa. Aedes privato nomine conducta (nomine scilicet comitis P. A. Goleniščev-Kutuzov, socii Petrogradensis societatis .Slavjanskoje blagotvoritel'noje obščestvo, dein nomine senatoris A. A. Naryškin, socii eiusdem societatis) ratione decreti a. 1875 editi privata, non paroecialis habebatur. Sacra obire non est quidem vetitum, ast limitatum (praecipue ratione iuris fidelium nomina in tabulas publicas referendi et ratione aliorum munerum, quorum publicam auctoritatem legislatio austriaca solis ordinariis animarum curis in sinu religiosarum communitatum publice approbatarum constitutis concedebat).[2]

Contenditur Austriae moderatores obstitisse, quo minus ad aedem s. Nicolai orthodoxorum communitas religiosa constitueretur. Austriae curatoribus obstantibus etiam imputatur, quod orthodoxia in Bohemia usque ad finem saec. XIX. propagari non potuit, immo usque ad a. 1918 miserabiliter tabescebat.

Ast verum a falso est distinguendum. Verum quidem est Austriae moderatores civilibus rationibus ductos vehementer contra panslavismum, quem rei publicae Austro-Hungaricae periculosissimum ducerent, in rebus civilibus intercessisse. Nec mirum, si ea, quae Pragae a Russis agebantur, oculo obliquo observabantur. Nempe eo imprimis tempore panslavismum redolebant Russorum slavjanophilorum placita, e quibus

[1] Vide Vladimír Grigorič, Pravoslavná Církev v Rep. čsl., Praha 1926, pag. 40. Etiam editionem alteram, valde emendatam „Pravoslavná církev ve státě čsl.", Praha 1928, p. 40 et s.

[2] Protoiereus N. Ryžkov in litteris d. 28. m. Aprilis (i. e. d. 10. m. Maii) 1905 metropolitae Petrogradensi Antonio missis conquestus est sibi nullo modo licere orthodoxiae res et rationes promovere (quod ceteroqui verum non erat, ut infra probabimus) nec res sacras publice obire, se a processionibus publice celebrandis prohiberi, clericali veste indutum in publicum prodire vetari etc.

liberales Bohemi, qui orthodoxiam propagabant, ea praecipue extollebant, quae ad nationis rationes et res civiles promovendas usui essent. Nihilo minus tamen dici nequit **orthodoxiam** vexatam esse vel eius propagationem esse interclusam. Orthodoxorum religio cum in Cislitavia tum in Translitavia publice est approbata et nullo plane modo opprimebatur. Re vera orthodoxorum circulus Pragae ideo in communitatem religiosam non est evectus, quod impotentia tabescebat, religiosae vitae vigore carebat, studio atque industria et virium summa contentione egebat, sociorum **tenuissimo numero** — quod fortasse praecipuum erat — quasi evanescebat. Orthodoxorum numerus tam erat exiguus, ut ne mitissima illa lege quidem uti possent, quae d. 20. m. Mai 1874 de religiosis communitatibus approbandis lata esset. Qua lege permittebatur, ut etiam unica religiosa communitas publico iure approbaretur, dummodo ad unicam illam communitatem constituendam et sustentandam facultates praesto essent. Attamen certum est non ex opibus ad communitatem fundandam et sustentandam necessariis suspensum fuisse essetne communitas orthodoxorum Pragae constituenda necne. Nempe circulus Russorum copiose opibus praeditus erat a societate Petrogradensi Slavjanskoje blagotvoritel'noje obščestvo, quae maximis impensis aedem s. Nicolai conduxit, restauravit, sacris utensilibus exornavit et quae proprio sumptu clerum ad eandem aedem procurandam sustentabat. Ast Bohemi orthodoxi, ut planum est, deerant proinde ac verum studium desiderabatur, quod nullis impedimentis nullisque laboribus deterreretur. Nimirum damno fuit rei, quod negotia rationibus civilibus politicis regebantur: rerum gerendarum auctores civilibus negotiis nimis erant implicati. Praeterea aderant quaedam difficultates, quod ad iuris ecclesiastici normas, praesertim quod ad iurisdictionem attinebat. Profecto si circulus orthodoxorum Pragae sat multos socios congregavisset et ad legum normam alicui publico iure approbatae orthodoxorum institutioni (autocephalae metropoli in territorio Austriae—Hungariae) se adiunxisset et Russi sacerdotes Pragae ad normas orthodoxi iuris ecclesiastici in iurisdictionem metropolis austro-hungaricae traducti essent, nullum plane iuris obstaculum communitati constituendae obstitisset.

In Austria-Hungaria tum sat numerosa et late diffusa ecclesiastica institutio orthodoxa exstabat, cuius mater et centrum autocephala metropolis Carlovicia Sirmiensis (Srijemski Karlovci, Karlócza) in Slavonia erat, quae a. 1710 constituta est. Quae metropolis fundata est saec. XVII. exeunte, tempore, quo 120.000—150.000 Serbi „magna migratione" instituta et patria, quae Turcorum iugo oppressa gemebat, relicta patriarcha Arsenio Crnojevič duce in Hungariam meridianam domicilium transtulerunt. Imperator Leopoldus I. profugis istis decreto dato d. 20. m. Augusti 1691 ius utendi suis legibus in rebus cum divinis tum civilibus concessit. Quia haec Serborum turma principio in dicione Serbici patriarchatus Ipecensis (Ipek, Peč) erat et ratione eorum, quae orthodoxorum iure de provinciarum ecclesiasticarum territoriis statuta sunt, separari debuit, utpote quae peregre exisset, a. 1704 a patriarcha Ipecensi ius est impetratum, ut ad Serborum, qui in Hungaria degerent, res divinas administrandas autocephala metropolis constitueretur. Quod factum est a. 1710. Sedes novae metropolis primum monasterium Krušedol, dein Carlovicia Sirmiensis (Srijemski Karlovci, Karlócza) erat. Initio haec metropolis proprie tantummodo exarchatus patriarchalis sedis Ipecensis erat, qui suis legibus utebatur. Denique a. 1766, priusquam patriarchatus Ipecensis a patriarcha Constantinopolitano instigantibus Turcis abolitus est, metropolis Carloviciae autocephala est declarata.

Ratione eorum, quae orthodoxorum iure de ecclesiasticarum provinciarum territoriis statuta sunt, omnes orthodoxi in Hungaria degentes ad huius serbico-graeco-orientalis metropolis dicionem pertinebant. Haec fuit condicio orthodoxorum Dacoromanorum, qui Transsilvaniam incolebant et a. 1688 rei publicae Austriacae sunt adiuncti. Posterius, a. scilicet 1783, orthodoxis Dacoromanis proprius nationis eorum episcopus est praepositus, qui Cibinii (Sabiu, Nagyszeben) sedem habebat et s. synodo Carloviciae oboediens erat. Gradatim ius metropolis Carloviciensis ad alteras orthodoxorum terras dilatabatur, quae rei publicae Austro—Hungaricae adiungebantur, velut in Bucovinam, quam a. 1775 Turci Austriae cesserunt. Orthodoxorum episcopatus Bucovensis, cuius sedes Suczava erat et qui tempore Turcorum

dominationis ad dicionem metropolitae Moldavensis Iasiis pertinebat, rogatu Austriae moderatorum e iurisdictione eius est exemptus, cum metropolita d. 24. m. Aprilis 1781 Bucovinam e iurisdictione dimisit. Sedes episcopatus Suczavensis in Cernoviciam est translata et summo decreto d. 30 m. Septembris 1783 dato metropoli Carloviciensi in dicionem tradita. Eidem metropoli etiam episcopatus Dalmaciae (Napoleonis decreto d. 19. m. Septembris 1808 Sici (Šibenik, Sebenico) constitutus) summo decreto d. 19. m. Martii a. 1829 dato est adscriptus, cum a. 1814 Dalmacia rei publicae Austriacae adiuncta esset. Sedes episcopatus summo decreto d. 3. m. Iulii a. 1838 dato in Jaderam (Zara), Dalmaciae caput, est translata.[4]

Metropolis Carloviciensis, quae decem dioeceses amplectebatur et faventibus illis, qui rem publicam moderabantur, cum quoad auctoritatem tum quoad opes multum proficiebat (a. 1848 ab Austriae moderatoribus metropolitis Carloviciensibus pro eorum studiis et obsequiis titulus patriarcharum est concessus), gradatim in tres autocephalas partes est disiuncta. Quod factum est partim ob Dacoromanorum studia, ut eorum res a suis gentilibus regerentur, partim ob eam causam, quod ipsa res publica Austriaca in Cislitaviam et Translitaviam est divisa.

A. 1867 tres dioeceses Dacoromanorum (Cibiniensis, Aradiensis et modo constituta Karanšebensis (Karánsebes in circulo Krassó-Szörény) a metropoli Carloviciensi sunt seiunctae, ut novam eamque Dacoromanam metropolim efficerent (approbante synodo Carloviciensi a. 1864).

A. 1873 dioeceses Cernoviciensis in Bucovina et Jaderensis (Zara) in Dalmacia a metropoli Carloviciensi sunt separatae, quae cum modo constituta dioecesi Cotorensi metropolim Cernoviciensem constituerent (summum decretum datum d. 23. m. Ianuarii a. 1873). Huic dacoromano-rutheno-dalmaticae metropoli facultas orthodoxa theologica, ubi lectiones lingua germanica fierent, Cernoviciae est fundata. Jaderae (Zara) seminarium theologorum erat. In dicione metropolis Carloviciae Sirmiensis parvae turmae orthodoxorum, qui in diaspora vivebant, remanse-

[4] Bello mundano finito, cum Jadera (Zara) Italiae est cessa, sedes episcopalis in Sicum (Šibenik, Sebenico) est translata.

runt; illyrica communitas religiosa Tergesti, communitas in Fano s. Viti ad Flumen (Fiume, Rjeka), duae orthodoxorum communitates Vindobonae. Hae duae communitates Vindobonenses ex advenis sunt constitutae; ad alteram, quae „turcica" nuncupabatur et quae aedem habuit s. Georgii, orthodoxi advenae e Turcorum imperio pertinebant; ad alteram, quae „graeca" vocabatur et quae aedem habuit ss. Trinitatis, orthodoxi advenae dicionis austriacae pertinebant (summum decretum datum d. 3. m. Augusti a. 1782). Demum summo decreto dato d. 19. m. Martii a. 1883 in dicionem metropolitae Cernoviciensis sunt redacti.

At orthodoxi Serbi Vindobonae degentes contenti non erant et sui iuris communitatem efficere cupiebant. Patriarcha Carloviciae Sirmiensis Rajičič imperatorem Franciscum Iosephum I. adiit, ut orthodoxis Serbis Vindobonae sui iuris communitas religiosa constitueretur. Die 17. m. Septembris 1860 imperator petitioni annuit, ast negotium tum demum exsecutum est, cum impensae ad aedem s. Savae construendam necessariae comparatae erant. Recens illa communitas Serborum orthodoxorum die 19. m. Decembris 1890 iurisdictioni episcopi Jaderensis (Zara) facta est obnoxia. Die 20. m. Novembris aedes s. Savae est consecrata et tertia orthodoxa communitas, scil. orthodoxorum Serborum, est constituta. Ut controversiae intercluderentur, qui ad quam ex illis tribus communitatibus orthodoxis Vindobonensibus pertinerent, decreto ministerii cultum procurantis dato d. 4. m. Aprilis a. 1893 et praescripto magistratus provincialis Austriae Inferioris dato die 1. m. Mai 1893 est definitum his ipsis verbis:

1. ad „turcicam" communitatem ad aedem s. Georgii orthodoxi cives imperii Turcorum pertinebunt, qui Slavi non sunt;

2. ad „graecam" communitatem ad aedem ss. Trinitatis cives Austriaci, qui Slavi non sunt, pertinebunt;

3. ad Serbicam communitatem ad aedem s. Savae (Veithgasse 5. b. Rennweg) cives orthodoxi Slavi Vindobonae degentes pertinebunt.

At vi eorum, quae in § 4. approbatorum statutorum edicebantur, socii ordinarii et pleno iure praediti ii soli Serbi fieri potuerunt, qui in circulo Vindobonensis praefecturae domicilium habebant. Iurisdictionem episcopi Serbici Jaderensis (in Dalmatia)

ad hanc religiosam communitatem extendi in §§ 2. et 12. publice approbatorum statutorum declarabatur.[5]

Quod ad Bohemos orthodoxos tenuissimi circuli Pragensis attinet, non apparebat, num iure ad communitatem religiosam Serbicam Vindobonensem i. e. ad dioecesim Jaderensem pertinerent. Horum Pragensium orthodoxorum condicio non est confundenda Bohemorum causa, qui Vindobonae domicilium habebant. Qui Bohemi Vindobonae instigante Serbo Mišić, protoiereo ad s. Savam, orthodoxiae nomen dederunt, ad Serborum communitatem orthodoxam Vindobonae publice approbatam pertinebant. Pragenses vero Bohemi orthodoxi Serbicae communitatis religiosae Vindobonensis socii fieri nequiverunt, cum extra circulum praefecturae Vindobonensis domicilium haberent. Falso concluditur eos ratione referendi in tabulas et ratione iurisdictionis ad ambitum Serbicae paroecialis communitatis Vindobonensis pertinuisse, quae omnibus Slavis orthodoxis constituta esset (quod posterius episcopus Gorazd urgebat).[6] Cum trium paroeciarum orthodoxarum Vindobonae confinia decreto ministerii cultum procurantis definirentur, de solis illis orthodoxis agebatur, qui in finibus praefecturae Vindobonensis domicilium habebant. Ad communitatem Serborum orthodoxorum ad templum s. Savae omnes Slavi orthodoxi, qui Vindobonae, non qui extra Vindobonam, domicilium habebant, pertinebant. Slavi orthodoxi, qui extra Vindobonam domicilium habebant, ad proprias suas communitates religiosas vel dioeceses publico iure approbatas pertinebant. Tenuissimum circulum orthodoxorum in Bohemia, qui ceteroqui non petiverunt, ut ad Vindobonensem Serbicam communitatem pertinerent, commemoratum decretum ministerii cultum procurantis nullo modo respiciebat, quippe quod tantummodo Vindobonae rebus provideret.

Orthodoxi Pragenses, quorum circulus publico iure non erat

[5] Vide Ing. A. V. Červín, Pravoslavná církev v republice čsl. (Za pravdou, 1927 č. 15.)

[6] „Ke sporu o jurisdikci pravoslavnou u nás" (Národní listy 27. VII. a 10. VIII. 1924; Za pravdou 17. IX. a 24. IX. 1925). Etiam in publ. episcopi Gorazd Pavlík, O krisi v církvi čsl. (Otázka pravosl. církve v Československu), Praha 1924, p. 51 et s.

approbatus, molestissima erant condicione. In quas matriculas legitime inscribendi essent? Qua auctoritate eorum documenta essent signanda, ut rata haberentur? Necessario oportebat communitatem religiosam constitui et sacerdotes Russos modo ab orthodoxorum iure canonico praescripto in iurisdictionem alicuius autocephalae metropolis in Austria-Hungaria traduci. Quod ut fieret, nemo e Russis, ad quos res pertinebat, vero studio curabat. Quae agebantur, pro rerum angustiis facta sunt et quasi dubitanter ac potius via facti. Sunt in documentis, quae probent sacerdotes Russos ad eadem s. Nicolai constitutos primum metropolitam Bucovinensem Cernoviciae adisse, qui orthodoxis Bohemis documenta auctoritate signaret.[7] Ipsi ab a. 1874 lingua russica acta in tabulas (matriculas) privatim referebant. Serborum communitate Vindobonensi a. 1893 constituta delegationem a parocho Serbo Vindobonae ad s. Savam ad singula acta in tabulas referenda patebant. Qui delegationem concedebat. Quae sic pro rerum angustiis et dubitanter agebantur, cautionem quandam a. 1897 nacta sunt. Nempe a. 1895 magistratus circuitus in oppido Teplá (utpote conscius iure de re non esse cautum), provinciae moderatores consulebat, quo modo et ubi in tabulas referendum esset de morte duorum, qui se graeco-orientalis (orthodoxae) ecclesiae esse professi essent, cum de Slavis ageretur, qui communitatis religiosae iure publico non approbatae socii fuissent. Ministerium res interiores procurans Pragam moderatoribus provinciae (qui de quaestione praepositi circuitus Teplensis Vindobonam referebant) rescripsit de morte referendum esse in tabulas mortuorum „communitatis ecclesiasticae graecoorientalis, quae proxime sita esset". Cum vero de mortuis ageretur, qui socii fuissent societatis religiosae Slavicae nationis publico iure non approbatae, rem ad tabulas Serbicae graeco-orientalis communitatis ecclesiasticae Vindobonensis pertinere.

Quo decreto ministerii res interiores procurantis (quo ceteroqui probatur etiam summos magistratus rem dubitanter solvisse) factum est, ut ea, quae Russi sacerdotes ad s. Nicolaum Pragae prius haesitantes factitarent, posthac maiore cum fidentia exsequerentur ita ut exinde compacto acta in tabulas referenda Serbico pa-

[7] Vide Grigorič l. c. p. 41.

rocho Vindobonam mitterent et ab eo vel per eum ab ipsius ordinario (scil. episcopo Jaderensi) delegationem ad varia negotia gerenda impetrarent. Cum tabularum gerendarum ratione Bohemi orthodoxi ad Serbicam paroeciam Vindobonensem pertinerent (quod e commemorato decreto ministerii res interiores procurantis concludebatur), ius inde fictum est. Bohemos orthodoxos (qui communitatem religiosam publico iure approbatam non constituerant) ad paroecialem dicionem Serbici orthodoxi parochi Vindobonensis et ad iurisdictionem Serbici patriarchae Dalmatici Jaderae pertinere contendebatur.

Qua ratione negotia agenda exinde regebantur. Muneribus, quorum exsequendorum ius tantummodo parochus communitatis religiosae publico iure approbatae habebat, Russici sacerdotes Pragenses iure a Serbico parocho Vindobonensi ad s. Savam delegato fungebantur. Qui aliquoties suum episcopum Jaderensem adiit ad varias dispensationes concedendas (aliquot dispensationes ad matrimonium tempore quadragesimae ineundum), quo probatum est episcopum Jaderensem in Bohemos orthodoxos episcopali iurisdictione uti. Quam futili vero iure hic modus agendi inniteretur, inopinate probatum est a. 1905, quo episcopus Jaderensis dr. Nicolaus Milaš de iurisdictione sua in Bohemos orthodoxos expresse interrogatus respondit ratione legis die 19. m. Decembris 1890 latae iurisdictionem suam ut eparchialis episcopi extra Dalmatiam et Istriam ad solos orthodoxos Slavos extendi, qui in finibus prafecturae et civitatis Vindobonensis domicilium haberent et se in orthodoxos cives Austriacos (ut Hungaros praeteream) in Bohemia et Moravia nullam in rebus divinis iurisdictionem habere.[8] Quae omnia ut molestissimam confusionem probant, cui quaestio iurisdictionis in diaspora exercendae obnoxia erat, ita imprimis vitium ostendunt, ex quo omnia pendebant et quod - prout infra exhibebitur ex male perspecta rei natura explicari potest.

Millesimum anniversarium mortis s. Methodii a. 1885, ad quod celebrandum catholici in Bohemia, Moravia, Silesia maximas solemnitates praeparabant, non exiguo emolumento Bohemis or-

[8] Grigorič l. c. p. 46.

thodoxis fore videbatur, quippe quod occasionem praeberet, ut tabescens orthodoxia in terris Bohemorum revigesceret. Russi panslavi curabant, ut anniversarii solemnitates nationis et Slavorum rationes manifestarent, ut modo slavjanophilorum placitis conformi celebrarentur et ut Slavorum civilia negotia promoverent. Orthodoxae Russiae partes in omnium gentium Slavicarum rebus defendendis extollendae erant. Quam ob rem Russi panslavi omni ratione contendebant, ut ecclesia orthodoxa ad haec proposita exsequenda traheretur ac perduceretur. Re vera iam ineunte a. 1884 clero orthodoxo instigante archiepiscopo Platon probabatur, ut ad iubilaeum s. Methodii celebrandum Kieviae solemnitates instituerentur et concilium orthodoxorum convocaretur. Ast orthodoxi Varsovienses obstiterunt, quo minus concilium convocaretur. Ita primum consilium ab ipsis principiis ad irritum est redactum. Tum animum ad Velehradium in Moraviam traduxerunt. Orthodoxis persuadebant, ut solemnitatibus Velehradii participes fierent: Velehradium omnes Slavos convenire debere, cuiuscumque essent religionis, orthodoxos, catholicos, protestantes, immo etiam mahumetanos, dummodo se Slavos esse sentirent et profiterentur. Anniversarium s. Methodii occasionem esse debere, qua omnium Slavorum unitas et animus invicem amicissimus ostenderetur. Sola panslavica idea, quam Slavorum apostoli ss. Cyrillus et Methodius et opus eorum manifestarent, effici posse, ut omnes Slavi in unionem coalescerent.

Ast catholici Bohemi insistebant, ut solemnitates religiosi festi naturam et notas prae se ferrent. Nihilominus tamen ut civilibus slavjanophilorum studiis obstiterunt, ita momentum non neglexerunt, quod solemnitates ad nationis res et rationes promovendas haberent. Tantum afuit, ut orthodoxos a solemnitatibus intercluderent, ut saepius expressis verbis se fervide optare contenderent, ut orthodoxi Velehradium venirent, non vero ad res civiles prosequendas et ad panslavorum studia manifestanda, sed ut animos ad unionem ecclesiae restaurandam inflammarent. Hic fuit sensus exhortationum, quae in catholicorum diariis et libellis scribebantur.

Ast Russi orthodoxi panslavi molestissime ferebant omnia, quae politica studia sapiebant, a solemnitatibus Velehradensibus

esse exclusa. Acerbissime obiciebant a catholico clero ss. Cyrillum et Methodium ut catholicorum sanctos sibi unice vindicari et in Slavos nova discidia introduci. Solemnitatum naturam et formam unice religiosam et unius confessiónis propriam esse infaustam. Ita Slavorum discordias augeri et praerupta inter Slavos catholicos et orthodoxos profundiora effici. Nihilo minus spes exprimebatur viros repertum iri, qui optimam occasionem ad omnium Slavorum fraternitatem paciscendam sentirent et vitium in solemnitatum ratione commissum corrigerent.

Cum orthodoxorum hierarchia Velehradium aversaretur, laici Russi panslavi sperare non desinebant fore, ut in solemnibus Velehradii quaedam ex iis, quae ipsi sibi proposuissent, efficerentur, et moliebantur, ut etiam Russia in solemnibus agendis partes haberet. Ad haec consilia exseqenda Neobohemi liberales iis opitulabantur, qui occasioni non deesse et iubilaeum in rem suam convertere voluerunt, ut pro illis, quae sibi in nationis et omnium Slavorum rebus promovendis proposuissent, Velehradii hominum animos commoverent. In Slavorum ss. Apostolis primos viros extollere voluerunt, qui nationis ideam praeclare defendebant. Nihilo minus tamen titubabant, estne Velehradium eundum necne. Solemnium catholica religiosa natura et forma offensioni iis erat. „Clericalibus" personam mutam gerere nolebant. Quam ob rem in iis, quae scribebant, contendebant, ut in hominum oculis solemnium natura ecclesiastica extenuaretur et simul machinabantur, ut tempore Velehradensium solemnitatum pluribus locis in Moravia congressibus institutis populo ea de iubilaeo explicarentur, quae propriis eorum causis consentanea essent.

Panslavi laici Russi (imprimis societas Slavjanskoje blagotvoritel' noje obščestvo Petrogradii) identidem incumbebant, ut Russia in sollemnibus Velehradii partes, ut deceret, haberet et etiam atque etiam Bohemos liberales petebant, ut „ultramontanis studiis" in iubilaeo celebrando tesseram „nationis cum Slavis unio et vicissitudo" opponerent. Longe longeque plurimos Bohemos eosque insignes huic tesserae responsuros et Bohemiae, Moraviae, Silesiae Slavos potius ac libentius signum Slavorum unitatis et Slavorum fraternitatis quam Catholicorum vexillum secuturos. Bohemi liberales diligenter et maxima cum industria pro iis,

quae a Russis erant proposita, scribebant, immo in ipso Velehradio sua propria nescio quae sollemnia celebranda machinabantur, etsi in definiendo modo, quo ista sollemnia instituenda essent, semper titubabant. Eodem tempore cum Bulgaris, qui iubilaeum ab orthodoxis Trnovii (Trnovo) in Bulgaria celebrandum praeparabant, agebant, ut sollemnium participes fierent, et simul Zagabriam iter parabant, ubi omnium Slavorum sollemnibus interessent. Ast quae hic et nunc pro rerum adiunctis usui essent, non inter eos conveniebat et denique confusis dissensionibus sedatis, quae Velehradii contra Catholicos agenda machinati erant, reposuerunt. Magna moliti erant, ex quibus tamen illud solum effectum est, ut Cunstadii in circuitu Boscoviciensi in Moravia, ubi monumentum „Hussitarum regi" (Georgio de Poděbrad) erigeretur, sollemnia instituerentur, quibus nequiquam sollemnia Velehradensia extenuare conarentur. Anniversarium s. Methodii immensa populi frequentia Velehradii celebratum effecit, ut omnia, quae adversarii contra moliebantur, evanescerent. Sollemnium auctores, qua erant providentia et industria, consecuti sunt, ut Velehradii festa, ut deceret, celebrarentur. Sic iubilaei festa, modo cum religioni tum nationi consentaneo peracta, omnibus, quae obstabant, spretis, ut ideam Cyrillo-methodianam vehementer promoverunt, ita nationis animum redintegraverunt et unionis studia in Catholicorum animis excitaverunt.

Etiam Pragenses orthodoxi studebant, ut anniversario a. 1885 ad propriam causam promovendam uterentur. Brevis vita ss. Cyrilli et Methodii[9] et Bohemica versio sacrae liturgiae s. Ioannis Chrysostomi[10] edita est. Ss. Cyrillus et Methodius ut orthodoxi dissidentes ostendebantur, non secus ac in orthodoxorum libris fieri solet; liturgia graeco-slavica solis orthodoxis propria dicebatur. Hi libelli, iubilaei occasione editi, magis inter Bohemos in

[9] „Sv. Cyrill a Methoděj, apoštolé slovanští", jejich život a osudy církve slovanské na Moravě a v Čechách stručně líčí H. Pravda. V Praze 1885.

[10] Mše Pravoslavná svatého Jana Zlatoústého. K tisícileté památce úmrtí sv. Methoděje, arcibiskupa moravského, s českým překladem vydal Josef Rank, Praha. Tiskem Dra Edv. Grégra 1885. (Texty český a staroslovanský předloženy souběžně.)

Volhynia quam in Bohemia diffundebantur. Volhyniae etiam imprimis Catechismus orthodoxus, a. 1887[11] editus, destinabatur.

Cum tandem quibusdam Russis slavjanophilis, orthodoxiae aemulatoribus, persuasum esset apud Bohemos liturgiam orientalem plurimum valituram, ab a. 1888 contendebatur, ut Bohemis orientalis liturgiae praestantia ostenderetur, profecto liturgiae, quam soli orthodoxiae suam et propriam asseverarent.[12] Protoiereus N. Apraxin, qui in locum protoierei Lebeděv ad s. Nicolaum successit, rem prelo propagandam assumit et libellum „Aliquot hortamina, orthodoxis christianis docendis destinata" (Několik poučení pro pravoslavné křesťany)[13] divulgat. Alii libello, qui versionem orationis a Russo prof. J. J. Malyševskij de s. Ludmila et s. Vencesllao[14] habitae continet, propositum est, ut christianitatis in Bohemia principia orthodoxa fuisse probaret.

Ut haec ostendebant orthodoxos maiore quodam studio ad causam propagandam incumbere, ita nihil aderat, quo probaretur Bohemorum animos quantumcumque permotos esse, ut orthodoxiam curarent. Orthodoxorum circulus semper tam tenuis remanet, ut paene quasi evanescat. Interdum quidem orthodoxiae quidam nomen dant, in quorum numero inveniuntur, qui pii ac religiosi sint et qui imprimis orthodoxae Slavicae liturgiae faveant et pro comperto habeant Slavicam liturgiam apud Bohemos orthodoxam fuisse. Quidam e studiosis canticorum orthodoxorum amoenitate alliciuntur et in choro ad aedem s. Nicolai cantant.

Etiam posterioribus annis litteris maiore cum industria incum-

[11] Obšírný pravoslavný katechismus. Praha 1887.

[12] Modlitby pravoslavného křesťana. V Praze 1888. Liturgie sv. Basila Velikého a sv. Jana Zlatoústého (Pouze český překlad protojer. N. Apraxima). Praha 1888, Akafisty k Pánu Ježíši Krista a Přesvaté Bohorodici. V Praze 1888, Liturgie sv. Jana Zlatoústého s přílohou zpěvů při liturgii sv. Basila Velikého a troparů svátečních s některými kondaky pro smíšený sbor. V Praze 1889. Kanon veliký svatého Ondřeje, arcibiskupa Kretského. V Praze 1889, Jádro Bohoúcty řecko-slovanské čili Pravoslavná bohoslužba v mysli křesťana. Nákl. Vlad. Kytky, tisk. Karla Fencla v Hodoníně (bez udání roku vydání).

[13] Praha 1888.

[14] **Sv. Ludmila a sv. Václav.** Přednáška prof. Kyjevské duchovní akademie I. I. Malyševského ve valné schůzi Kyjevského Slovanského spolku. Autorisovaný překlad M. Červené, Kijev 1890.

bitur, plura scribuntur et eduntur, impensis utique Russorum slavjanophilorum stipulata. A. 1892 Petrogradii „Novum Testamentum Domini Nostri Iesu Christi in lingua ecclesiastico-slavica et Bohemica" (tomus I. Evangelia) (Nový zákon Pána našeho Ježíše Krista na církevně-slovanském i českém jazyce. I. sv. Evangelium)[15] editur. Quinque annos postea tomus secundus Novi Testamenti: „Acta et epistolae ss. Apostolorum cum Apocalypsi s. Ioannis" (Skutkové a epištoly sv. Apoštolů se zjevením sv. Jana)[16] publicatur. Simul studetur, ut edenda versione scriptorum Chomjakovii idea slavjanophilorum in quam maximis populi ordinibus diffundatur. A. 1895 primi fasciculi „Librorum Chomjakovii, illustrissimi doctoris ecclesiastici saec. XIX." (Spisy Chomjakovy, nejosvícenějšího církevního učitele XIX. století) in publicum prodeunt. (E lingua russica versum. Editum cura Iosephi Vojtek, Přerovii 1895.) Celebratissimus ille vir, qui Russorum ecclesiasticas traditiones et orthodoxiam ut purissimum et perfectissimum christianitatis specimen extollebat, ostendebere debuit, etiam doctos Bohemos liberales orthodoxiae nomen dare posse, cum Ecclesia non esset societas visibilis, sed vinculum spirituale fraternitatis inter fideles. Ecclesiam non esse compagem iure et hierarchia iunctam et coalitam, non esse innixam perhorrescenda auctoritate, sed fraternitate, libertate, caritate. Christianos orthodoxos non esse Ecclesiae subditos, sed omnes inter se fratres.

Haecce ad liberalismi morem infucatae opiniones (ceteroqui a vera orthodoxiae condicione et ab ipsa orthodoxorum theologia traditionali alienissimae) etiam in alium libellum redundant: „De principalium Christianarum confessionum natura" (O povaze hlavních křesťanských vyznání).[17] Ecclesia Catholica futilissimis rationibus impugnatur, quod moralitatem in ius vertisset et fidei

[15] „Nový zákon Pána našeho Ježíše Krista na církevně-slovanském i českém jazyce". Svazek I.: Sv. Evangelium. Petrohrad. Synodální tiskárna. 1892.

[16] „Nový zákon Pána našeho Ježíše Krista na církevně-slovanském i českém jazyce". Svazek II.: Skutkové a epištoly sv. Apoštolů se zjevením sv. Jana. Petrohrad. Synodální tiskárna. 1897.

[17] O povaze hlavních křesťanských vyznání. Podává N. B. Soluňský. V Přerově 1896.

spiritus et libertatis imposuisset vincula materialismi violentissimi iuris Romani et rationalismi aridissimae scholasticae.

In eandem fere sententiam abeunt etiam „Litterae ad orthodoxos Bohemos de Orthodoxia" (Listy pravoslavným Čechům o Pravosláví)[18] — libelli, quos diaconus A. Voznesenskij quam latissime diffundendos curabat et quibus probare conabatur Bohemos, cum orthodoxiam amplecterentur, ad ipsa initia purissimae christianitatis, a ss. Apostolis Cyrillo et Methodio seminatae, redire.

## QUAE POST SOCIETATEM „PRAVOSLAVNÁ BESEDA" A. 1903 CONSTITUTAM GESTA SINT

Libelli a Voznesenskij editi in publicum prodeunt illo tempore, quo studetur, ut tabescens circulus orthodoxorum revigescat. Res tum miserrima erant condicione. Tempore triginta annorum nec ulla motio religiosa est excitata nec in ipso circulo ullus vigor vitae religiosae inflammatus. Tenuissimus numerus Bohemorum orthodoxorum quaedam appendix erat Russorum ad aedem s. Nicolai congregatorum. Bohemi illi orthodoxi nullo moderamine regebantur et in divinis ex multo maiore parte sibi sunt relicti, cum in aede sacra ad s. Nicolaum nullae orationes sacrae lingua Bohemica haberentur nec ulla religionis orthodoxae institutio in lingua Bohemica traderetur. Animum angebat, quam misere Bohemi orthodoxi in divinis tabescerent. Etiam Petrogradenses orthodoxiae aemulatores denique non fugiebat finem huiusce tabescentis corporis fore, ut ea, quae slavjanophili olim tanta cum ostentatione proclamassent, miserabili ruina collaberentur. Quam ob rem anno 1901 Pragam iereus Nikolai Ryž-

[18] „První list pravoslavným Čechům o Pravosláví" „Čtyři listy pravoslavným Čechům o Pravosláví". Píše A. Voznesenskij, překládá B. Lukavský. S přílohou: Henry Drummond: Největší dobro na světě (The greatest thing in the world). Přeložil B. Lukavský. V Praze 1903, tiskem Politiky. Nákladem vlastním.

„Ještě čtyři listy pravoslavným Čechům o Pravosláví", píše A. Voznesenskij, překládá B. Lukavský. V Praze 1904. Tiskem Politiky. Nákladem vlastním.

kov[19] missus est, vir praeter ceteros Slavorum vicissitudinis studiosus, ut aedis sacrae sancti Nicolai curam susciperet. Antehac ab anno 1895 psalmista erat ad eadem sacram Russorum Vindobonae et simul magistratu in Russico consulatu Vindobonae fungebatur. Panslavismi studio incensus erat ab annis, quibus adhuc in scholis discebat. Vindobonae maximorum Slavicae rei aemulatorum (Kozariščuk, Ščavinskij etc.) familiaris erat. A. 1901 sacerdos ordinatus et ad aedem sacram s. Nicolai Pragae administrandam constitutus simulque Russorum templo Balneis Carolinis (Karlovy Vary, Karlsbad) est praepositus.[20] Pragae adiuvante diacono Voznesenskij Ryškov maiore studio causae orthodoxorum promovendae incumbere coepit. In-

[19] Natus d. 26. m. Septembris 1868 Borisovkiae (Borisovka, Grajvoronskij ujezd) in gubernia Kursk. Litterarum studiis in seminario spirituali Kurskii et in academia spirituali Kijeviae operam dedit. Annis 1892—1895 in administratione officinae typographicae synodalis Petrogradii partes habuit. (Grigorič l. c. II. edit. p. 169 s.)

[20] Orthodoxum templum Russicum Balneis Carolinis (Karlovy Vary, Karlsbad) a. 1893—98 est aedificatum, ut orthodoxis hospitibus in balneis degentibus praesto esset. Sumptuosissima aedificatio munificentia fiebat generosarum gentium nobilium Russorum et praecipue ipsius aulae czaricae. Aedificandi rationem architectus Gustavus Wiedemann e Balneis Fransci (Franzensbad) descripsit. Aedes Russicorum templorum genere est exstructa iisque ornata, quae byzantinae artis tempore Iustiniani (527—565) sunt propria. Imitatur — ut videtur — aedem ss. Salvatoris Moscoviae (nunc destructam). Notare iuvat in aede duas fenestras imaginibus s. Ludmilae et s. Venceslai esse exornatas, quae largitione Bohemorum e Volhynia sunt emptae. Über der Mitte eines Kreuzdaches erhebt sich auf hoher Trommel die Hauptkuppel, über jeder seiner Ecken, eine Nebenkuppel. Vorn ist das Quadrat um ein Rechteck verlängert, dem eine quergestellte Vorhalle mit dem Eingang vorgesetzt ist. Über der Vierung steht der hohe Frontturm. Er geht oben in eine achteckige offene Glockenhalle über, trägt ein ebensolches Pyramidendach, mit der typischen russischen Goldkuppelspitze. Ihr Doppelkreuz ist wie das aller Kuppeln mit Seilen am Kuppeldach verankert. Hinten schließt sich an das Quadrat des Hauptraumes eine Apsis mit einer Halbkuppel zur Aufnahme des Altares. Der verschwenderische Überfluß des russischen Kirchenstiles in Schuppengiebeln, erkerartigen Aufsätzen mit üppiger Bekrönung und die bunt rote Farbigkeit der Wände, mit vilen Wandgemälden, das Patinagrün und Gold der Kuppeln ergibt im ganzen ein fantastisch- malerisches Bild, von ausgeprägter fremder Eigenart. Gelitten hat es allerdings durch die Abnahme der mittleren Kupferkuppel, deren Oberfläche im Werte von damals (Kriegs-

terdum lingua Bohemica orationes sacras habuit et orthodoxorum Bohemorum liberos ipsorum lingua instituebat (a. 1905 hac ob causam „Brevem orthodoxum catechismum" (Krátký pravoslavný katechismus) edidit). Maximam vero curam atque operam in eo ponebat, ut orthodoxi Bohemi religiosae societatis formam constituerent. Inde d. 11. (24.) m. Mai a. 1903 societas „Pravoslavná Beseda" est constituta.[21] Haec societas sibi proposuit, ut lectiones instituerentur, sociorum consessus convocarentur, orthodoxorum libri religiosi diffunderentur, novi libri ederentur, denique ut omnia temptarentur, quibus orthodoxia in Bohemos propagari posset. Socii societatis „Pravoslavná Beseda" utriusque sexus et cuiuscumque christianae confessionis esse poterant (Statutorum § 7). Ast socii rerum gerendarum participes soli orthodoxi fieri poterant. Cum societas „Pravoslavná Beseda" conderetur, 27 socios numerabat, quorum **21 orthodoxi,** 6 aliarum confessionum christiani erant.[22] Quantum haec tenuis orthodoxorum turma - fructus studii, quod slavjanophili triginta annos consumebant — animo liberalismi Bohemorum sui ac proprii erat obnoxia, ex eo elucescit, quod societas „Pravoslavná Beseda" primum elaborandum duxit, ut Synodus Russorum adiretur, quae

jahr 1916) K 30.000. vergoldet war. Im Jahre 1917 verlor die Kirche auch alle sechs Glocken. Im Nischenförmigen Unterteil des Zierbaues ist am 4. August 1912 als Bronze-Relief, eine Gedenktafel an Peter den Großen eingesetzt worden. Es zeigt uns den Herrscher 1712 beim Bau des damaligen Hauses „Pfau" in der Kreuzstraße in Karlsbad, wie er dort mauert. Das Relief ist ein Werk des Karlsbader Bildhauer Max Hiller. Die Kirche selbst ist mit zahlreichen Gemälden ausgestattet. Unter ihnen befinden sich „Maria Verkündigung" und solche von 4 Apostel. Ein Bild vom Abendmahl und mehrere Heiligenbilder des russischen Malers Tjurin. Ausserdem enthält sie eine Anzahl wertvoller Ikonen.

Quae de hac aede notamus, auctore dr. Rudolf, archivarii Balneis Carolinis, referimus.

[21] Societas „Pravoslavná Beseda" in generali conventu est constituta, quem convocarunt: iuris studiosus Franciscus Budina (Praga), Georgius Svoboda et Venceslaus Vrabec, horologiorum artifex e civitate Žižkov (nunc Pragae Maioris pars), pater futuri archiepiscopi orthodoxi Sawatii-Vrabec.

[22] Haec referuntur ex iis, quae in tabulis conventuum generalium et consessuum societatis consilii delecti consignata sunt, quorum praecipua a Vladimiro Grigorič sunt vulgata l. c. pg. 42 ss.

Mag. Ioannem Huss in sanctorum albo referret.[23] Petitio re vera mox ad sacram synodum est relata.[24] Etiam primum, quod „Pravoslavná Beseda" publice agendum censebat, fuit, quod collegiatim sollemnibus intererat, cum lapis primarius poneretur monumenti Ioannis Huss, cuius memoriam Bohemi orthodoxi eodem die funebri liturgia celebrarent. Inde mos factus est memoriam Iannis Huss die 5. m. Iulii liturgia vel pannychide celebrandi, quod annis sequentibus diligentissime servabatur. A. 1903 Pravoslavná Beseda **quinque** socios rerum gerendarum participes (i. e. qui orthodoxiae nomen dederunt) et **septem** socios adiuvantes (i. e. aliarum confessionum) acquisivit. Primus conventus generalis d. 21. m. Februarii a. 1904 agebatur. Praeses societatis Pravoslavná Beseda prof. dr. Antoninus Dobiáš est electus. A. 1904 a societate Pravoslavná Beseda quattuor lectiones sunt institutae.[25] Eodem anno societas sollemnibus occasione monumentorum Mag. Ioannis Huss in oppidis Vamberk et Nechanice detegendorum et lapidis primarii ad monumentum Ioannis Huss in oppido Bráník ponendi intererat. Die 27. m. Ianuarii 1905 alter conventus generalis societatis Pravoslavná Beseda agebatur, ubi iidem praesides, qui antea fuerunt, reelecti sunt. In societatis albo socii referebantur: 1 socius honoris causa, 2 socii „fundantes", 39 socii rerum gerendarum participes (orthodoxi), 33 socii adiuvantes (aliarum confessionum). In bibliothecam, quae anno superiore summam 60 tomorum explevit, nunc quidam libri sunt additi. Notandum quosdam de patre N. Ryžkov conquestos. Iam a. 1904 aegerrime ferebatur, quod pater Ryžkov semper tempore, quo balnea aperiri solent, Balneas Carolinas abibat et Pra-

[23] Ardentissime rem imprimi commemoratus iuris studiosus et societatis „Pravoslavná Beseda" constituendae aemulator JUC Franciscus Budina commendabat, qui in litteris ad patrem N. Ryžkov d. 18. m. Iulii 1903 missis scribebat: „Si haec a me proposita effici potuerint, res esset ingentis momenti cum in Bohemorum natione, tum in historia orthodoxiae in Bohemia.

[24] De petitione refert pater Nic. Ryžkov in litteris missis ad metropolitam petrogradensem Antonium d. (15.) m. Decembris a. 1904.

[25] Omnes quattuor lectiones dr. Ant. Dobiáš habuit: 27. 3. 1904 „O ruštině mezi Slovany"; 7. 5.: „Sergij radoněžský a sergijevský klášter"; 20. 11.: „O významu ruského jazyka pro Slovany a Čechy zvlášť"; 12. 12.: „O staroslovanském bohoslužebném jazyku v Pravoslaví slovanském".

gae tunc nulla prorsus orthodoxorum sacra officia fiebant. Etsi Pravoslavná Beseda a. 1905 identidem intercedebat, nihil proficiebat.

A. 1905 animi imprimis in Veterocatholicorum communitatem religiosam Pragae intendebantur, qui cum orthodoxorum ecclesia coalescere proni erant. Ast cum autocephala ecclesia Russica unionem inire nolentes moliebantur, ut sui iuris „Bohemo-slavica ecclesia" tamquam 18. autocephala ecclesia orthodoxa constitueretur. Nullo prorsus modo ad societatem Pravoslavná Beseda adiungi intendebant et tenuissimam Bohemorum orthodoxorum catervam spernebant, quippe qui numerosiorem communitatem religiosam haberent, et cum exigua turma Bohemorum orthodoxorum iungi respuerent, qui communitati religiosae constituendae impares essent. De nationis „Bohemo-slavica ecclesia" fundamentis „traditionum cyrillo-methodianarum et hussiticarum" fulcienda somniabant. Postquam, quae ipsi aliquoties temptaverunt, eventum non habuerunt, iereum N. Ryžkov - unicum orthodoxum sacerdotem in Bohemia et Moravia adierunt, ut ex eo quaererent, quaenam essent de consilio exsequendo eius sententia et possetne in Russorum Synodo rem proponere. Fatebantur se pronos esse in iis, quae ad fidem spectarent, cum orthodoxia coalescere velle, sed petiverunt, ut suis ipsorum quibusdam desideriis mos gereretur. Petitio est scripta die 21. Novembris 1904 ad Synodum Russicae ecclesiae, quam pater Ryžkov quibusdam additis d. 2. m. Decembris 1904 ad praesidem Synodi metropolitam Antonium misit. Sex veterocatholicorum postulata erant: 1. ut sacra officia Bohemica lingua certis diebus (altera quaque die dominica) celebranda instituerentur et ut omnia sacramenta Bohemica lingua administrarentur; 2. ut sacrae orationes lingua Bohemica haberentur; 3. ut in sacra officia veterobohemica et hussitica cantica ecclesiastica insererentur, dummodo religioni consentanea essent; 4. ut praeter confessionem privatam etiam publica, communis confessio permitteretur; 5. ut liberi propria eorum lingua in religione instituerentur; 6. ut Mag. Iannes Huss et Hieronymus Pragensis in sactorum album referrentur.

In iis, quae N. Ryžkov addidit, scribebat, quod ad primum et secundum punctum attinet, oportere, ut pro forma approbaren-

tur, cum ipse iamdudum lingua Bohemica sacra officia obiret et orationes sacras haberet. Ast petebat, ut ad aedem alter constitueretur sacerdos vel saltem verbi divini magister Bohemus et ipse sacerdotem veterocatholicum A. Pešek commendabat. Quod ad punctum 5 attinet (liberorum institutio), pater Ryžkov scribebat de negotio cautum esse de facto, cum ipse eo tempore 22 discipulos Pragenses doceret et ius a consilio scholarum curae praeposito concessum haberet, ut pro auctoritate publica testimonia scriberet. Etiam reliqua puncta commendabat, praesertim ut Ioannes Huss et Hieronymus Pragensis in numero sanctorum ponerentur. Petitio d. 2. (15.) m. Decembris a. 1904 est missa, sed iam ante d. 5. (18.) m. Decembris 1904 (in quem diem conventus generalis veterocatholicorum est convocatus) brevissimum saltem responsum per telegramma mittendum rogaverunt. Re vera d. 5. (18.) m. Decembris 1904 metropolita Antonius per telegramma rescribebat: „Vestrum optimum nuntium accepisse ex animo gaudeo. Synodo proponendum non neglegam. Dominus sanctum inceptum benedicat." Quo rescripto innixi quidam e veterocatholicis in conventu generali d. 5. (18.) m. Decembris 1904 habito orthodoxiae nomen dederunt. Fuerunt 104. (Legitime cum orthodoxia mense Martio et Aprili 1905 sunt coniuncti.) Hi recentes orthodoxi e veterocatholicis conversi societatis Pravoslavná Beseda socii non sunt facti, sed praepropere suam ipsorum societatem constituerunt, quae „Bohemorum communitas orthodoxa" est nuncupata et cui „collegium sociorum intimorum" est praepositum. Sed a magistratibus publicam approbationem non providebant, ita ut iure de societate non caveretur.

Quia vero Synodus non respondebat, mense Ianuario a. 1905 orthodoxum apiscopum Dalmatico-Istriacae eparchiae dr. Nikodim Milaš Jaderae adierunt, petentes, ut orthodoxos Austriacos cives in Bohemia ad suam in divinis iurisdictionem pertinere diceret,[26] et ut etiam eos, qui e veterocatholicis ad orthodoxiam transissent, in suam iurisdictionem reciperet. Pater N. Ryžkov, cui nuntiatum est veterocatholicos ad episcopum dr. Milaš scripsisse, eodem fere tempore (20. m. Ianuarii 1905) suas proprias

[26] Patet apud veterocatholicos de re dubia esse orta, quae ab orthodoxis in societate Pravoslavná Beseda congregatis dissipari non potuerint.

litteras ad eundem episcopum dr. Milaš misit, in quibus referebat in Bohemia plurimos vetrocatholicos ad orthodoxiam transituros, quibus statim sacerdote opus esset, qui iure curae animarum providere posset; se ideo precari, ut se episcopus dr. Nikodim Milaš ad omnia divina officia pro orthodoxis Bohemis in Bohemia et Moravia obeunda auctoritate sua delegaret. Episcopus Milaš d. 7. m. Februarii 1905 respondit ratione eorum, quae publica lege d. 19. m. Decembris a. 1890 lata statuta essent, iurisdictionem suam ut episcopi eparchialis extra Dalmatiam et Istriam ad solos orthodoxos Slavos extendi, qui in circuitu prafecturae civilis communitatis urbis Vindobonae domicilium haberent, se proinde dolere, quod patri Ryžkov delegationem ad ecclesiastica munera pro orthodoxis austriacis civibus in Bohemia et Moravia obeunda sua auctoritate concedere non posset. Se dolere, quod tanti orthodoxi (apparet eum vanam opinionem fovisse, cum de solis 104 veterocatholicis et ca 40 orthodoxis in Pravoslavná Beseda congregatis actum esset) extra iurisdictionem orthodoxarum eparchiarum invenirentur, et a suo consistorio ideo quam primum in ministerium cultum procurans Vindobonam libellum missum iri, quo peteretur, ut res ecclesiasticae administrationis pro omnibus orthodoxis austriacis subditis, qui extra fines orthodoxarum eparchiarum nunc exstantium viverent, igitur etiam pro Bohemis, publice ordinarentur.[27] Etiam Bohemis veterocatholicis,

27

Задаръ (Zara) 7 Февраля 1905 года.

Ваше Высокопреподобіе. Многоуважаемый Николай Николаевичъ!

Я имѣлъ честь получить многоцѣнное письмо Ваше отъ20 прошлаго мѣсяца. А нѣсколько дней тому назадъ получилъ и письмо отъ имени бывшаго Церковнаго Совѣта чешской старокатолической общины въ Прагѣ въ которомъ письмѣ просятъ меня заявить имъ, что я признаю православныхъ австрійскихъ подданыхъ въ Чехіи, какъ принадлежащихъ моей духовной юрисдикціи, и слѣдовательно чтобы и новообращенные изъ старокатолицизма стояли подъ моей юрисдикціей.

На это письмо бывшаго старокат. Церковнаго Совѣта дастъ подобающій отвѣтъ протоіерей сербской церкви въ Вѣнѣ, отъ моего имени.

А отвѣчая на Ваше упомянутое письмо, я долженъ обратить вниманіе Вашего Высокопвеподобія на существующій государственный законъ отъ 19 декабря 1890 г., по которому моя юрисдикція, какъ епархіальнаго епис-

qui orthodoxiae nomen erant daturi, rescripsit nuntians iurisdictionem suam non ad terras Coronae Bohemicae extendi, sed se statim a ministerio cultum et eruditionem publicam procurante iurisdictionis concessionem petiturum, simul ac in Bohemia orthodoxorum communitas constituta esset.[28]

Molestissimis hisce rerum adiunctis iereus Ryžkov coactus

копа, распространяется, кромѣ Далмаціи и Истріи, только на православныхъ Славянъ, находящихся въ полицейскомъ раіонѣ политической общины города Вѣны. Поэтому я много жалѣю, что не въ состояніи удовлетворить Вашему желанію дать Вамъ оффиціальное полномочіе совершать всѣ церковные акты надъ православными австрійскими (а уже и не говорю о венгерскихъ) подданными въ Чехій и Моравіи, потому что надъ этими я не имѣю никакой духовной юрисдикціи.

Конечно, очень печально, что такъ многіе православные находятся внѣ юрисдикціи извѣстнаго епископа епархіальнаго, и ради этого здѣшняя духовная Консисторія не пропуститъ на дняхъ обратиться Министерству церковныхъ дѣлъ въ Вѣнѣ, чтобы государственнымъ закономъ установлены были церковно-административныя отношенія для всѣхъ православныхъ австрійскихъ подданныхъ, находящихся внѣ границъ духовной юрисдикціи, существующихъ въ настоящее время православныхъ епарх. епископовъ.

Прошу принять увѣреніе моего выскопочтенія, коимъ пребываю
Вашего Высокопреподобія преданный Епископъ Никодимъ.

Rescriptum hoc publicavit Politika, Pragae 1905. Vide Grigorič l. c. I. ed. pag. 117 s.

[28] Hoc responsum continetur proclamatione „České veřejnosti" (Bohemorum publico) d. 6. (19.) m. Martii a. 1905 vulgata, ad cuius calcem scribitur: „E decreto Bohemicae orthodoxae ecclesiae Pragae" (Z usnesení Čes. pravoslavné církve v Praze). — Vera orthodoxa communitas (publice approbata) neque ex iis, qui antea veterocatholici fuerant, neque ex sociis Pravoslavná Beseda unquam est constituta.

Impetraveritne episcopus Milaš a ministerio cultum procurante, ut iurisdictio sua ad terras Coronae Bohemicae extenderetur, non constat. Ast dispensationes, quas parochus ad s. Savam pro orthodoxis Bohemis petebat, concedebat.

**Dubitari nequit, quin quadam ratione Bohemi orthodoxi ad Serbicam paroeciam Vindobonensem et per eam ad eparchiam Dalmaticam pertinuerint. Cuius rei fundamentum iuridicum fuit solum decretum ministerii cultum procurantis a. 1897 editum, de quo mentionem fecimus et in quo praescribebatur, ut de orthodoxis Bohemis acta in tabulis Vindobonensis Serbicae communitatis paroecialis, utpote quae proxime sita esset, referrentur. Quod decretum ansam praebuit, ut res exinde ex more et usu ita gererentur, quasi iure publico civili et canonico statutum esset orthodoxos Bohemos**

metropolitam Bucovinensem Vladimirum[29] d. 16. m. Februarii (1. Martii) a. 1905 adiit, ut rei dolendae et intolerabili finem imponeret. In hisce litteris Ryžkov apertissime fatetur, quam confusa condicione tum erant Bohemi orthodoxi, et pro iis, quae re vera aderant, illustrat, quae posthac orthodoxi scriptores dissimulare studebant. Scribit ab a. 1901 circa 50 familias Bohemorum Pragae ad orthodoxiam transisse, (at numerum vero maiorem refert), et brevi plures veterocatholicos, ut exspectetur, ad orthodoxiam transituros, ita ut exigua, attamen solida Bohemorum orthodoxorum communitas efficiatur. Hosce Bohemos se - unicum sacerdotem orthodoxum in Bohemia et in Moravia - adituros, proinde ac superiore tempore factitaverint. Verum tamen se nec habere nec habuisse iurisdictionem in hosce orthodoxos, debuisse tamen, interdum hortantibus ipsis magistratibus, sacris muneribus fungi, de qua re semper (perinde ac ii facere soluissent, qui ipsi in munere praecessissent) legitime retulisse ad illum, qui proximae orthodoxorum communitati praefuisset, i. e. ad eum, qui serbicam aedem sacram s. Savae Vindobonae administraret. Nunc, cum in Bohemia sui iuris communitatis orthodoxa constituenda sit, quaerendum esse, ad cuius Austriaci episcopi orthodoxi iurisdictionem futura illa communitas pertinere debeat, cum a Dalmatico episcopo rescriptum sit eius eparchiam ad terras Coronae Bohemicae non extendi. (Quae ad hasce litteras metropolita rescripserit, in tabulis societatis Pravoslavná Beseda non exstant.)

Impraesentiarum Russica Synodus petitioni veterocatholicorum denique rescripsit. Quod rescriptum a patre Ryžkov d. 9. m.

**ad Serbicam paroeciam Vindobonensem et per eam ad eparchiam Dalmaticam pertinere. Ast quae agebantur, nullo veri nominis iure fulciebantur, pro rerum angustiis fiebant et tantummodo via facti admittebantur. Hisce condicionibus res etiam post a. 1905 remanserunt, etsi Bohemicum orthodoxiae fragmentum nullo iure publico civili vel canonico ad eparchiam Jaderensem pertinebat.** Quae controversia ob hanc causam annis 1924—1927 inter Bohemos orthodoxos orta sit, posterius exponetur.

[29] Antequam orthodoxorum communitas ad s. Savam Vindobonae est constituta, sacerdotes Russi ad s. Nicolaum Pragae munera sacra administrantes ea, quae in tabulis referenda essent, parocho orthodoxo ad s. Georgium Vindobonam mittebant, qui in dicione metropolitae Bucovinensis erat.

Aprilis (27. III.) 1905 veterocatholicis in aede sacra s. Nicolai sollemniter est traditum.[30] Quae in primis quinque postulatis expressa erant, concessa sunt. Notare iuvat, quo modo ad punctum quartum rescriptum sit, in quo etiam publicae confessionis permissio petita sit: „Non prohibemus, si necessarium fuerit, etiam communem publicam confessionem, quam quidam Vestrum petunt, verumtamen ad normam praescriptionum Ecclesiae nostrae monemus vos, ut unusquisque Vestrum, semel quidem in anno, confessionem peccatorum praesente sacerdote cum solo paenitente Deo afferat, ut consilium et monitum accipere possit, quo modo peccandi consuetudinem et passiones deponat, ad quod perficiendum parum est, ut paenitens animum promptum habeat, sed opus est in oppugnando peccato habere usum et peritiam, quam Dei servus cives doceat." Sextum postulatum, ut scilicet Mag. Iannes Huss et Hieronymus Pragensis in sanctorum album insererentur, reiectum est. Qua de re rescribebatur: „Quod ad Vestrum desiderium de Ioanne Huss, etiam a nobis sanctorum more culto, contra Romano-catholicorum vitia luctatore, sacerdote iustissimo, attinet,[31] qui, etsi ad orthodoxam ecclesiam aperte non pertinebat, in iis vero, quae legitime postulabat, aberratam Romanam ecclesiam ad primam puritatem restituere curabat; attendendum est in orthodoxa ecclesia haec semper Dei voluntati relinqui nullumque studium adhiberi, ut iusti proclamentur sancti, sed in hac re Dei Numen exspectari in revelatione, in qua etiam certitudo inveniatur Domino placere, ut iustus sancti gloria ornetur."

Licet tantisper in tribus minoribus catervis 104 veterocatholici ad orthodoxiam transierint, tantum afuit, ut „Bohemo- slavica ecclesia othodoxa", de qua veterocatholici somniarent, constitueretur vel unico cum „Pravoslavná Beseda" iungeretur, ut negotium funditus everteretur, cum, quod in sectis saepissime fieri solet, animi dissensionibus ferrentur et futili aemulatione invicem incitarentur. Inita sunt quidem consilia quaedam inter eos, qui societatis Pravoslavná Beseda rationes defendebant, et eos, qui

[30] Rescripti exemplum in Musaeo Regni Bohemiae servari dicitur. Versio Bohemica a. 1905 in officina typographica Politika Pragae est edita. Haec versio etiam a Grigorič l. c. pg. 118 vulgata est.

[31] De Hieronymo Pragensi nulla fit mentio.

ad „Collegium sociorum intimorum" veterocatholicae „Bohemicae communitatis orthodoxae" pertinebant, ad nullum tamen exitum est ventum nec discidia remota. Saevientibus discordiis a praeside „Colegii sociorum intimorum" collegium hoc d. 29. m. Octobris 1905 dimissum est. Aliud „Collegium sociorum intimorum" non est constitutum et mox propositum „Bohemo-slavicae communitatis orthodoxae" constituendae est reiectum. Hortamem, ut veterocatholici orthodoxiae faventes societati Pravoslavná Beseda nomen darent, parum valuit: a. 1905 soli duo, a. 1906 septem oboediverunt. Negotium, quod spem afferebat fore, ut numerus orthodoxorum Bohemorum augeretur, in irritum cecidit. Die 4. m. Aprilis a. 1906 tertius conventus generalis societatis Pravoslavná Beseda est convocatus, ubi miserabilis negotii cum veterocatholicis suscepti eventus apparuit. Sociorum Pravoslavná Beseda numerus tum fuit: 1 socius honoris causa, 2 socii „fundantes", 41 socii rerum gerendarum participes (i. e. orthodoxi), 35 socii adiuvantes.

Orthodoxorum Bohemorum caterva denuo tabescit. Frustra conata fiunt, ut sociorum numerus augeatur et ut studium quoddam excitetur. Societas Pravoslavná Beseda, in qua sola Bohemi orthodoxi iunguntur, non est talis, quae negotium late et efficaciter promoveat. Solas quasdam lectiones in societatis conssessibus habendas procurat. Publice tantummodo Ioannis Huss sollemnia in vigilia anniversarii eius mortis celebranda curat. Ab a. 1907 protoiereus Ryžkov quotannis conatur, ut orthodoxorum calendarium edatur. Verumtamen libellus calendarii, quo explanationes liturgiae et versiones quarundam de rebus divinis dissertationum Russicarum vulgantur, ter tantummodo editur (1907, 1908, 1909),[32] exinde interit. Secus pauca eduntur: a. 1911 versio Liturgiae s. Ioannis Chrysostomi[33] in lucem prodit, posthac usque ad bellum gentium erumpens et ipso bello saeviente nihil apparet. Orthodoxorum negotium remanet inceptum truncum. Quam misere hoc

„Český pravoslavný kalendář na obyčejný rok 1907". Ročník I. Nákladem duch. správy pravoslavné církve v Praze. Tentýž na přechodný rok 1908. Roč. II. Tentýž na obyčejný rok 1909. Roč. III.

[33] „Boží liturgie svatého otce našeho Jana Zlatoústého". (Přel. kněz Alexej Vaněk.) Petrohrad, Synodální tiskárna 1911.

corpus tabuerit, optime ea ostendunt, quae in tabulas relata sunt: ad orthodoxiam, ut in tabulis notatur, transierunt:

| | |
|---|---|
| a. 1907 1; | a. 1911 18; |
| a. 1908 11; | a. 1912 - 5; |
| a. 1909 - 6; | a. 1913 - 5; |
| a. 1910 - 9; | a. 1914 - 7. |

Ultimus ad orthodoxiam transitus factus est d. 9. (22.) m. Iulii a. 1914.

Bello gentium erumpente protoiereus Ryžkov Balneis Carolinis degebat. D. 7. m. Augusti 1914 simul cum diacono A. Solovjev et psalmista Brjanskij est comprehensus, in vincula coniectus et variis locis, denique Vindobonae, in custodia retentus. Crimini ei dabatur, quod contra rem publicam Austriacam cum societatibus panslavorum Petrogradii, cum diariis et cum viris ageret, qui Austriae periculosissimi essent (Jančevskij, Berovskij, Parensov, prof. J. S. Nalimov, Reimon etc.), quod cum societate „Russkoje Zerno" coniungeretur et quod ducis generalis exercitus Russici Curikov familiaris esset. Octo menses causa anquirebatur. Interea aedes sacra s. Nicolai a. 1914 est obsignata et a. 1915 civitas Pragensis pactum conductionis renuntiavit, quia usura non solvebatur. Quibus rebus aedes sacra interius instructa et ornata erat, in tabulas relata sunt et res in cellas Pragae V. sunt depositae. Ab illis, ad quos rei militaris administratio pertinebat, aedes sacra est acquisita et catholicorum officia divina ibi instituta pro militibus, qui Pragae praesidio erant.[34]

Orthodoxi Bohemi orthodoxos sacerdotes militares adibant, ut iis sacra administrarent. Quod usque ad a. 1918 tres Dacoromani orthodoxi sacerdotes militares re vera praestabant: Dr. Virgil Ciobanu, N. Sošdean, Laurentius Curea.

Interea protoierei Ryžkov causa est renovata et dilatata. D. 19. m. Aprilis a. 1917 capitis damnatus est, quippe qui contra rem publicam Austriacam machinatus esset, cum in panslavorum

[34] Ex iis rebus, quae orthodoxorum erant, in aede sola lampas vitrea e tecto suspensa et imagines Salvatoris et quattuor Evangelistarum remanserunt. Cum aedes restauraretur, imagines dealbatae sunt et eorum loco aliae pictae sunt.

somniis et Russorum rebus civilibus exsequendis versatus esset et sciens et volens homines et res iuvisset, quae ad Austriam frangendam destinata essent. Russiae moderatores et Russica ecclesia omni ratione studebant, ut protoiereus Ryžkov in libertatem vindicaretur. Sententia lata Russiae moderatores et Sacra Synodus ministrum Hispaniae Vindobonae petiverunt, ut in imperatoris aula interveniret, ut Ryžkov gratia donaretur. Die 3. m. Iulii a. 1917 protoierei Ryžkov actio imperatoris gratia est suspensa et relicta et Ryžkov[35] dimissus et invicem metropolita graeco-catholicus Leopolensis comes Andreas Šeptickij a Russia copiam nactus est, ut Austriam redeat.

(Continuabitur.)

# ERRORES COPTORUM TEMPORE CONCILII FLORENTINI (1442).

*Joseph Luska.*

Errores Coptorum apparent in disputatione delegationis Africae, quae a patriarcha Coptorum Alexandrino Johanne XI. in concilium Florentinum missa est, cum theologis Latinis. Aliqua notavit in scriptis Blondus Flavius, qui tunc temporis secretarius papae Eugenii IV. fuit. Magni momenti est epistola Johannis XI. patriarchae Coptorum Eugenio IV.[1] Principalis autem fons errorum Coptorum est Bulla Unionis Coptorum de 4. febr. 1442, scripta latine et arabice, cui Decretum pro Armenis et Bulla Unionis Graecorum inseritur.[2] In hac Bulla doctrina catholica proclamata est et errores condemnati sunt. Propterea ex ea errores eruere possumus, qui tum circa dogmata tum circa disciplinam ecclesiasticam versantur.

[35] Mortuus Petrogradii d. 24. m. Ianuarii (6. II.) a. 1920.

[1] Vide: G. Hofmann S. J., Documenta Concilii Florentini de Unione Orientalium I—III. Romae 1935—1936. (Textus et documenta, Pontificia Universitas Gregoriana; Series theologica n. 18; 19; 22). — Abbreviatura: Docum. 18, Docum. 19, Docum 22.

[2] Textum latinum vide: Docum. 22, 29—44; 18, 9—25; 19, 21—47.

De istis erroribus Coulbeaux[3] loquitur et omnes Aethiopibus adscribit, quia iurisdictio patriarchae Alexandrini etiam in illas regiones sese extendebat. Quod tamen non videtur omnino verum, nam nec unio cum Aethiopibus tempore concilii Florentini conclusa est. Abbas Andreas, qui nomine patriarchae Coptorum unionem amplexus est, coram concilio Flor. dicit quidem: „... permisit deus gentibus in opprobrium et infidelibus in rapinam, prout cernere datur... pariter in nobis Aethiopibus Jacobitis."[4] Sed vocabulum „Aethiopes" sat amplum fuit, non solum Aethiopes stricte dictos sicut hodie significabat. Andreas loquitur quidem nomine totius patriarchatus. Patriarcha Alexandrinus non solum consecrabat, sed et eligebat metropolitam istius regionis. Influxus huius metropolitae tamen in populum et theologos parvus fuisse videtur. In separatione vivebat, saepe saepius ne linguam quidem populi cognoscebat et theologi Aethiopum multis in quaestionibus independenter a Coptis procedebant.

Aderant aliqui errores tum dogmatici tum disciplinares, quorum brevem conspectum dare volumus.

1. Circa fontes revelationis (S. Scriptura et Traditio). Attingimus hic tantum *canonem* Scripturarum.

Blondus Flavius nonnullos libros, quos sacros tenent et quibus utuntur Copti enumerat. Eum omnes libros sacros Coptorum enumerare voluisse non patet. Addit, utuntur „et libris Salomonis, quos plures quam nos, immo omnes a Salomone scriptos, habere dixerunt."[5] Quinam libri fuerunt, nescimus. Aliquantulum possumus explicare. Copti scilicet pro libro speciali habent finem libri Proverbiorum a c. 30, cui titulum dant: Agür, filius Jake.[6] Ita ex uno libro duos faciunt et plures ergo habent. De ceteris non adhuc notitiae exstant.

[3] E. Coulbeaux, Éthiopie (Église d'). In Vacant, Dictionnaire de Théologie Catholique. Paris 1924, tom. V, 1 col. 922—969.

[4] Docum. 22, 23.

[5] Docum. 22, pag. 26s.

[6] Abu'l Barakat, Lampas tenebrarum c. 6, nondum editum, vide: M. Jugie, Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab ecclesia catholica dissidentium. Tomus V, Parisiis 1935, pag. 369.

Coulbeaux et P. Jugie canonem Coptorum ex Constitutionibus Apostolorum[7] deprompitum tenent. Et propterea libri Veteris Testamenti cum canone catholico coincidunt exceptis libris Machabeorum; quos 3 habent pro 2 Latinorum. Ad Novum Testamentum additae sunt: 2 epistolae et 8 libri s. Clementis.

2. Doctrina de Ecclesia. Tangimus tantum *Primatum* Romani Pont. et *infallibilitatem*. Primatum s. Petri et Romani Pont. agnoscebant Copti. Quod patet ex epistola Johannis patriarchae[8] et ex sermone Andreae abbatis.[9] Attamen puto tales declarationes parvi profuisse, si ex altera parte negabant infallibilitatem Rom. Pontificis et suum patriarcham infallibilem tenebant. Agebatur enim de Dioscuro patriarcha alexandrino. Qui Eutychen archimandritam, qui monophysismum realem docuit, in suam tutelam recepit. S. Leo Papa misit legatos cum epistola ad Flavianum (Tomus Leonis) et convocatum est concilium Ephesi, cui Dioscorus praefuit; qui documenta Leonis praetermisit, indigne se gessit. Legati subscriptionem vitarunt et Leo acceptis nuntiis damnavit hoc „Latrocinium Ephesi". Hinc Copti dicunt papam Leonem in haeresim lapsum esse. — Blondus Flavius scribit de hac re tempore concilii Florentini: „... quaesitum est de Dioscoro et Eutyche quid sentirent. Qui, cum fassi fuerint se Dioscorum ut sanctum colere, dixerunt Eutychem ignorare. Tunc responderunt nostri, si ignoraretur Eutyches, non posse sciri Dioscorum, qui vel ea ratione damnatus sit, quod illius secutus errores sanctum patrem Leonem papam, quod nequivit, excommunicare praesumpsit".[10] Et propterea in Bulla unionis Coptorum tam solemnis est damnatio secundae impiae synodi ephesini: „Damnat autem, anathematizat et respuit impiam secundam ephesinam synodum sub beatis-

[7] E. gr. Mansi I, 47 vel 48 A B.

[8] „... domine Eugenie, papa magnae urbis Romae, omnium ecclesiarum christianorum apostolice pastor, principium christianarum sedium" (Docum. 22, pag. 17).

[9] „Es namque deus in terris, et Christus et eius vicarius in terris et Petri successor et pater, caput et doctor ecclesiae universalis, cui datae sunt claves claudendi et paradisum cuicumque volueris reserandi." (Docum. 22, pag. 23.)

[10] Docum. 22, 28.

simo Leone praedecessore nostro et praefato principe congregatam, in qua Dioscorus alexandrinus antistes Euticis haeresiarchae defensor et sancti Flaviani constantinopolitani pontificis impius persecutor execrandam illam synodum ad approbationem Eutycianae impietatis arte et minis attraxit."[11]

Ergo breviter: Copti Pontificis Romani infallibilitatem in docendo negaverunt dicentes s. Leonem in nestorianismum incidisse. Quae doctrina et ex scriptis Coptorum illustrari potest.[12]

3. De Deo trino. Bulla[13] clare exprimit doctrinam de Deo trino. Tres personae coaequales, Pater tantum a se, Filius a Patre genitus, Spiritus Sanctus a Patre et Filio (ab uno principio) procedit. Expressiones Coptorum non plenam claritatem exhibunt. Sic epistola patr. Johannis: „In nomine illo, quo deus in anima humana rerumque imaginibus trine ac unice laudatus ... cuius personarum trinitatem earumque et unitatem plures animi vires operando declarant."[14] Generatim tamen Copti de SS. Trinitate orthodoxe docebant; seposita utique quaestione de processione Spiritus S. a Filio.

Circa *processionem Spiritus S.* erraverunt Copti putantes Spiritum Sanctum a Patre solo procedere. Dicit enim Blondus Flavius: „Symbolum graeco more absque Filioque singulis horis dicunt."[15] Quod per se non probat eos Spiritum S. a Patre Filioque procedere negavisse. Decursu temporis tamen revera

[11] Docum. 22, 38.

[12] E. gr. Severus Ibn al — Moqaffa (Histoire des conciles, éd. et trad. L. Leroy in Patr. Or. t. VI, p. 467—600) explicat formulas symboli et dicit: „... ceux qui disent qu'il y a deux substances dans le Christ sont dans l'erreur ... Tels sont Nestorius, Tidros (Théodore) et Dodrios (Diodore), ses maîtres, Léon, évêque de Rome, Ibas ... Théodoret de Cyr ... et leurs partisans. Ces derniers, tout en faisant montre de divergences avec Nestorius en l'anathématisant en paroles, sont d'accord avec lui pour le fond et la manière de penser ... Nous vous montrerons en quoi Léon et ses partisans sont d'accord avec lui ... ils prirent sa défense ... qu'ils faisaient de l'opposition aux partisans de la vraie doctrine, la repoussaient et persécutaient son défenseur" (pag. 563s).

[13] Docum. 22, 31s.

[14] Docum. 22, 16.

[15] Docum. 22, 27.

Copti sub influxu Graecorum dissidentium similiter ut Graeci docebant. Paulatim ex antagonismo contra Latinos sicut Graeci iis corruptionem symboli obiciebant, postea etiam doctrinam Latinorum condemnabant et doctrinam photianam aperte amplectebant. Nihil theologi Coptorum e doctrina ss. Athanasii et Cyrilli (Spiritus S. procedit ex Patre per Filium) retinuerunt[16].

Sic tempore concilii Florentini doctrinam photianam Copti tenebant ut scribit P. Jugie: „... concilii Florentini tempore, Monophysitae omnes communiter accusarentur quod processionem Spiritus Sancti ab utroque negarent".[17]

4. Mysterium Incarnationis. Pauca verba de monophysitismo Coptorum dicenda sunt. Jam mentio facta est de Dioscoro, quo duce monophysismus in patriarchatu alexandrino primum invaluit. Contentiones frequentes ibi fuerunt usque ad Petrum 4. (567—570) a quo series continua patriarcharum monophysitarum Alexandriae numeratur.[18] Vocantur Monophysitae quia unam tantum φύσιν in Christo profitebantur. Distinguunt theologi: monophysismum realem a nominali. In monophys. reali distinguit P. Jugie[19] septem formas. Scilicet monophys. realis in Christo post unionem divinitatis et humanitatis ponit unam tantum φύσιν, i. e. unam tantum naturam seu essentiam concretam, quae simul est persona. Unam eutychianismi formam scilicet divinitatis et humanitatis permistionem insinuat professio fidei patriarchae Johannis: „Admirabilis quidem et naturae proprietate et corporali foecunditate. Cumque in humanitate delicuit"[20] i. e. diffluit, se carni immiscuit. Huius erroris acusatus

[16] Ita Abu'l Barakat (La lampe de ténèbres, c. 1. et 2, édit. Louis Villecourt et E. Tisserant; in Patr. Or. t. XX, p. 619—733) p. 708: Qui ex Patre procedit; p. 723: Qui procedit de essentia Patris (sim. p. 725). — Johannes d'Ibn Saba' (La perle précieuse, c. 1—56, éd. Jean Périer in Patr. Or. XVI, 593—760) p. 598: „Le Saint-Esprit existe par le Père, parle par le Fils, vit par lui-même"; p. 721: „Qui procède du Père, c'est-à dire qui procède du Père pour aller au Fils, sans quitter ni le Père ni le Fils."

[17] De processione Spiritus Sancti ex fontibus revelationis et secundum Orientales dissidentes, Romae 1936, pag. 392. — Cf. pag. 387—398 ibidem.

[18] M. Jugie, Theologia dogm. christ. Orient., V, 352s.

[19] Ibidem pag. 397—527.

[20] Docum. 22, 16.

est Eutyches: Divinitas et humanitas in Christo ita in invicem confusae sunt, ut quid divino-humanum efformaverint. - Locutionem: Verbum carni se immiscuit, Patres quidem adhibent ad intimam coniunctionem naturarum in Christo significandam, sed post ortum eutychianismi talis locutio semper haeresis suspecta erat.

Alius est monophysismus nominalis vel Severiani. Plures enim noluerunt terminologiam chalcedonensem recipere putantes eam doctrinae s. Cyrilli Alexandrini repugnare. Hi monophys. realem Eutychis reiiciebant et humanitatem Christi impermixtam et nostrae consubstantialem mansisse docebant. Nolebant tamen locutionem duae fyseis in Christo usurpare. Nam dicunt: ubi est natura ibi est hypostasis; nullam admittunt distinctionem inter *φύσις, ὑπόστασις, πρόσωπον.* Propterea dicunt: Fuit unica natura Christi post unionem, tamen humanitas et divinitas non commiscentur sed conservant ambae suam peculiaritatem.[21]

Monophys. nominalis rectam doctrinam tenuisse videtur sed tantum falsam locutionem habuisse. Tamen illi haeretici veri nominis fuerunt. Eorum enim formula: Una natura Verbi, si exclusive adhibeatur, in sensum eutychiani erroris detorqueri potest. Deinde „libenter profitebantur Christum esse ex duabus naturis, sed nullo pacto adduci poterant ad agnoscendum Christum in duabus naturis post unionem."[22] Ita possunt explicari verba Blondi Flavii: „Dominum Jesum, interrogati, dixerunt verum Deum et verum hominem fuisse, et in eo duas naturas et duas pariter voluntates."[23] Forsan ante unionem sic fuisse putaverunt.

Adnotari de Coptis licet: Intentum semper animum habent in personam (principium quod), quae omnes proprietates tum

[21] Quae doctrina ex opere Abu'l Barakat probari potest: „Le Fils éternel, Verbe de Dieu, s'est uni à un homme parfait et de l'union des deux est apparu un Christ unique, une personne unique, formée de deux personne, une réalité unique formée de deux réalités . . nature unique, volonté unique, après l'union . . . sans mélange ni confusion" (Patr. Or. XX, 648s. Sim. 660).

[22] Jugie, Theol. dogm. christ. Orient., V, 425s.

[23] Docum. 22, 27.

humanitatis tum divinitatis possidet, minime autem in naturas ut sic (principium quo), ex quibus tamquam ex fonte physice dimanant hae proprietates. „Si vero proprietates et operationes attendantur quatenus in se ipsis sunt, a divinitate et humanitate physice dimanant, et ad certum effectum producendum tendunt, tunc earum pluralitas affirmanda est, quia divinitas et humanitas post unionem inconfusae manent, nec una mutatur in aliam ad efformandum aliquam tertiam essentiam, sed unaquaeque propria attributa servat."[24]

Generatim possumus dicere: Copti tempore concilii Florentini erant Monophysitae nominales. Etiamsi nonnullae expressiones eutychianismum insinuant, tamen commistionem naturarum in Christo reiciunt.

5. Circa Novae Legis sacramenta quaedam de singulis dicenda sunt.

a) *Baptismus.* „De sacramentis dixerunt: se in aqua et Spiritu Sancto quemadmodum et nos, sed nisi ingruat morbi necessitas, non quam nati infantis XLa die, baptizare."[25] Contra legimus in Bulla: „Circa pueros... admonet non esse per 40 aut 80 dies seu aliud tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri."[26] Copti ergo infantes natos non statim baptizabant (propter purificationem matris, quae semper baptismo aderat) et tantum in templo cum aqua a sacerdote benedicta. In mortis periculo forsan non baptizabant si infantes in templum deferri non poterant. Huius sacramenti ministrum solum sacerdotem, etiam in casu necessitatis, habere videntur. Propterea Bulla praescribit: „... mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem." In mortis periculo, si infans in templo a sacerdote baptizari non potuit, Copti aliquos exorcismos vel unctiones perficiebant. Unde Bulla explicat doctrinam catholicam: „... cum ipsis non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi,

24 Jugie, Theologia dogm. christ. Orient., V, 429.
25 Docum. 22, 26.
26 Docum. 22, 36.

per quod eripiuntur a dyaboli dominatu et in dei filios adoptantur." — Utrum Copti ad se venientes non Jacobitas christianos illo tempore rebaptizabant, non certo constat. Est hoc tamen possibile sicut fuit praxis apud Armenos. Bulla explicat doctrinam catholicam: „... imo paganus et haereticus baptizare potest dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat, quod facit ecclesia."[27]

b) *Confirmatio.* Flavius Blondus quidem dicit: „Confirmationem non norunt,"[28] sed ego puto: confirmatio ut pars sacramenti baptismi considerabatur et simul et statim post baptismum conferrebatur. Ergo habuerunt Copti id sacramentum, quamvis non ut speciale numerabant. Bulla loquitur de confirmatione dicens: „Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre;" sed infra: „Legitur tamen aliquando per apostolicae sedis dispensationem ex rationabili et urgente causa simplicem sacerdotem crismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum."[29] Et tali modo Bulla doctrinae Coptorum vel Orientalium appropinquat: Minister confirmationis est non solum episcopus sed et simplex sacerdos.

c) *Eucharistia.* „Eucharistiam quibus et nostris verbis conficiunt" dicit Blondus.[30] Copti generatim recte doctrinam de SS. Eucharistia proposuerunt. Nonnulli theologi tamen non clare conversionem substantiae panis in corpus Christi sicut ecclesia latina docuerunt, sed locuti sunt de unione panis cum corpore Christi; sicut Verbum Dei corpori humano unitum est, ita fit in Eucharistia. Quae doctrina impanationem insinuat. Propterea Bulla clare proponit: „... panis substantia post praedicta

[27] Docum. 19, 31. — Ex saeculo 8. adsunt exempla quod Copti haereticos rebaptizabant: Renaudotius Eusebius, Historia patriarcharum Alexandrinorum jacobitarum, Prisiis 1713. Ibi adducit exempla de Themistianis et Semidalitis, qui circa mysterium Trinitatis non errabant et tamen baptismus illis iterum conferrebatur (p. 194s).

[28] Docum. 22, 26.

[29] Docum. 19, 32.

[30] Docum. 22, 26.

verba consecrationis corporis a sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus trassubstantietur."[31] Ibidem explicantur verba consecrationis, quibus ecclesia romana utitur. Adnotari enim placet: doctrina de epiclesi, de invocatione Spiritus S., quod necessarium esset ad conficiendum sacramentum, ante concilium Florentinum non erat apud Coptos agitata. Attamen Bulla plane dicit, statim post pronuntiata verba Christi effici verum corpus, ut Coptos ab erroribus ex parte Graecorum praemuniret.

d) *Poenitentia.* Auctores saepe de abusu quodam poenitentiae saeculo 12. loquuntur.[32] Erat initio missae incensatio populi cum oratione sacerdotis, qui formulam absolutionis recitabat; quod loco sacramenti confessionis partim introductum est. Sed hic abusus postea non praevaluit uti videtur.[33] — Absolutio bis dabatur.[34] Prima vice statim post confessionem peccatorum. Vera formula absolutionis (oratio ad Filium), praesertim in peccatis inimititiae et damni alio illati, post adimpletionem satisfactionis sacramentalis conferrebatur. Quod etiam verba Blondi innuunt: „Inquiunt cogi confitentes peccata ad restitutionem ablati..."[35] Ex eo deduci potest: Confitentes cogunt, ut restitutionem faciant renuentes illis absolutionem vel potius abnegantes communionem usque ad adimpletionem satisfactionis sacramentalis.

e) *Extrema unctio.* „...sed unctionem extremam dixerunt sibi alias inauditam"[36] theologi Coptorum. Difficile erat procurare sibi oleum sacrum sacerdotibus, propterea hoc sacramentum ex usu venit, censet Coulbeaux.[37] Sed Jugie[38] scribit: „Existentia alicuis ritus sacri nostro sacramento extremae unctionis respondentis in dubium vocari non potest. Nomine olei

[31] Docum. 22, 39s.

[32] Renaudotius, o. c. 550—553.

[33] Docum. 22, 26: „paenitentiam confitentibus imponunt".

[34] Cf M. Jugie, Monophysite (Église copte). In Vacant, Dictionnaire de Théologie Catholique, Paris 1929, tom. X, 2, col. 2287ss.

[35] Docum. 22, 27.

[36] Ibidem pag. 26.

[37] L. c. col. 947.

[38] Theol. dogm. christ. Orient., V, 732.

lampadis, vel simpliciter lampadis (Kandil apud Coptos) communiter designatur." Oleum enim infirmorum benedicendum in lampadem infundunt. — Copti non bene distinguebant sacramenta et sacramentalia. Unctionem extremam non solum iis, qui morbo laborabant, dare solebant, sed etiam personis omnino sanis. Quae unctio fuit quasi supplementum poenitentiae. Post absolutionem caeremonia incensationis incipit. Minister sacer accipit lampadem, oleum benedicit etc. et in fine unctionem dedit poenitenti in fronte et omnibus assistentibus. Dicunt: Inter eos, qui morbo laborant et sanos non intercedit distinctio, nam et sani morbo spirituali animae laborant. Inde Bulla Unionis Coptorum declarat: „Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet."[39]

f) *Ordo*. „In ecclesiasticis etiam ordines sunt, qui et apud nostros, psalmodatus, lectoratus, subdiaconatus, diaconatus et presbyteralis. Patriarcham habent et metropolitam unum."[40] Summatim de hoc sacramento recte docuerunt.

g) *Matrimonium*. Secretarius ille saepius nominatus sequentia scriptis de Coptis mandavit: „Matrimonia servant, quae suis permitti dicunt quamprimum annos discretionis attigerint; et quando principes aut magni viri spondent invicem liberos infantes, non licere adultis a parentum sponsione discedere; contrahique in templo, sacerdote solemnia ad id instituta psalmorum carmina praeeunte; et cum unica tantum etiam regi habere permittatur, ea mortua alteram et tertiam nec plures habere permitti... usque ad septimum cognationis gradum prohibent matrimonia, quae etiam ex lepris aut cuiuspiam delicti causa numquam dirimi patiuntur."[41] Bulla loquitur tantum contra prohibitionem quartarum nuptiarum: „Declaramus non solum secundas ac tertias, sed et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstet, licite contrahi posse."[42] Deinde doctrina catholica explicatur: „Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud

39 Docum. 19, 35.
40 Docum. 22, 27.
41 Docum. 22, 27.
42 Ibidem pag. 40.

matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit."[43]

6. Eschatologia. Agitur *de sorte animarum post mortem.* Animae post mortem non statim secundum Coptos caelum vel infernum intrant, sed per quadraginta dies vacare debent, postea ante iudicem Jesum Christum sistere. Ceterum non omnino clara est eorum sententia de remotione beatitudinis vel punitionis usque ad ultimum iudicium. — Contra dilationem beatitudinis ait Bulla de baptizatis: „. . . morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et dei visionem perveniunt."[44] Iterum alio loco sermo fit de hisce animabus et quae poenis purgatorii „sunt purgatae, in caelum mox recipi."[45] Simili modo qui in mortali peccato decedunt „mox in infernum descendere".[46]

Ignorabant quidem nomen purgatorii, sed ex eo non sequitur eos doctrinam de purgatorio nescivisse.[47] Pro animabus apostatarum vel eorum peccatorum, qui usque ad mortem in peccatis permanserunt, publicae orationes non fiunt; nec pro sanctis qui ante faciem Dei stant. Nihilominus in missa fit memento defunctorum et aliter orationes fiunt pro defunctis, quod sine dubio doctrinam de purgatorio secundum libros Machabaeorum supponit.

7. Adsunt praeter errores dogmaticos stricte dictos etiam multae consuetudines vel leges disciplinares vel iudaicae observationes, quae etiam in Bulla Unionis Coptorum reprobantur. Inter tales consuetudines recenseri potest:

Mos *unaquaque die panem* ad sacrificium missae *recenter conficiendi.* Exinde Bulla suas rationes praebet: „Panis vero triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die an antea decoctus sit, nihil omnino refert; dummodo enim panis substantia maneat."[48]

[43] Docum. 19, 36.

[44] Docum. 19, 32.

[45] Docum. 18, 16.

[46] Ibidem.

[47] Cf Jugie, in Dictionnaire de Théologie Catholique, tom. X, 2, col. 2291.

[48] Docum. 22, 39.

De prohibitione *quartarum nuptiarum* sermo fuit sub matrimonio.

De *remotione baptismi* usque ad 40 vel 80 diem post nativitatem mentio facta est sub baptismo.

De *circumcisione* scribit Blondus: „... dicunt (Copti) se abusu quodam infantes octavo die vetusti moris exemplo circumcidere."[49] Circumcisio antiquus usus Aegyptiorum fuit, qui etiam apud christianos remansit. Non quidem characteris religiosi nec obligatorius fuit, sed omnino generalis evasit, ita ut magna ex parte parvulos suos in utroque sexu circumciderint. Medio aevo discussiones erant, utrum ante vel post baptismum recipi oportet. Concilii Florentini tempore ante baptismum conferrebatur (sclicet 8. die, baptismus 40. die). Non est dubium, quin multi Copti circumcisionem uti ad salutem necessariam tenerent. Quod deduci potest ex damnatione harum consuetudinum.

Similia asseri iuvat de lege mosaica; *de observatione sabbati.* Blondus scribit: „Licet vero dies dominicos solemniter colant, etiam sabbatizant ab omni manuum opere per eam diem septimam abstinentes."[50] — Contra hanc declinationem Bulla solemniter declarat: „Firmiter credit, profitetur et docet legalia veteris testamenti seu mosaicae legis ... quia significandi alicuis futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa domino nostro Jesu Christo adveniente cessasse ... Quemcunque etiam post passionem in legalibus spem ponentem et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter ... Omnes ergo post illud tempus (promulgatum evangelium) circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denuntiat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocunque tempore vel ante vel post baptismum a circumcisione cessandum, quoniam sive quis

[49] Ibidem pag. 26.
[50] Ibidem pag. 27s.

in ea spem ponat sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest."[51]

Damnat etiam concilium Florentinum *differentiam ciborum* mundorum et immundorum. Blondus Flavius in discussionibus Latinorum cum oratoribus Coptorum adnotavit de eis: „. . . et tamen porcinarum esus non interdicitur lege, quae prohibet vesci sanguine et suffocato, non occisarumque gladio carnium, et gladio etiam ab infideli nomine interfectarum."[52]

Contra huiusmodi abusus Bulla per longum sequentia declarat. Omnis creatura Dei bona est illaque mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentia ad caeremonialia pertinebat, quae surgente evangelio transierunt et efficacia esse desierunt. Etiam apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato, dicit congruisse illi tempori, ut materia dissensionis inter Judeos et Gentiles neochristianos tolleretur. Illius apostolicae prohibitionis causa cessante etiam effectus cessavit. „Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quem societas admittit humana, nec inter animalia discernendum... quocunque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina possint et debeant multa non negata dimitti."[53]

Hic est brevis conspectus errorum cum dogmaticorum tum consuetudinum peculiarium Coptorum tempore concilii Florentini (1442).

[51] Docum. 22, 35s.
[52] Ibidem pag. 28.
[53] Ibidem pag. 37.

# IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

*Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C. ss. R.*

(Continuatio.)

Praeter hanc electivam fratrificationem ritu ecclesiastico peractam fraternitas spiritualis oriebatur etiam „causaliter" et quidem:

per baptismum duorum infantium in eadem aqua baptismali;

per collectivas peregrinationes ad loca sancta;

per collectivam lavationem in flumine benedicto post Epiphaniam seu in *„Jordane";*

per nativitatem ex personis, quae vi officii sui confratres spirituales reputabantur, scil. inter filios et filias sacerdotum.[782]

Notandum vero ex collectivis peregrinationibus ad loca sancta in aliquibus regionibus Bulgariae fraternitatem quidem nasci, sed nullum impedimentum.[783] De collectiva lavatione in flumine benedicto post Epiphaniam seu in „Iordane" in ipsa Bulgaria sicut et apud alios Slavos orientales (v. g. Ucrainos) debilia vestigia tantum remanserunt.[784]

Hodie revera difficillimum est in numerosis illis fratrificationis modis elementa christiana adiecticia distinguere ab elementis paganis originariis. Quidquid autem de originalitate singularum formarum earumque partiali christianisatione est, *valor canonicus fratrificationis* sub adspectu iuris ecclesiastici orthodoxorum est valde dubius, quia ab episcopis, propriis Ecclesiae „orthodoxae" legislatoribus competentibus, adoptio in fratrem fieri est vetita, quodsi facta sit, omni vi canonica priva declarata est. Hierarchas istos fuisse Graecos aut illos odio contra ius nationale Slavorum aut studio hellenisationis ductos has prohibitiones tulisse, sub adspectu iuris ecclesiastici nihil refert.

Nostro modesto iudicio neque odium nationale ex parte hierarchiae Graecae neque amor nationis ipsiusque institutorum iuridicorum ex parte cleri Bulgari erat causa diversae praxis acclesiasticae relate ad fratrificationes populares. Adoptio in fratrem non solum apud Bulgaros, sed etiam apud Graecos, Albanenses,

Rumenos (= Vlachos), Serbos imo et apud Turcas uno verbo: apud omnes nationes paeninsulae Balcanicae per totam nostram epocham in usu erant.[785]

Vix credibile est hierarchas Graecos aut clerum Bulgaricum studio quaestionis de origine Germanico-Slavonica (Aria) nostri instituti incubuisse.

Ratio, cur hierarchae Graeci fratrificationem coram foro ecclesiastico non admitterent, in eo erat, quod in omnibus manualibus, quibus utebantur, adoptiones in fratrem sororemque expresse fieri prohibentur; quodsi factae sint, omni valore et canonico et civili ipsas carere declarantur. Ita in Harmenopuli „Hexabiblo" legimus: „In locum fratris vel sororis adoptio pro non facta habetur, neque nuptiis impedimento est, quoniam adoptio naturam imitatur et nemo sibi fratrem generat."[786] — Item in Syntagmate Mathaei Blastaris: „Fraternitas facta per adoptionem legibus repugnat: quippe liberis destituti adoptionem favere non prohibentur bonorum transmittendorum causa. Fraternitatem vero per adoptionem factam nulla ratio probabilis introducit. Iam si quae rationem probabilem habent, ea lex etiam admittit, quae talia non sunt, reiicit"[787] Identico modo sese exprimit Nomocanon Manuelis Malaxi necnon Pedalion, qui fratrificationem appellant vetitam, irritam, reiectam ab ecclesia adoptionem.[788] Sacerdotes et hieromonachi Bulgari e contra, quia ritualibus medioaevalibus utebantur, ubi fratrificatio nedum prohibetur, sed etiam a. D. N. Iesu Christo introducta proclamatur, nunquam desiderio populi sanctificationem vinculi fraternitatis recusabant.

*Defectus consensus parentum:*

Iam in articulo II. praesentis capitis indicavimus omnes differentias, quae intercedunt inter hoc impedimentum, prout viguit in iure Romano, ex quo desumptum est in ius ecclesiasticum orientale, et prout viget in iure consuetudinario Bulgarico.

Secundum textus canonicos nulla quidem apparet differentia relate ad nostrum impedimentum, in quantum Medio aevo vigebat: Defectus consensus patrisfamilias (respective patrisfamilias et patris) vinculum coniugale invalidat, nec ab emancipatis aut maiorennibus et sic porro requiritur.[789] In praxi vero Metropoli-

tae Graeci videntur hac in epocha recusasse vim irritantem nostri impedimenti: Nam bullam nunquam denegarunt, etsiamsi raptus aut fuga praecessisset, et propterea consensus patrisfamilias sponsae defuisset, dummodo de libero consensu utriusque partis constitisset, nec positive consensum parentum in matrimoniis pacifice initis requirere solebant. Sciebant enim populum ipsum absque Ecclesiae interventu nostrum requisitum velle observari;[790] haec autem omissio aequivalet abrogationi legis ecclesiasticae et passiva permissio observationis legis consuetudinariae tacitae canonisationi impedimenti popularis?

Quia etiam tacita canonisatio semper aliquos saltem actus praxeos *positivos* requirit, impedimentum defectus consensus parentum in epocha nostra per desuetudinem ecclesiasticam abrogatum esse mihi potius videtur. In omni casu impedimentum matrimonii certe dirimens dici nequit.

Quodsi Ecclesia nullum proprie dictum impedimentum iuris consuetudinarii canonisaverit, nihilominus multis impedimentis ecclesiasticis aut definitive aut provisore propter contrarias populi consuetudines inradicatas ipsa renuntiare debuit.

Ita vidimus raptum qua impedimentum nunquam in Bulgaria obtinuisse; raptus ad impedimenta officialiter certe abrogata pertinet. Fere certe abrogatum est etiam impedimentum affinitatis ex copula illicita. E contra impedimenta adulterii, quasi-affinitatis et ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis potius quam abrogata, abusive non observata dicenda sunt.

Contra sporadicos abusus quoad impedimenta cognationis in specie hierarchia Graeca in Bulgaria semper sollemniter protestata est. Ita Patriarcha Constantinopolitanus Anthimus die 26. Aprilis a. 1849 speciales synodales litteras circulares ad Bulgaros Dibraenses (in Macedonia) lingua Graeca et Bulgarica conscriptas misit, in quibus christianos ad oboedientiam Metropolitae Dibraensi (tunc temporis D.no Meletio) praestandam obsecrat; quotiescumque de matrimoniis contrahensis agitur, ne sese opponant, si necesse sit episcopo inspicere volenti nomocanonem, ut sciat, agaturne de nuptiis propter necessitudinem prohibitis necne, ut cessent iam execrabiles illae et in nulla alia regione auditae incestae ac nefandae cosanguineorum conviventiae.[791]

Similiter Gregorius V., Patriarcha Constantinopolitanus (aa. 1794/97; 1806/8; 1818/21) inculcavit omnibus episcopis patriarchatus, ut diligentissimam inquisitionem semper de gradibus cognationis prohibitis instituerent, antequam bullam coronationis concederent;[792] item ne ignotas sibi personas coronare permitterent.[793]

## CONCLUSIO

Impedimenta matrimonialia nostrae epochae in sex classes redigi possunt:

I. Impedimenta iuris mere consuetudinarii ab Ecclesia nullatenus recognita:

*Deffectus consensus fratris sororisve maioris natu*

*Cognatio ex lacte*

*Cognatio spiritualis ex nuptiis*

*Impedimentum classium.*

II. Impedimenta iuris consuetudinarii ab Ecclesia dubie canonisata:

*Fratrificatio*

*Defectus consensus parentum* (resp. *consilii zadrugalis).*

III. Impedimenta in ius consuetudinarium ex iure ecclesiastico recepta:

*Diversa religio*

*Polygamia successiva*

*Ligamen ex matrimonio (valido)*

*Affinitas ex digeneia et trigeneia*

*Consanguinitas* (in genere saltem)

*Cognatio spiritualis* (sive ex baptismo, sive ex adoptione eccl.)

Huc etiam quodammodo pertinent impedimenta:

*Ordinis et professionis religiosae.*

IV. Impedimenta iuri ecclesiastico et consuetudinario apparenter communia, i. e. impedimenta, quae diverso modo in utroque iure vigebant:

*Aetas insufficiens*

*Consanguinitas* (in aliquibus tantum regionibus)

*Impotentia.*

V. Impedimenta iuris ecclesiastici a populo abusive non observata, quae tamen Ecclesia „orthodoxa" officialiter saltem non abrogaverat:

*Adulterium* melius *sententia* (vel saltem accusatio) *adulterii*
*Ligamen ex sponsalibus ecclesiasticis*
*Quasi-affinitas ex sponsalibus ecclesiasticis.*

VI. Impedimenta nec in ius consuetudinarium nec in praxim ecclesiasticam recepta; propterea impedimenta, quae tacite abrogata (aut non introducta) censentur:

*Raptus*
*Curatela*
*Tutela*
*Adoptio civilis* (iuris Byzantini)
*Affinitas ex copula illicita*
*Quasi-affinitas ex sponsalibus civilibus* (iuris Byzantini).

Neutrum ius notionem abstractam impedimenti efformavit. Textus vero iuris scripti, quotiescumque de divisione nuptiarum prohibitarum loquuntur, haud obscure indicant impedimentum in iure ecclesiastico sensu stricto sumendum esse; idcirco clandestinitas, tempus luctus, carentia bullae aut aliorum documentorum, tempus clausum, vitia consensus, conditio apposita (virginitas sponsae) et sic porro sunt impedimenta improprie dicta.

Utrumque ius (ecclesiasticum et consuetudinarium) in sua iurisprudentia duplicem impedimentorum divisionem applicavit; distinctionem scilicet inter impedimenta dirimentia et impedientia et aliam inter impedimenta iuris privati et impedimenta iuris publici. Impedimenta iuris privati erant: aetas insufficiens, impotentia et impedimentum classium.

Ius ecclesiasticum praeterea alias divisiones introduxit, nempe: inter impedimenta, quae nuptias nefarias seu illegitimas faciunt; damnatas seu vetitas; incestas seu illicitas; necnon inter impedimenta, quae ex cognatione profluunt et ea, quae ex aliis causis proveniunt. Haec ultima divisio habet quidem momentum practicum, caret vero valore scientifico; illa e contra est theoretica, sed in praxi nullam applicationem habuit.

Ius consuetudinarium dein inter impedimenta regionalia distinguebat (adeti), uti sunt cognatio ex lacte, cognatio ex nuptiis, fratrificatio et impedimenta *nationalia* (zakoni): defectus consensus fratris sororisve natu maioris, defectus consensus parentum, impedimentum classium, consanguinitas.

Quodsi quaeramus, quaenam ex elenchatis impedimentis matrimonium dirimant, quaenam impediant tantummodo, respondendum est:

1. in linea principii impedimenta iuris consuetudinarii per normam positivam stabilita, sunt impedimentia tantummodo; e contra impedimenta iuris ecclesiastici sunt omnia dirimentia;

2. per partialem fusionem utriusque iuris in epocha nostra verificatam principium iuris consuetudinarii evanuit: nam omnia impedimenta ex iure ecclesiastico in populi consuetudines infiltrata sunt dirimentia etiam in conscientia populari. E contra pricipium iuris ecclesiastici in vigore remansit: ad summum impedimentum defectus consensus parentum excipiendum esset, cuius observantia conscientiae populari relicta videtur, quod quippe certe dirimens non potest dici.

De impedimentorum matrimonialium constitutione et cessatione in iure consuetudinario nulla principia generalia constructa sunt: Num aliquod impedimentum regionale esset aut nationale, num vigeret ut consuetudo aut tantummodo ut mera observantia, de hoc ipsa conscientia popularis decidebat, i. e. traditio, iurisprudentia tribunalium popularium. Praxim dispensandi pro impedimentis iuris publici sui propriis populus non noverat, sed contra transgressores, ordinarie saltem, gravissima sanctione procedere solebat: expulsione de gente.

In iure ecclesiastico principia theoretica de impedimentorum matrimonialium constitutione et cessatione eadem remanent, quae durante Medio Aevo vigebant, autonomia in legiferando excepta, quae ab anno 1767 pro tota Bulgaria abrogatur. In praxi vero larga et persaepe revera abusiva praxis dispensandi invexit.

Analysim synopticam historiae evolutionis singulorum impedimentorum modo omittimus, quia necessario illam repetere deberemus in capite IV. partis II. nostrae theseos. Ad complementum partis historico-iuridicae addimus tantum directivas generales

iurisprudentiae matrimonialis Ecclesiae Bulgarorum Unitae inde ab anno 1860 usque ad nostros dies necnon conspectum synopticum historiae iuris matrimonialis in Bulgaria:

A. Notum est aliquas Unitorum Ecclesias tanta elementa Latina recepisse, ut eorum disciplina in paucis tantum a iure Tridentino distingueretur: Quod valet de Ecclesiis, quae vel a saeculis cum cathedra S. Petri unitae sunt (Maronitae, Rutheni, Italo-Alabanenses) vel inter catholicos ritus Latini vivunt (Hungari, Jugoslavi, Italo-Albanenses, Rutheni). Ecclesia Bulgarorum Unita, quamvis neque ad primam neque ad secundam classem pertieneat, nihilominus idem studium spontanee ostendit: „Pour la période 1860—1918" scribit cl. Paskalev, secretarius Exc.mi Administratoris Apostolici Bulgarorum catholicorum ritus orientalis „nos évêques et administrateurs apostoliques ont suivi comme plus précise la législation matrimoniale de l'Eglise Latine en dehors de ce qui concerne quelque point sur la consanguinité et l'affinité. En particulier jamais on n'a permis le mariage de deux frères et de deux soeurs. Pour la période 1918—1936 la même pratique. Il faut ajouter: l'empêchement du mariage devant être célébré coram *parocho* n'a pas existé chez nous. En pratique les „choses odieuses" de la législation latine ont été rejetées et tout ce qui est favorable et qui ne fait pas un trop grand contraste avec les moeurs du pays et ne provoque pas le scandale et l'étonnement comme serait le cas de deux frères épousant deux soeurs, on n'a pas eu de scrupule à le prendre chez les latins."[794]

In quantum vero in archivo Ecclesiae Bulgarae Unitae iurisprudentiam matrimonialem verificare potuimus, inde ab initio disciplina latina invaluisse non videtur. Ita die 10. Maii a. 1870 refert Visitator Apostolicus Romam: „Il serait aussi de la plus grande nécessité d'avoir un recueil plus ou moins complet des canons de l'Eglise Orientale. Il est vrai qu'aujourd'hui les anciens canons sont fort peu suivis et chaque évêge tout en respectant certaines traditions conservées par l'usage n'observe à proprement parler que ce que bon lui semble. Mgr. Raphaël Popoff (Episcopus Bulgarorum Unitorum inter aa. 1865—1876) avant sa conversion a été pendant plusieurs années le diacre d'un évêque

grec schismatique et il a quelque peu conservé sa manière d'agir, et l'arbitraire, l'impression du moment sont parfois les seules règles canoniques qu'il suive. Ce n'est pas par mauvaise volonté. Si je suis prévenu à temps et que je puisse l'avertir que l'acte qu'il se propose est peu conforme aux lois ecclésiastiques je suis quelquefois écouté, mais le plus souvent je reçois la réponse: Cela se fait ainsi chez nous; et à cette réponse je ne puis rien répliquer."[795] Et die 27. Septembris a. 1872 renuntiatum est: „On n'a guère à craindre qu'on se marie entre parents à un degré prohibé; dans ce rapport la discipline est plus sévère que chez nous et les Bulgares se montrent généralemont très rigoureux."[796]

Quia denique adhuc die 17. Februarii a. 1911 in statistica officiali Macedoniae Romam missa[797] tantum sex sacerdotes Bulgari coelibes contra triginta sex presbyteros („popes catholiques") uxoratos enumerantur, et sine instructione (intellige sine instructione catholica in Seminario Zeitenlik) receptio „favorabilium legum" iuris canonici Latini in disciplinam matrimonialem, Ecclesiae Bulgarorum Unitae generaliter saltem usque ad primum bellum Balcanicum impossibilis fuisse videtur.

Etiam in iure populari non statim essentiales mutationes factae sunt. Adhuc anno 1893 refert Bončo N. Boev in suo opere: „Notae de iure matrimoniali (consuetudinario) Bulgarorum" easdem consuetudines apud „orthodoxos" atque apud Bulgaros ad unionem conversos vigere.[798]

Idcirco si de ecclesiastica disciplina matrimoniali Bulgarorum Unitorum agitur, quae mediate tantum principiis fidei et morum superstruitur, quae propterea eadem semper remanere poterat neque unquam in suis eventualibus vicissitudinibus ad imitationem iuris canonici Latini obligata erat:

1. infiltratio elementorum Latinorum non incipit nisi post bella Balcanica vel potius post magnum bellum Europeum et est propter deminutum fidelium numerum et exinde consequentem deminutam casuisticam iurisprudentiae matrimonialis valde lenta et attenuata.

2. illa „latinisatio", impedimentis mixtae religionis et professionis religiosae simplicis exceptis, nulla nova elementa positiva introduxit (uti essent e. g. impedimenta raptus, criminis, quasi-affi-

nitatis ex publico et notorio concubinatu) et in substantia nihil aliud est nisi prudens iuris matrimonialis simplificatio atque eius novis conditionibus adaptatio, quam ceteroquin etiam „orthodoxi" ex parte saltem perfecerunt, inviolabili principio de immutabilitate canonum fundamentalium non obstante.[799]

3. Innovationes Statuti Exarchatus in disciplina matrimoniali „orthodoxorum" Ecclesia Bulgarorum Unita non recepit.[800]

B. Quodsi synthetice millenariam iuris matrimonialis Bulgarorum considerare velimus, semper inter ius populare et ius matrimoniale scriptum distinguendum est. In *prima epocha* (a. 870 — XV saec.) evolutio utriusque iuris parallele, i. e. quasi independenter unum ab altero procedit et dum ius ecclesiasticum (aut in genere ius scriptum, si distinctio inter ius matrimoniale civile et ecclesiasticum viguisset) elegantem subtilitatem nanciscitur, ius matrioniale consuetudinarium, paucis elementis sive christianis sive Turcicis paganis introductis, intactum immutatumque remanet. Causa praecipua huius parallelae relationis utriusque iuris matrimonialis ad invicem erant errores Aevo Medio longe lateque in Bulgaria diffusi, inter quos primum locum Bogomilismus obtinuit.

*In secunda epocha* (a medietate saec. XV a. 1860) processus evolutionis utriusque iuris invertitur. Etenim dum ius ecclesiasticum obtorpescit, imo et involvi incipit, ius matrimoniale consuetudinarium, multis ex propriis archaicis normis retentis, fere omnia elementa christiana superinduxit. Viam ad hanc partialem fusionem utriusque systematis necnon ad iuris consuetudinarii tam characteristici conservationem dominator Ottomanus, licet indirecte stravit.

Brevis initialis fluctuatio inter disciplinam matrimonialem Orientis et Occidentis necnon fusio Bulgarorum Slavorum cum Bulgaris Finnicis nulla probabilissime in utroque iuris matrimonialis systemate vestigia reliquit. Idem dicendum de renovata cum Ecclesia Catholica unione in prima medietate saeculi XIII. (1204/34).

# II. DOGMATICO-IURIDICA

## CAPUT I.

### PRINCIPIA RECONSTRUCTIONIS IURIS MATRIMONIALIS BULGARORUM UNITORUM

In parte prima historico-iuridica impedimenta matrimonialia consideravimus, prout de facto evolvebantur vel involvebantur, quaestione de valore iuridico secundum principia Ecclesiae catholicae omissa. Vidimus matrimonii institutum in tota sua millenaria evolutione ordinatum esse in Bulgária per consuetudines partim canonisatas, partim non receptas ab hierarchia et ex altera parte per canones legesque civiles Byzantinas canonisatas seu per ius scriptum partim observatum, partim in desuetudinem prolapsum vel nunquam in praxim deductum.

§ 1. Inde quaestio prima occurit: Quodnam ex duobus systematibus disciplinae matrimonialis qua tale ab Ecclesia catholica adprobatum sit. Quin recurramus ad argumenta historica, responsio est facillima: *Qua tale adprobatum est ius ecclesiasticum tantummodo.* Nam quodsi „Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos ita, ut inter ipsos nullatenus posset matrimonialis contractus consistere, quin esset eo ipso sacramentum"[1] et quodsi „de sacramento matrimonii statuere et praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam"[2] multo minus supponere possumus Ecclesiam catholicam ad populum Bulgaricum iurisdictionem in matrimonium transtulisse seu in sphaeram iuris positivi evexisse eiusdem ius matrimoniale consuetudinarium qua tale, id est indipendenter et parellele cum iure ecclesiastico. Verum quidem est petitam esse et concessam esse adprobationem „ritus, usuum et consuetudinum",[3] sed hi usus, hae consuetudines eae tantum intelliguntur, quae in praxim ecclesiasticam vel receptae sunt vel recipientur. Contrarium commentarium repugnaret principio seu proposi-

tioni theologice certae: Potestates iurisdictionis in matrimonium baptizatorum competit Ecclesiae exclusive.[4]

§ 2. Cum vero ius ecclesiasticum matrimoniale quod solum qua tale adprobatum est, contineat, uti vidimus, dispositiones quadruplicis generis:

1. dispositiones in praxim ecclesiasticam deductas (sive per consuetudinum popularium canonisationem, sive per iuris ecclesiastici a populo receptionem);

2. dispositiones in praxim ecclesiasticam non deductas, hierarchia officialiter saltem contradicente;

3. dispositiones in praxim ecclesiasticam non deductas, hierarchia etiam officialiter consentiente;

4. dispositiones alio modo in monumentis scriptis, alio modo in praxi ecclesiastica vigentes (e. g. principia de dispensationis oeconomia), quaestio secunda occurrit: quaenam partes disciplinae matrimonialis ecclesiasticae ab Ecclesia catholica adprobatae sint.

Si sollerter tractationes inter Bulgaros uniendos et Sanctam Sedem perlegamus, nullum dubium est, quin dispositiones in praxim ecclesiasticam deductae et data discrepantia inter principia theoretica et iurisprudentiam, quae vocari solet „consuetudines religiosae", etiam illae dispositiones, prout in praxi ecclesiastica (officiali, non abusiva) observarentur, adprobatae sint.

Anno 1859 die 12. Iulii Bulgari ex loco vulgo dicto *Kukuč* in Macedonia (prope Thessalonicam) sequentem petitionem Paulo Brunoni, vicario Constantinopolitano, praesentarunt: „... Postulamus et deprecamur Pium IX., ne mutationem ullam peregat in systemate ecclesiasticarum constitutionum, in administratione sacramentorum, in praxi ecclesiastica nostrae hierarchiae, in lingua liturgica, quae est vetus Bulgarica ... alias dicta Slavonica."[5]

Cui petitioni nullum responsum est datum.

Sed iam anno 1860 die 23. Decembris Bulgari Constantinopoli degentes ad Primatem Armenum Antonium Hassun litteras supplicatorias miserunt, in quibus praeter alia rogant: „L'Eglise romaine a eu de tout temps une sollicitude paternelle pour les chrétiens d'Orient et pour la conservation de leurs cérémonies religieuses, de leurs coutumes, et autres institutions adoptées de

temps immémorial et conservées jusqu' à nos jours. A cet effet nous avons l'assurance qu'en faisant l'union avec la Sainte Eglise romaine, conformément aux décisions du concile oecuménique de Florence, notre liturgie, nos cérémonies et *coutumes religieuses* instituées par les Saints Pères et *conservées religieusement,* ne seront nullement modifiées, mais que, bien au contraire, elles seront respectées *ainsi que notre hierarchie nationale et notre clergé national seuls nous administreront . . .*"[6] Ad quod postulatum Exc.mus Praelatus Armenorum respondit: „. . . votre liturgie, vos rites, cérémonies et *coutumes religieuses* instituées par les SS. Pères et *conservées religieusement jusqú à nos jours* non seulement ne seront pas changées, mais ils seront respectés et ils recevront une nouvelle consécration *ainsi que le proclame le souvrain pontife actuel S. S. le pape Pie IX.* dans son encyclique du 6. Janvier 1848 adressée aux Orientaux."[7] Quia tamen sese minus competentem vidit, totum negotium transmisit ad vicarium Apostolicum Constantinopolitanum Mgr. Paulum Brunoni, in cuius residentia Bulgari 30. Decembris (eiusdem anni) adunati supplicarunt inter alia: „Supplichiamo nella persona di Mgr. Vicario Apostolico il beatissimo Papa di Roma accoglierci nel numero dei suoi figli e *conservarci* tutte le nostre prerogative ed *usi esistenti ab antiquo nella nostra chiesa e nazione.*"[8] Supplicatio scriptis redacta et ad Summum Pontificem Romam transmissa sic se habebat: „Nous soussignés clergé et laiques de la nation Bulgare au nom de nos confrères, nous . . . prions Votre Sainteté de daigner conserver nos rites et *nos coutumes ecclesiastiques, d'après les décisions des saints conciles oecuméniques et surtout celui de Florence . . .*"[9] Ad quam supplicationem S. Pontifex die 24. Ianuarii anno 1861 respondit: „Iam vero iidem dilecti filii Bulgari catholice uniti in . . . obsequentissimis suis ad nos litteris exposuerunt: suis in votis esse, ut sacri legitimique eorum ritus, caeremoniae, liturgiae et hierarchia serventur. Quocirca ipsis, Venerabilis Frater (Paulus Brunoni, Archiepiscopus Taronensis vicarius Apostolicus Patriarchalis Latinorum Constantinopoli) *nostro nomine confirmabis quod eis iam respondit venerabilis Frater Antonius, Archiepiscopus Primas Armeniorum* nos scilicet et omnia praestituturos, quae de hisce rebus per no-

stram encyclicam epistolam die 6. Ian. anno MDCCXLVIII ad Orientales datam clare aperteque diximus et declaravimus."[10] In litteris vero encyclicis de 6. Ianuarii anno 1848 ad Orientales missis declaravit S. Pontifex Pius IX.: „Itaque non aliud vobis imponimus oneris, quam haec necessaria: nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis nobiscum in professione verae fidei, quam Ecclesia Catholica tenet et docet et cum Ecclesia ipsa Supremaque hac Petri Sede communionem servetis. Hinc ad vestros sacros ritus quod attinet reiicienda solummodo erunt, si quae in illos separationis tempore irrepserint, quae eidem fidei et unitati catholicae adversentur: atque his demptis, sartae tectaeque vobis manebunt veteres liturgiae vestrae orientales..."[11] Nullum dubium est, quin S. Pontifex intellexerit per verbum „liturgiae" etiam disciplinam. Ait enim in n. 4 eiusdem epistulae encyclicae: „Ad hanc Sedis Apostolicae rationem erga catholicas Orientalium liturgias plura spectant Romanorum Pontificum Decreta et Constitutiones, quae de illis conservandis latae sunt, inter quas laudare sufficiet litteras Apostolicas Benedicti XIV decessoris nostri, eas praesertim, quorum initium „Allatae sunt" datas die 26. Iulii 1755".[12] Quodsi laudatam bullam Benedicti XIV. „Allatae sunt" consulamus, in qua brevis historia unionis enucleatur, vidimus actum esse semper de approbatione *„Morum"* et rituum aut *„conseubus utimur"* (utebamur)."[13] Uno verbo, videmus actum esse sem*tudinum* et *paternarum traditionum"* vel simpliciter *„rituum qui*per de adprobatione non solum iuris liturgici, sed universae disciplinae eclesiasticae, prout in praxi ecclesiastica momento unionis vigeret.

Item anno 1863 die 17. Februarii Bulgari Sistovienses unionem cum Ecclesia Catholica postulantes petierunt: „Tous les rites et instructions (in originali certe „constitutions" postanovlenija) de notre Eglise Orientale, tels que: la Messe, les sollemnités et *usages et coutumes ecclésiastiques de notre haut et bas clergé,* la manière d'administrer les saints mystères et de donner la communion restent invariables sous tous les rapports: *Comme ils ont été en usage jusqu'à présent, ainsi le seront-ils* à *l'avenir."* Quae postulatio ante adprobationem per additionem, prout sequitur, modificanda erat: *„Sauf les erreurs et abus evidemment intro-*

*duits par le schisme Photien.*"[15] Haec formula sic correcta inserviebat dein qua exemplar ceteris „conversionibus in massa"; ipsa v. g. Bulgari ex pagis Vladilovci, Skačanci, Zarze, Vojnica, Cerkvino in Macedonia utebantur.[16]

Propterea de adprobatione disciplinae matrimonialis ecclesiasticae, quae per praxim ecclesiasticam ultimorum saeculorum ante unionem confirmata est, et quidem prout et in quantum in praxi ecclesiastica viguit, nequit dubitari.

Quid autem de dispositionibus iuris ecclesiastici, quod in praxim non sit deductum, hierarchia officialiter saltem contradicente (uti erant e. g. impedimenta affinitatis aut ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis)? Quid denique de valore canonico dispositionum, quae in praxim hierarchia etiam officialiter consentiente non sunt deductae?

Valor canonicus dispositionum disciplinae matrimonialis, quae in praxim ecclesiasticam non sunt deductae hierarchia dissentiente, aliquatenus dubius est. Si enim adprobatio (conservatio) praxis ecclesiasticae postulata esset, quam hierarchae graeci (Phanariotae) introducere in Bulgariam conabantur, problema evanesceret: absque dubio enim voluntas cleri, non abusus populi praevaleret. Sed Bulgari semper adprobationem usuum ac consuetudinum hierarchiae Bulgaricae flagitarunt, de cuius voluntate quoad praedictas, abusive secundum clerum Graecum non observatas dispositiones non constat tum propter exiguam tunc temporis in iure orientali ecclesiastico eruditionem, si de clero inferiore loqui volumus, tum propter fere exclusivam hierarchiae Phanarioticae usque ad a. 1860 in Bulgaria dominationem. Ad summum iurisprudentia matrimonialis ecclesiae Bulgarae Unitae voluntatem seu intentionem cleri Bulgarici in re hac pandere potuisset, attamen ne illa quidem quaestionem nostram peremptorie solvit, uti suo loco videbimus.

Dispositiones in praxim non deductae, hierarchia consentiente, seu dispositiones, quae tantummodo in archaicis monumentis iuris scripti extant, (uti sunt v. g. impedimenta raptus, curatelae, tutelae, etc.), certe nullum valorem canonicum vi unionis acquisierunt. Nam iam ante unionem valor canonicus illarum usualis tantummodo erat seu ab eventuali legitima consuetudine vel de-

suetudine dependebat nec momento unionis adprobatio illarum postulata aut concessa est. Si enim legislationem scriptam matrimonialem inde ab anno 870 usque ad novissimam unionem in Bulgaria cognitiam recensemus, videmus illam compositam esse ex elementis, prout sequitur:

1. Ex canonibus (qui dicuntur quandoque fundamentales) Conciliorum Oecumenicorum et pseudo-oecumenicorum, conciliorum topicorum, SS. Patrum canonicorum qui dicuntur necnon ex canonibus pseudo-apostolicis.

2. Ex decisionibus synodalibus Patriarcharum Constantinopolitanorum.

3. Ex legibus Byzantinis civilibus.

4. Ex decisionibus aliorum hierarcharum non Bulgaricorum quandoque receptis in praxi ecclesiastica hierarchiae, quae ecclesiastice Bulgaros administrabat.

5. Ex sententiis doctrinalibus interpretum Byzantinorum.

Exceptis canonibus Conciliorum revera oecumenicorum a Romanis Pontificibus adprobatis, ex quibus ad nostram materiam tantummodo canones 14 et 16 Chalcedonenses pertinent, qui religiose semper in Bulgaria observabantur, omnia cetera elementa iuris scripti obtinere poterant qua leges (scriptae) in Bulgaria aut per actum iurisdictionis legislativae Summi Pontificis aut per actum iurisdictionis legislativae hierarchiae, ad quam de iure administratio eclesiastica Bulgariae spectabat. Attamen nec SS. Pontifices nec hierarchia ecclesiastice de iure Bulgaros administrans nullum unquam ex supraindicatis elementis ut legem scriptam promulgavit. Paucae exceptiones, quae fortasse[17] opponi possunt, i. e. dispositiones, quae qua leges promulgatae videntur, in desuetudinem non sunt prolapsae. Proinde si qua ex supradictis „legibus" in Bulgaria obtinuerat, vi legitimae consuetudinis tantummodo obtinuit.[18]

*Probatio.*

1. **Summi Pontifices:** Notum est Bulgaros a. 870 definitive a disciplina matrimoniali Ecclesiae Latinae defecisse. Hic tamen transitus a Romanis Pantificibus non est statim sanctionatus. Adhuc anno 882 Papa Ioannes VII. regem Bulgarorum Michaelem

seu Borisium hortatur, ut ad fidem et oboedientiam Romanae Ecclesiae redeat et legatos mittat.[19] Ex decem epistulis ad eum missis[20] clarum est actum esse de reditu ad Ecclesiam Romanam non qua catholicam, a qua Borisius non defecerat,[21] sed qua Latinam! Patet igitur Ecclesiam Bulgaricam ex voluntate S. Pontificum usque ad annum 882 saltem disciplina matrimoniali Ecclesiae Latinae regi debuisse. Quomodo Joannis VII. in Petri Cathedra successores de Bulgarorum defectione a Patriarchatu Romano (non a Pontifice Romano) senserint, non constat.

Adest quidem probabilis praesumptio: anno circiter 926 una cum archiepiscopia Achridensi (Prěslaviensi) probabiliter tantum a S. Pontifice Joanne X erecta[22] adprobatam esse etiam disciplinam (matrimonialem) Byzantino-Slavonicam, at cum quibusnam limitibus et clausulis determinare non possumus.

Vix unquam supponere licet adprobatum esse Nomocanonem aut aliam collectionem disciplinae ecclesiasticae qua talem, seu independenter a praxi ecclesiastica:[23] Nam adhuc a. 1881 die 30. Aprilis S. Congregatio de Propaganda Fide ad metropolitam Alba-Juliensem Rumenorum Unitorum rescriptit: „licet canones nonnulli synodorum orientalium usu ac consuetudine rati probatique fuerint, attamen codicem proprie dictum canonum nullum hucusque fuisse a Sede Apostolica approbatum. Et propterea canones disciplinam Ecclesiae universalis spectantes, etiam Patrum orientalium schismate vetustiorum per sese maiori non pollere auctoritate, quam singuli Patres merentur; non posse autem undequaque affirmari ipsos legum ecclesiasticarum proprio et rigoroso sensu sumptarum vi pollere."[24] Hoc rescriptum est conclusio exacta historico-iuridici examinis de valore canonico „Codicis qui dicitur Iuris ecclesiastici Orientalium" (canonum fundamentalium).

Exinde a probabiliter praesumpta adprobatione disciplinae (matrimonialis) Byzantino-Slavonicae usque ad a. 1204, quo unio cum Bulgaris renovata est, Summi Pontifices nihil de eorundem „legislatione" scripta caverunt. Imo etiam post annum 1204 non statim disciplina ecclesiastica, prout saeculo XIII in Bulgaria vigebat, adprobata est, sed Papa Innocentius III. tres successive legatos misit: nempe Dominicum de Brindisi, archipresbyte-

rum ritus Italo-Graeci, Joannem cappellanum et denique Leonem a S. Cruce cardinalem unumquemque cum mandato „ut in tota terra quoad spiritualia corrigant, quae corrigenda cognoverint, et statuant, quae secundum Deum fuerint statuenda"[25] Quodsi pro saeculis ante schisma probabiles tantum praesumptiones possideamus adprobatam esse disciplinam Byzantino-Slavonicam, in hac periodo non iam inductio, sed positiva documenta de Pontificia ratihabitione transitus a disciplina ecclesiastica Latinorum ad illam Byzantinam testificantur. In chrysobullo enim, quo rex Bulgariae et Blaciae Joannicius seu Colojoannes imperium suum Ecclesiae Romanae subiicit, praeter alia legimus „Ecclesiae enim omnes totius imperii mei et tenimenti et patriarcha meus metropolitanus, episcopi, archiepiscopi et cuncti sacerdotes: Romanae subsint Ecclesiae et *teneant legem* (nomine „legis" intelligitur tunc temporis *religio, fides, dogma = zakon)*[26] *et consuetudinem et observationem* (alia versio obsecutionem) *quas tenuerunt beatae memoriae imperatores totius Bulgariae et Blaciae,* prisci illi nostri praedecessores, et nos eodem modo vestigia eorundem imitantes..."[27] Quia Rex Colojoannes numero plurali utitur „consuetudinem . . . quam (quas) tenuerunt . . . imperatores totius Bulgariae" patet ipsum de disciplina ecclesiastica Byzantino-Slavonica, non Latina loqui voluisse. Similiter Papa Innocentius III. reformas disciplinae sacramentalis ordinatas verbis iam allatis iustificat „volumus autem (ut presbyteri et pontifices ungantur) non tam ritum nostrum, quam mandatum divinum sectantes".[28] Quae agendi ratio plene cum sollemni declaratione eiusdem Pontificis in Concilio Lateranensi IV concordat: Licet Graecos in diebus nostris ad oboedientiam Sedis Apostolicae revertentes fovere et honorare velimus, *mores* ac *ritus* in quantum in Domino possumus *sustinentes,* in his tamen, quae periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati, deferre nec volumus nec debemus".[29] Attamen totum negotium adprobationis disciplinae ecclesiasticae Byzantino-Slavonicae Bulgarorum, in quantum ex documentis conservatis cognosci potest, erat potius in statu fieri. De positiva approbatione aut promulgatione alicuius legis scriptae matrimonialis ne unum verbum quidem in numerosis epistulis inter S. Se-

dem et secundum imperium Bulgaricum hisce in decennis (1204-1234) utrimque missis. Priusquam disciplina (matrimonialis) Bulgarorum ecclesiastica definitivam et praecisam adprobationem Pontificiam adquirere potuit, Bulgari sua sponte a Sede Apostolica denuo se separarunt.

Multo minus in conciliis Lugdunensi et Florentino, quibus etiam repraesentantes Ecclesiae Bulgaricae subscripserant,[30] actum est de approbatione legum scriptarum Ecclesiarum Orientalium, sed more solito admissa est clausula „ne in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma, qui scilicet non sunt contrarii contra supradictam fidem nec contra divina praecepta, aliquid immutetur.[31]

Usque ad a. 1860 nulla alia occasio sese praesentavit,[32] promulgandi aliquam legem pontificiam (matrimonialem) in Bulgaria aut attribuendi valorem legalem consuetudinibus ecclesiasticis.

2. *Hierarchia ad quam de iure* administratio ecclesiastica Bulgarorum spectabat saltem usque ad annum 882 certe non erat hierarchia Graeca, quae missionaris Latinis expulsis terram missionis occupaverat. Graeci enim missionarii a Papa Joanne VIII. „invasores" appellantur.[33]

Item nihil probat Supremos Pontifices potestatem superepiscopalem Patriarchis Constantinopolitanis in hierarchas Bulgariae unquam concessisse.[34] Quorum idcirco decisiones synodales, inter quas haud paucae nostram materiam tangunt, tunc tantum ut leges scriptae ecclesiasticae obtinere poterant, quotiescumque qua tales ab hierarchis Bulgariae legitimis denuo sufficienter promulgatae sunt: De facto metropolita Philippopolitanus tomo Patriarchae Sisinnii die 21. Februarii a. 996 subscripsit, in quo impedimentum affinitatis stabilitur inter duos fratres et duas consobrinas (aut duas sorores et duos consobrinos);[35] porro metropolita Sillistrensis (*Δρίστης* synodali decisioni Patriarchae Lucae Chrysobergae die 11. Aprilis a. 1166 de impedimento consanguinitatis septimi gradus,[36] denique metropolita Varnaensis tomo synodali Patriarchae Antonii IV. mense Februario, anno 1389, in quo sponsalia declarantur nullam consequentiam canonicam secumferre, nisi a sacerdote benedicantur.[37] Reliquae pro-

mulgationes synodalium decisionum Patriarcharum Constantinopoleos factae per hierarchas Bulgariae verificari non possunt. Verum quidem est metropolitas Bulgariae plurimis litteris synodalibus subscripsisse, in quibus tamen nova lex matrimonialis non promulgatur,[38] sed existentes, quae supponuntur promulgatae, in mentem revocantur. Neque est necesse, ut valorem canonicum trium illarum decisionum apparenter promulgatarum per aliquos Bulgariae hierarchas, discutiamus, quarum enim nulla (paucis abusibus exceptis, uti vidimus) ad dispositiones in desuetudines prolapsas pertinet. Ergo omnes reliquae usu ac consuetudine ratae probataeque fuerunt.

Quoad canones, qui dicuntur fundamentales, hierarchia Byzantino-Slavonica seu discipuli s. Methodii eorumque successores, qui saltem a fundatione archiepiscopiae Preslaviensis (Achridanae) legitime Ecclesiam Bulgaricam administrasse praesupponuntur, eodem modo atque hierarchia Graeca, quae tardius administrationem Bulgariae ecclesiasticam „hereditaverat", opinabantur quidem hos canones valorem legum ecclesiasticarum universalium habere,[39] opinio tamen promulgationis ipsi promulgationi nunquam aequivalere potest. Ergo etiam canones, qui dicuntur fundamentales, illis Chalcedonensibus exceptis (in quantum ad nostram materiam) nonnisi usu ac consuetudine rati probatique haberi possunt, servatis de iure servandis, id est sacris tectisque clausulis, de quibus statim.

Clarum est etiam nec leges Byzantinas civiles nec decisiones hierarcharum non Bulgaricorum nec sententias doctrinales interpretum Byzantinorum valorem legalem obtinere potuisse, nisi a hierarchis Bulgariae legitimis tanquam leges promulgatae essent.[40] Quod non est factum: de facto enim, ut vidimus, nonnisi tacite, paulatim per praxim ecclestiasticam aliquae tantum ex hisce elementis obtinere coeperunt.

Propterea canonibus 14 et 16 concilii Chalcedonensis exceptis, qui canones religiose in Bulgaria observabantur (saltem ultimis saeculis ante Unionem) nulla certa lex ecclesiastica matrimonialis heic vigebat, sed omnes normae disciplinae matrimonialis per consuetudines introductae sunt: ecclesiasticas (ante schisma), per consuetudines simpliciter religiosas (post schisma) *nec in*

*clausulis novissimae unionis petita est,* uti vidimus, *conservatio „iuris" scripti mere theoretici.* Consequenter dispositiones matrimoniales eiusmodi nullum valorem canonicum vi unionis adquisierunt.

*§ 3.* Restat tertium in concreto quandoque intricatissimum problema solvendum, scilicet quaestio de *clausulis,* cum quibus partes disciplinae matrimonialis ecclesiasticae Bulgarorum sive dubie sive certe receptae in ius canonicum proprie dictum adprobatae sunt. Ipse S. Pontifex Pius IX. in memoratis litteris encyclicis[41] indirecte nos admonet, ut clausulae illae methodo historico-iuridica examinentur.

In tota historia unionis clausulae adprobationi disciplinae ecclesiae orientalis appositae duplicis generis erant; aliae negativae (correctivae) aliae positivae (suppletivae) et termini, quibus (usque ad novissimum Codicem Ecclesiae Latinae can. 1 inclusive) excellebant maxima solemnitate ac prudenti indeterminatione,[42] synthetice exprimi possunt: Disciplina Ecclesiarum orientalium, consequenter etiam disciplina matrimonialis Bulgarorum retineri potest:

1. salvo iure divino sive naturali sive positivo, quod sensu latiore sumendum est et in conflictu cum norma iuris positivi, etiam si dubia dispositio iuris divini esset, semper praevalet. Ius divinum sensu latiore sumendum esse diximus: quatenus scilicet normas contineret, quae aliqua ratione ad ius divinum reducerentur atque in ceteris doctrinam Ecclesiae (licet gradum definitionis dogmaticae non assecutae essent), non proprie disciplinam respicerent;[43]

2. salvis aut additis dispositionibus legislativis aut iurisprudentialibus Summi Pontificis competentiumque in Orientales dicasteriorum Curiae Romanae, quotiescumque Orientales vel expresse vel aequivalenter in ipsis comprehenduntur. Aequivalenter seu implicite Orientales in legibus (aut instructionibus, decretis) Pontificiis comprehendi dicuntur, „ubi materia ipsa id demonstrat, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius divinum et naturale declaraur"[44] aut ubi lex fine suo frustraretur, nisi et Orientales comprehenderentur.[45] In conflictu normae disciplinae ecclesiasticae orientalis cum lege pontificia, si utraque est mere

ecclesiastica et haec (pontificia) insuper dubia: norma iuris ecclesiastici praevalet, nam omnis correctio iuris est odiosa.

*Conclusio:* Principia reconstructionis iuris matrimonialis Bulgarorum Unitorum sunt:

Consuetudines mere populares seu in praxim ecclesiasticam neque ante neque post unionem receptae sive de singulis impedimentis sive de aliquo principio generali agitur, nullum valorem canonicum habent.

In iure scripto primo *praxis ecclesiastica* respicienda est, melius consuetudines religiosae ultimorum saeculorum ante Unionem a. 1860; secundo normae matrimoniales quas clerus Bulgaricus introducere voluit; nunquam vero „leges" hierarchia consentiente in praxim non deductae.

Etiam in conflictu inter principium aut legem impedimenti theoreticam et praxim eccl. non abusivam haec non vero illud, postquam S. Sedis adprobationem nacta est, vim iuris obtinet.

Adprobatio praxis matr. eccl. semper concessa ad normam clausularum consuetarum intelligitur, i. e. salvo iure divino-sensu latiore sumpto-necnon dispositionibus Pont., in quibus Orientales in genere aut Bulgari ritus Orient. in specie expresse vel aequivalenter comprehenduntur.

Patet iurisprudentiam matrimonialem post Unionem modo sedecim lustra attingentem aliquas mutationes introducere potuisse.

## CAPUT II.

### IMPEDIMENTORUM MATRIMONIALIUM NOTIO, DIVISIONES, ELENCHUS

§ *1. NOTIO:* Quia Ecclesiae Byzantinae in maiore proportione quam Ecclesia Latina omnem fere theoriam iuris atque constructiones iuridicas abstractiores e iure Romano ac Byzantino civili hauserant, ius vero Romanum vel Byzantinum nunquam impedimenti matrimonialis definitionem vel terminum efformavit, patet ratio, cur in fontibus Ecclesiae Byzantinae nonnisi tardius terminus technicus „impedimentum" (ἡ κωλύμη, ἡ ἐπιτρόπη) idque

semper sporadice occurat. Pro prima vice illo Partiarcha Constantinopolitanus Joannes VIII Xiphilinus[46] saeculo XI (a. 1063/1075) usus est. Collectiones Ecclesiarum Byzantinarum quam plurimum concrete loquuntur: de matrimoniis damnatis, incestis, illegitimis.

Propterea pro iuris scientia libera patet via efformandi notionem et definitionem impedimenti matrimonialis vel sensu stricto vel sensu lato, prout etiam apud canonistas Latinos ante novissimum Codicem promulgatum fieri solebat. Strictiore sensu impedimentum matrimoniale definiri potest: *Qualitas personae, quae ex lege vel consuetudine prohibet vel irritat matrimonium ipsum.* Sensu latiore autem: *„Quaelibet conditio, quae arcet a nuptiis sive licite sive valide contrahendis"* ita, ut praeter iuridicos actus praeparatorios, sponsalia sc., examen, instructionem resp. et banna) comprehendat etiam omnes consensus ac formae substantialis defectus necnon de tempore ac loco matrimonii celebrandi praescriptiones.

In nostra thesi termino „impedimentum" sensu strictiore *tum ex ratione theoretica* (nam sicut quaelibet conditio vel legalis praescriptio ad ordines rite recipiendos nullatenus irregularitas vocari potest, sed eae tantum qualitates personales et ea tantum facta, quae in perpetuum ex lege ab ordinibus rite suscipiendis arcent, irregularitates vocantur, ita etiam in iure matrimoniali quoad impedimenta) *tum ex ratione practica* utimur (secus enim dissertatio nostra tractatui de universo iure matrimoniali Bulgarorum illogice diviso aequivaleret).

Aliqui[47] requisita ab impedimentis distinguunt (Ehefordernisse und Ehehindernisse). Nomine requisitorum eas conditiones designant, quas matrimonium ex sua intrinseca natura expostulat: uti sunt consensus rite praestitus, aetas ad ipsum praestandum necessaria, potentia ad actus per se ad prolis generationem aptos, per impedimenta autem inhabilitates sponsorum a iure positivo stabilitas intelligunt. Quae distinctio inutilis dici nequit, cum partim sit subdivisio impedimentorum matrimonialium prope dictorum, partim autem impedimenta proprie dicta cum aliis conditionibus validi matrimonii comprehendat, quam in hac parte plane omittimus.

*§ 2. DIVISIONES:* Cardinalis impedimentorum matrimonialium divisio in ipsa impedimenti definitione innuitur: divisio scilicet inter impedimenta liceitatis seu impedimentia et impedimenta validitatis seu dirimentia. Criteria dignoscendi ad quamnam classem aliquod impedimentum iuris matrimonialis Bulgarorum Unitorum pertineat, tria dari possunt: *dogmaticum, historicum et iurisprudentiale.*

Primo enim querendum est, num impedimentum a iure divino naturali vel positivo non proveniat. Cum haec impedimenta omnia consectaria necessaria sint vel ipsius essentiae matrimonii vel eiusdem finis principalis aut essentialium qualitatum, eadem esse dirimentia patet: suntque in concreto impedimentum aetatis in quantum dicit conditionem sine qua non sufficientis usus rationis ad consensum matrimonialem rite praestandum, impedimentum impotentiae, impedimentum consanguinitatis saltem in linea recta primi gradus; impedimentum ligaminis.

Secundo quaerendum, num inter impedimenta praxis ecclesiasticae ante unionem aliqua non irrepserint, quae cum iure divino naturali aut positivo pugnant: quippe quae scilicet absoluta et dirimentia cum sint, ius personalitatis naturali uniuscuiusque hominis insitum legitimas ineundi nuptias tollere attentant. Huiusmodi impedimenta sunt polygamia successiva et ligamen ex sponsalibus ecclesiastitis, in quantum ad validitatem nuptiarum praescribuntur: „Ius coniugii naturale et primigenum homini adimere causamque nuptiarum praecipuam Dei auctoritate initio constitutam quoquo modo circumscribere *lex hominum nulla potest:* Crescite et multiplicamini (Gen. I, 28)".[48] Quae verba ex litteris encyclicis Leonis XIII. *Rerum novarum* diei 15. Maii 1891 desumptae de *absoluta* prohibitione matrimonii pro *innocentibus* statuta valent. Malefactores enim ab auctoritate competente in poenam gravissimi delicti a matrimonio excludi possunt, sicut etiam vita privari queunt. Qua de causa impedimentum adulterii, melius sententiae condemnantis ex adulterio, quod secundum collectiones iuris scripti est pro muliere perpetuum, absolutum et dirimens, iuri divino non adversatur.[49]

En criterium dogmaticum!

Iuxta criterium historicum quaerundum est: ex quonam iuris

systemate impedimentum aliquod matrimoniale in disciplinam ecclesiaticam Bulgarorum Unitorum introductum sit.

Quotiescumque enim de impedimento ex iure matrimoniali Ecclesiae Latinae recepto agitur, uti sunt impedimenta mixtae religionis et professionis religiosae simplicis, retinet aut retinere praesumitur eandem efficaciam canonicam ac in Ecclesia Latina.

Quotiescumque aliquod impedimentum iure consuetudinario positivo stabilitum et in praxi ecclesiastica canonisatum est, impediens tantum est; quod tamen de ipmedimentis popularibus originis exclusive nationalis valet, uti sunt impedimenta defectus consensus fratris sororisve maioris natu aut defectus consensus parentum vel illud classium, ex quibus omnibus, uti vidimus tantummodo impedimentum defectus consensus parentum (resp. consilii zadrgalis) dubie est canonisatum. Impedimenta enim popularia, quae aut ex aliis systematibus, uti plurimum ex disciplina ecclesiastica sunt recepta aut sub indirecto influxu iuris nationalis a clero introduca, uti erat impedimentum fratrificationis, item dubie canonisatum, saepissime, ne dicam semper, characterem inhabilitandi personas ad matrimonium valide ineundum retinent.

Denique quotiescumque de impedimento mutuato seu ex praxi ecclesiastica Unionem antecedente conservato agitur, pleno iure praesumendum est dirimens matrimonium, impedimento defectus consensus parentum excepto, ut diximus.

En criterium historicum!

Quod criterium historicum solum valorem definitivum adquirit, si per criterium iurisprudentiae non eliminatur. Iurisprudentia autem duplex est distinguenda: Sanctae Sedis, resp. dicasteriorum Curiae Romanae competentium in matrimonia fidelium ritus orientalis[50] et iurisprudentia ipsius Ecclesiae Bulgaricae Unitae, salva semper inde ab initio competentia S. Officii in materia fidei et morum.[51]

Iurisprudentia omnium horum Dicasteriorum quam religiosissime observare conata est, genuinam disciplinam Orientalem, ita ut Pius Pp. IX iure meritoque scribere potuerit: „Quodsi Orientales ritus alicuius arbitrio aliquando immutati fuerint, id numquam apostolicae Sedi est tribuendum."[52] Haud raro enim S. C. de Prop. Fide aut ipsi Summi Pontifices praeceperunt, ut Uniti

ad magis odiosas normas matrimoniales proprias redirent[53] et ex altera parte receptiones legum Latinis propriarum irritas declarare solebant.[54]

Quia vero disciplina matrimonialis Orientalium aliquas dispositiones continebat, quae cum ipso iure naturali pugnare videbantur, (uti erant impedimenta: polygamiae successivae et defectus consensus parentum: in aliquibus ecclesiis ad validitatem nuptiarum requisita) „S. Officium primum impedimentum, scil. polygamiam successivam per suam iurisprudentiam omnino abrogavit, secundum tantum ad liceitatem praescribi posse decidit.[55] Utramque normam iurisprudentialem etiam Bulgaros Unitos tenere negari nequit.

Dein in iurisprudentia Ecclesiae Bulgarorum Unitae non reperitur tendentia extenuandi impedimenta prius dirimentia in impedientia, sed eliminandi prorsus impedimenta, quae in iure Ecclesiae Latinae ignorantur, in quantum tamen hoc populi mores ferunt. Impedimentum mixtae religionis in illa ut mere impediens apparet.[56]

Ex reliquis impedimentorum matrimonialium distinctionibus aut in praxi ecclesiastica ante Unionem usitatis aut in monumentis iuris scripti conservatis duae certe ut unutiles omitti possunt: scil. divisio inter impedimenta quae ex relationibus cognationis proveniunt et illa quae extra huiusmodi relationes ab Ecclesiae constituta sunt necnon archaica illa distinctio a iure Romano et Byzantino civili mutuata inter impedimenta, quorum inobservantia nuptias vel damnatas vel incestas, vel illegitimas facit.

Alia divisio magni momenti inter impedimenta iuris publici et impedimenta iuris privati recipi quidem potest, dummodo corrigatur. Distinctio enim haec ab „orthodoxis" in disciplina matrimoniali ante Unionem perperam interpretata est: scilicet ita ut impedimentum iuris publici illud diceretur, cuius effectus auctoritas competens ex officio urgere tenetur, impedimentum dein iuris privati illud, quod tantum a coniugibus accusari potest, nisi *iuri suo renuntiare velint.* Attamen impedimenta iuris privati comprehendenbant quandoque illa, quae ipso iure naturae dirimunt matrimonium, uti impedimentum impotentiae, ad cuius accusationem propterea uterque coniux in conscientia tenebatur.

Praeterea si de impedimentis dirimentibus iuris mere ecclesiastici agitur, quae tractu temporis absque ullo publicae auctoritatis interventu sanantur (impedimentum aetatis), coniuges putativi in intervallo, quo matrimonium nondum sanatum est, suo iure nequeunt actionem promovendae nullitatis renuntiare, nisi removeant periculum incontinentiae. Melius igitur interpretatur nostra distinctio ut divisio inter impedimenta actionis publicae et impedimenta actionis privatae atque ita interpretata pro parte cum divisione concordat, de qua in Codice iuris Canonici Latini inter impedimenta publica et occulta.[57]

Quia ex duobus impedimentis matrimonialibus iuris popularis dubie canonisatis unum pertinet ad *zakoni* seu ad consuetudines iuris generales (nationales), aliud pertinet ad *adeti* seu ad consuetudines iuris particulares (locales), etiam haec distinctio recipienda est ita vero, ut impedimento regionali (fratrificatione, theoretice!) tantummodo incolae et vagi matrimonium contrahentes in loco originis, in quo pro alterutro coniugum illud viget, teneantur. In iure enim Bulgarorum nationali consuetudines locales ut normae iuridicae territoriales simul ac gentilitiae (non personales) concipiebantur et qua tales, modo canonisatae sunt, (!) praesupponuntur in praxim ecclesiasticam receptae.

Ex distinctionibus iuris matrimonialis Latinorum, quod iure suppletorio pro Orientalibus fungitur, recipi possunt divisiones inter impedimenta: absoluta et relativa (ratione ambitus); temporanea et perpetua (ratione durationis); certa et dubia (ratione obiectivae certitudinis); dispensabilia et indispensabilia (ratione cessationis).

Pro impedimentis dubiis, si de dubio iuris agatur, eadem principia reflexa valent atque in iure Ecclesiae Latinae.

In dubio iuris lex impedimenti mere eccl. non urget.[58]

Consequenter in dubio de valore matrimonii ratione alicuius impedimenti dubie existentis exorto standum est pro valore matrimonii, donec centrarium probetur.[59]

Impedimentum ligaminis proveniens ex matrimonio baptizati cum non baptizato excipitur, nam in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.[60]

Impedimenta indispensabilia sunt aut iuris divini aut iuris ec-

clesiastici. Iuxta disciplinam ecclesiae Latinae in impedimentis ordinis presbyteratus et episcopatus necnon affinitatis in linea recta matrimonio consummato nunquam dispensatur.[61] In disciplina „orthodoxorum" hucusque viget et usque ad Unionem vigebat principium theoreticum: impedimenta in canonibus fundamentalibus stabilita esse indispensabilia, itemque a ceteris impedimentis dispensari nequit, nisi relaxatio legis in ipsa praevideatur aut per aliam legem concedatur. In praxi vero, ultimis saltem saeculis ante Unionem, hoc principium mutatur in aliud, quod exprimi potest: impedimenta iuris ecclesiastici in conscientia populari inradicata, sunt indispensabilia. Ad quaestionem dein, quodnam ex hisce principiis in iure matrimoniali Bulgarorum Unitorum valeat, respondemus:

Independenter a conscientia populari Bulgarorum et a canonibus fundamentalibus impedimenta ordinis presbyteratus aut episcopatus et affinitatis lineae rectae matrimonio consummato indispensabilia consideranda sunt. Contraria enim praxis „derogaret absque dubio ecclesiasticae honestati".

Principium theoreticum „orthodoxorum" de oeconomia dispensationis certe nullum valorem canonicum habet, primo quia canones, ex quibus eruitur, nonnisi usu ac consuetudine obtinuerunt, usus vero et consuetudo principium hoc negaverit, secundo quia in systemati synodali fundatur, quod utique retineri nequit, utpote „ipsam unionem excludens".

Principium denique in praxi receptum, iuxta quod impedimenta iuris ecclesiastici in conscientia populi inradicata relaxari nequeunt, certe retinendum est non solum ex ratione iuridica, ne videlicet in „ritibus sacris et legitimis", quibus Bulgari utuntur, aliquod immutetur, sed etiam ex ratione theologica propter scandalum evitandum. Ita elenchus impedimenorum indispensabilium de provincia ad provinciam variat, quandoque de pago ad pagum aut de oppido ad oppidum, de tempore ad tempus, sed in omni casu est uberior quam in jure canonico Latinorum.

Ex qua ratione subdivisio impedimentorum dispensabilium in illa gradus minoris et alia gradus maioris, prout saltem in Codice Iuris Canonici Latini traditur, in disciplina matrimonali nostrae Ecclesiae recipi nequit.

Distinctio tamen inter impedimenta publica et occulta propter competentiam S. Poenitentiariae in Orientales recipienda est.[62]

*§ 3. ELENCHUS* impedimentorum matrimonialium conficiendus est ex illo, quem in conclusione capitis IV. partis I. sectionis II. nostrae dissertationis dedimus, principiis reconstructionis iuris matrimonialis Bulgarorum Unitorum adhibitis additisque impedimentis ex iure Latinorum introductis. Secundum quae criteria certe eliminanda sunt: impedimentum polygamiae successivae ex decisionibus S. Officii abrogatum,[63] impedimentum ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis, tantum quatenus dirimere matrimonium contrahendum vellet, porro impedimenta: cognationis ex lacte, cognationis spiritualis ex nuptiis, classium, defectus consensus fratris sororisve natu maioris, utpote mere popularia neque unquam canonisata; item impedimenta raptus, curatelae, tutelae, adoptionis civilis, quasi-affinitatis ex copula illicita et ex sponsalibus civilibus (sensu veteris iuris Byzantini civilis) ut impedimenta mere civilia aut theoretice dubia et in praxim ecclesiasticam Bulgariae non recepta.

Impedimenta fratrificationis et defectus consensus parentum, quae dubia in disciplina matrimoniali ante Unionem erant, magis adhuc post ipsam dubia facta sunt: Quamvis enim matrimonia contra voluntatem parentum saepissime contracta sint,[64] nunquam, ne una vice quidem, dispensatio ab impedimento defectus consensus parentum petita est, neque Episcopi aut Administratores Apostolici Bulgarorum nec ipsa Sancta Sedes contra hanc praxim protestata est. Dein fratrificatio ecclesiastica mox post Unionem ex usu venit, ita ut occasio deesset, quae monstrare posset intentionem cleri Bulgarici hoc impedimentum apparenter canonisatum conservandi. In archivis Ecclesiae Bulgarorum Unitae ne unus quidem casus fratrificationis reperitur. Ex eadem ratione, nempe propter absentiam fundamenti, ex quo impedimentum oriretur, impedimentum adulterii dubium remansit, quod vel sententiam condemnatoriam vel saltem accusationem ex adulterio praesupponit, necnon impedimenta quasi-affinitatis, et ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis, quae in quaestionem tunc solum veniunt, si sponsalia ecclesiastica separatim a matrimonio celebrantur, quae praxis tamen, saltem ab anno 1897

derelicta est. Ad impedimenta dubia etiam impedimentum affinitatis ex tribus generibus adnumerandum est, nam relative pauco numero Bulgarorum Unitorum spectato consideratoque conatu Ecclesiae Bulgaricae Unitae praepediendi qua maxime matrimonia mixta et consequenter benigiorem praxim exercendi in dispensationibus impedimentorum cognationis concedendis, impedimentum affinitatis ex tribus generibus sat saepe occurrere debuit; quodsi ne una vice quidem dispensatio in ipso petita esset, nullo unquam contradicente, quamvis libelli supplices dispensationem pro impedimento affinitatis ex digeneia flagitantes illud usque ad sextum gradum extendi supponunt, iure praesumendum est impedimentum affinitatis ex trigeneia saltem in via desuetudinis esse. Notandum insuper impedimentum cognationis spiritualis ex adoptione in filium, quamvis ad impedimenta certe vigentia pertineat, in praxi exigui esse momenti, nam inde ab a. 1890 adoptio in filium semper fit coram tribunalibus civilibus. Quibus praenotatis, iam patet classificatio impedimentorum in iure Ecclesiae Bulgaricae vigentium in:

IMPEDIMENTA CERTA:

1. Aetas insufficiens.
2. Impotentia.
3. Ligamen ex matrimonio.
4. Mixta religio.
5. Disparitas cultus.
6. Diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus.
7. Professio religiosa simplex aut solemnis.
8. Consanguinitas.
9. Affinitas ex duobus generibus.
10. Cognatio spiritualis ex baptismo.
11. Cognatio spiritualis ex adoptione in filium.

IMPEDIMENTA DUBIA:

1. Affinitas ex tribus generibus.
2. Quasi-affinitas ex sponsalibus ecclesiasticis.
3. Ligamen ex sponsalibus ecclesiasticis.
4. Sententia condemnans ex adulterio.
5. Fratrificatio coram Ecclesia peracta.
6. Defectus consensus parentum.

# CAPUT III.

## DE IMPEDIMENTORUM MATRIMONIALIUM CONSTITUTIONE ACCESSATIONE

*§ 1.* Quoad impedimentorum matrimonialium constitutionem duplex quaestio solvenda est: prima *quis* iurisdictionem competentiamque in hac materia possideat, secunda *quomodo* impedimenta constitui possint.

In prima quaestione primo inter limites iurisdictionis et limites competentiae distinguendum est seu quaerendum, quaenam societas iurisdictionem in impedimentorum constitutionem habeat necnon quinam in societate hac iurisdictione praedita ad ipsam exercendam competentes sint.

Quoad limites iurisdictionis nulla datur nec dari potest differentia inter ius matrimoniale Ecclesiae Latinae et ius matrimoniale Ecclesiarum Orientalium. Principia iuris publici ecclesiastici, cum sint consectaria necessaria vel definitionum dogmaticarum vel propositionum dammatarum, in universa Ecclesia obtinent absque ritum distinctione et in sequentem propositionem reassumi possunt: Regimen in matrimonia fidelium (valide baptizatorum), in specie potestas statuendi impedimenta tam dirimentia quam impedimentia, salvo iure divino sive naturali sive positivo, exclusive et irrevocabiliter Ecclesiae competit, idque iure proprio ac vi ipsius dispositionis divinae ex ipsa matrimonii natura.

Item quoad limites competentiae in universa Ecclesia principium doctrinae canonis 1038 § 1. obtinet: „Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare, quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat." Eodem modo in tota Christi Ecclesia valet principium: „Supremae auctoritati ecclesiasticae ius est non solum impedimenta matrimonium dirimentia vel impedimentia sive pro universa Ecclesia sive pro aliqua Ecclesia particulari constituendi, sed etiam impedimenta sive a se sive ab aliis stabilita abrogandi, obrogandi aut illis derogandi necnon in eisdem dispensandi." Quod principium corollarium est immediatum Primatus Romani Pontificis divini-

tus instituti ita, ut per supremam auctoritatem ecclesiasticam Romanus Pontifex sive solus sive cum aliis episcopis in Concilio Oecumenico congregatis intendatur.

Attamen quaeri potest: Sitne Summi Pontificis in impedimentis matrimonialibus constituendis auctoritas exclusiva uti in Ecclesia Latina (Cfr. cc. 1038/1041) necne? Ad exactam solutionem adquirendam haec quaestio in quattuor alias subdividenda est:

1. Sitne reservatio Pontificia impedimenta matrimonialia constituendi iuris divini ita, ut speciali declaratione opus non habeat et in universa Ecclesia absque rituum distinctione obtineat?

2. Quodsi reservatio impedimenta matrimonii constituendi iuris ecclesiastici tantummodo sit, fueritne etiam ad omnes Ecclesias Orientales extensa?

3. Quodsi ad aliquas tantummodo Ecclesias Orientales reservatio haec extensa fuerit, quinam Praelati in Ecclesiis reservationi Pontificiae haud obnoxiis praedicta potestate polleant: utrum singuli episcopi seorsim an solum episcopi in Concilio provinciali aut nationali congregati?

4. Quidnam hac in re pro Ecclesia Bulgarorum Unitorum valeat?

1. Cum inde a saeculis reservatio Pontificia in Ecclesia Latina per consuetudinem certam obtinuisset, theologi moralistae disputarunt,[65] utrum iuris divini, an ecclesiastici tantummodo haec reservatio esset. Argumenta hinc inde prolata ad quinque reduci possunt:

a) Cum episcopi a Romano Pontifice non in potestatis plenitudinem, sed in partem sollicitudinis vocentur, consequenter quoad actus iurisdictionis plus non possunt quam ipsis a Pontifice conceditur. Si igitur episcopi aliique inferiores Praelati potestatem impedimenta matrimonium dirimentia constituendi haberent, haec potestas ipsis vel ex ipsorum ordinatione vel ex concessione Pontificis vel ex dispositione iuris competeret. Non tamen ipsis ex ordinatione competit, quia vi huius actualem iurisdictionem in aliquod territorium vel subditos nullam praecise habent, ut in episcopis mere titularibus patet, neque ex conces-

Secundum argumentum falsis suppositis nititur, exinde ipso facto corruit.

Tertium argumentum nimis probat, proinde nihil probat. Quaelibet enim norma iuris ecclesiastici, si vera norma est, iuri divino non adversatur, sed illud tuetur. Quodsi ad hoc necessaria esset potestas infallibilis ius divinum interpretandi, episcopi omni potestate legislativa privarentur. Qua assertione nihil sub coelo absurdius!

Quartum argumentum inepte contingentia cum necessariis confundit. Verissimum quidem est: Supremo Pontifici ius et officium sibi soli competere reservandi ea omnia, quae ad unitatem servandam in universae Ecclesiae regimine necessaria sunt. Haec tamen necessaria regiminis unitas quoad impedimentorum matrimonialium constitutionem de tempore (aevo) ad tempus (aevum) et de loco (uno mundi hemisphaerio) ad locum (ad aliud mundi hemiphaerium) variat: Etenim antiquitus cum communicationes inter membra singularum nationum, imo quandoque etiam inter membra singularum provinciarum eiusdem nationis rarissimae et omnino exceptionales essent, certe necessariae unitati regiminis nullatenus officiebat, si impedimenta matrimonialia etiam dirimentia in conciliis nationalibus aut provincialibus constituerentur. Eadem rerum conditio certo sensu usque modo in Oriente christiano perdurat, ubi cultura, saltem materialis, est aliquatenus inferior ideoque communicationes et matrimonia inter membra diversarum ecclesiarum particularium rariora, consequenter periculum perturbationis disciplinae ecclesiasticae et in specie periculum matrimoniorum invalidorum propter frequentem ignoratiam diversorum impedimentorum dirimentium, valde deminuitur. Orientales utique christiani in Asia Minore, Palestina et Aegypto degentes necnon Orientales cum Latinis permixti excipiuntur.

Est igitur reservatio Pontifica impedimenta matrimonialia saltem dirimentia statuendi causa natura sua maior *non absolute,* sed tantummodo in determinatis (modo explicatis) circumstantiis. Quando tales circumstantiae adsint, ipsa Suprema in Ecclesia Auctoritas decidit, idcirco positiva reservationis promulgatio in hac re est omnino necessaria, et quia est iurium restrictiva, non supponitur adesse, nisi clare comprobetur.

Cuius reservationis nullum est quod cognoscamus documentum quod omnes Unitorum Ecclesias obliget: Illa enim quae afferri solent semper unam alteramve tantum nationem respiciunt. Praeterea optime distinguendae sunt in illis documentis partes legis dispositivae a rationibus legis et semper applicandum est principium *ratio legis non est lex!* Modo documenta, in quantum invenire potuismus, tria tantum sunt,[73] quae certe nullam consuetudinem crearunt, vi cuius, uti in Ecclesia Latina ante novissimum Codicem factum est,[74] impedimenta dirimentia Romano Pontifici reservaretur etiam pro Ecclesiis Unitorum statuere. Ex altera enim parte concilia Rumenorum, Coptorum, Syrorum, Armenorum nationalia, quae nova impedimenta dirimentia statuerant, a S. Sede in forma communi tantum adprobata sunt.[75] Quodsi reservatio existerat, absque dubio adprobatio in forma specifica necessaria erat.

Neque ex constitutionibus Benedicti XIV „Demandatam" et „Allatae sunt", in quibus legimus: „De ritibus et moribus Ecclesiae Graecae illud in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere quovis titulo et colore et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali praefulgeat quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exectamque observantiam imminuat",[76] nostram reservationem deducere licet ex contextu enim clare apparet: Melchitas, Syriacos et Armenos (iis enim Bullae destinantur) prohibitos esse immutationes disciplinae ecclesiasticae Orientalium facere sine praevia vel subsequente adprobatione S. Sedis (saltem tacita), quae *latinisationem* redolerent, ut schismaticis occasio scandali et obdurationis tolleretur. Ex eadem ratione non est adprobata spontanea receptio decretorum „Tametsi" et „Ne temere" apud Ruthenos,[77] accomodatio disciplinae Concilii Tridentini quoad impedimentum cognationis spiritualis vetita est Rumenos.[78]

Ergo neque ex consuetudine neque ex aliqua Apostolica constitutione pro *omnibus* Ecclesiis Orientalibus existentia reservationis erui potest, de qua in can. 1038 § 2 C. I. C. Latinorum!

Nihilominus affirmare non auderemus potestatem impedimenta praesertim dirimentia ad singulos episcopos seorsim

sumptos constituendi pertinere. Etenim inde a primis saeculis mos invaluit, ut impedimenta per canones in conciliis saltem provincialibus constituerentur aut observantiis religiosis aliquod impedimentum introducentibus character iuridicus consuetudinis ecclesiasticae legitimae item in conciliis plerumque nationalibus imprimeretur.[79] Quae praxis rigorose praesertim in Oriente christiano observabatur[80] ita, ut episcopi in hac re potestati legislativae in favorem conciliorum nationalium renuntiare viderentur. Heic praeterea revera semper obtinebat argumentum, quo theologi quidam probare conabantur reservationem pontificiam impedimenta matrimonium dirimentia statuendi esse iuris divini: Nam si quilibet episcopus pro sua quantumlibet parva dioecesi impedimenta dirimentia ferre posset, quaenam confusio in re tanti momenti et quotnam matrimonia nulla!

[782] Načov o. c. pag. 44—49; Marinov Ж. Ст. II. 180; SNU XXVIII. 568—573 SNU X. 209—210, 230; Bobčev o. c. 35 sq.

[783] SNU X 210; Nnčov pag. 48.

[784] Načov vol. c. 46—47; SNU VIII 178—180; Bobčev o. c. 38.

[785] Cf. Krauss o. c. 619—643; Collectio morum Graecorum localium (in ed. Zepi-Zepi VIII § 84); M. Vulpesco „Les contumes roumaines périodiques" Paris (1924).

[786] lib. IV. tit. VIII. v. 7. ed. Heimbach pag. 514.

[787] *Σύνταγμα κατὰ στοιχεῖον Β* cap. VIII in MG (144) col. 1115. Etiam in Slavooico abbreviato B глава 2 editio Florinskij pag. 123.

[788] *Πηδάλιον* Athenis (1908) pag. 524, 723 ex Manuelis Malaxi nomocanone manuscripto allegat Zachariae von Lingenthal „Geschichte des griechisch-römischen Rechts".Berlin (1893) 3 Aufl. pag. 119, nota 354.

[789] Cf. art. II. praesentis capitis.

[790] Ita propter reiative sat frequentem usum raptus aut fugae. Cf. art. II. huius capitis.

[791] Edita a cl. Miletič „Едно бележното послание на Цариградската патриаршия до бглгаритѣ въ Дѣбръско 1849 год." in „La Revue de l' Academie bulgares des sciences" l. XVIII (1919) Sofia pag. 17—30.

[792] A. Preobraženskij „Григорій V. патриархъ Константиоопольскій" Kazaň (1906) pag. 227; *Γεδεὼν „Κανονικαὶ διατάξεις" τ. II. σελ. 111.*

[793] *Σ. Κ. Ικόνομος „Γράμματα δύο συνόδικα ἀπολυθέντα ἐπὶ πρώτης πατριαρχείας Γρηγορίου* V." *'Αθῆναι (1874)* et *'Εκκλ. 'Αλήθεια (1899) σελ. 236.*

[794] Litterae privatae diei 28. I. 1936.

[795] Archivium Constantinopolitanum irregistratum.

[796] Archivium Constantinopolitanum irregistratum.

[798] Archivium Constantinopolitanum irregistratum.

[798] o. c. pag. 3.

[799] Ita praesertim quoad, impedimentum polygamiae successivae et defectus consensus parentum: Cf. Zankov o. c. pag. § 40 et Baldžiev IV. 191.

[800] Nam Curia metropolitana Sophiensis ter declaravit innovationem Statuti Exarchatus quoad aetatem nupturientem Bulgaros Unitos non obligare. Cf. archiv. Soph. 26. XII. 1927 inreg.; 22. I. 1926 Reg. Nro 2; 9. XII. 1925. Cf. etiam Reg. Nro 229 (1936).

## PARS SECUNDA

[1] Can. 1012.

[2] Leo XIII. Encycl. „Arcanum divinae sapientiae" die 10. Februarii 1880 in Leonis Pp. XIII. Actis Romae, 1882 vol. II. pag. 23.

[3] Cfr. textus conventionum, quae modo in parag. 2 sequuntur.

[4] Cfr. Conc. Trid. in Sess. XXIV. c. 4 et 12, necnon Syllabum Pii IX. par. VIII. n. 68, 69, 70, 71, 74.

[5] Originale compilatum est lingua graeca apud Mansi tom. 45 col. 52.

[6] Mansi 45, col. 55—56.

[7] Refert M. D'Avril in articulo „La Bulgarie chrétienne" in periodico „*Revue de l'Orient chrétienne*" Paris (1897) II. pag. 166.

[8] Mansi Tom. 45 col. 53.

[9] Ibidem col. 53—54.

[10] Ibidem col. 66.

[11] Encyclica „*In suprema Petri*" n. 11 apud „Collectanea S. Congreg. de Prop. Fide" Romae (1907) Vol. I. pag. 558.

[12] Ibidem pag. 555.

[13] Textum bullae invenies in tom. IV. Bullarii Benedicti XIV. n. 47. Aliae ea de re eiusdem Pontificis Constitutiones habentur Tom. I. memorati Bullarii n. 87 et Tom. III. n. 44.

[14] Mansi tom. 45 col. 98.

[15] Ibidem col. 100.

[16] Ibidem col. 113—120. Notandum traductionem Italicam originalis Bulgarici heic (col. 116 n. 8.) non esse exactam, sed summariam tantum.

[17] „fortasse" quia quae ex ipsis promulgatae sunt tempore schismatis, quando iurisdictio fori externi hierarchiae Byzantinae aut Byzantino-Slavicae erat valde dubia (Cfr. hac de quaestione Albitius Card. „De Inconstantia Fidei" caput 20 n. 2; Prosperi Fagnani „Commentaria in quintum librum Decretalium" Venetiis 1729 de schismaticis et ordinatis ab eis, caput I. pag. 100—116; Thomas Iesu. „De unione schimaticorum cum Ecclesia Catholica procuranda" in „*Theologiae cursu completo*" editio a J. P. Migne Parisiis 1841 pag. 494. Item apud D'Angelo M. Vericelli „Quaestiones seu Tractatus de apostolicis missionibus" tit. III. de legibus quaestio 87

pag. 210—214 edit. Venetiis 1654. Denique ipse S. Thomas Doctor Angelicus II., II. qu 39 art. 3 (tertia [chronologice] prima) dispositio lata est, uti videbimus, tempore quo authorisatio transitus Bulgarorum ad disciplinam (matrimonialem) Byzantinam certe probari potest. Uno verbo: Praeter canones 14. et 16. Chalcedonenses nulla dispositio scripta de nostra materia obtinuit in Bulgaria tanquam lex certa ecclesiastica.

[18] Ex hoc etiam erui potest *certe* adprobatas esse (servatis de iure servandis i. e. salvis clausulis consuetis!) dispositiones praxi ecclesiastica confirmatas. Secus enim nihil conservatum esset ex disciplina matrimoniali Bulgarorum.

[19] Cfr. ML. tomus 126 col. 958.

[20] Cfr. ML. tomus 126, col. 758, 763, 832, 843, 848, 853, 856, 919, 938, 959.

[21] Cfr. D. Chiulov „De relationibus inter Bulgaros et S. Sedem" in collectione „*Acta conventus Pragensis pro studiis orientalibus a. 1929 celebrati*" Olomucii (1930), pag. 67—69.

[22] Cfr. Valentinus Lah „De Borisii Regis Bulgarorum successoribus" in periodico „Arch. für katholisches Kirchenrecht" tom. 42, pag. 84—120.

[23] Eiusmodi adprobatio esset extranea modo agendi S. Pontificum illius temporis." Cfr. Hefele „Conciliengeschichte" Friburg i. Breisgau 1877[2] III, § 328, pag. 345—348.

[24] Codificazione canonica Orientale, Fonti X n. 359, 908.

[25] ML. tomus 214, col. 825, 1115 et tomus 215, col. 293.

[26] Cfr. Studium cl. Bobčev de significatione verbi *Zakon* „Обычай и законъ" S. Petersburg 1906.

[26] ML. tom. 215, col. 287.

[28] ML. tom. 215, col. 282 n. 2.

[29] c. 6, X. lib. V., tit. 42; etiam apud Mansi tom. 22, col. 989—990.

[30] Harduini „*Acta conciliorum*" Parisiis 1714 tom. 7. col. 699, tom. 9, col. 423.

[31] Harduini o. c. VII, col. 698, IX. 395.

[32] Exceptis utique constitutionibus Apostolicis, quae omnes valide baptizatos obligant. Cfr. § 3.

[33] ML. 126, col. 763, n. 111, col. 358, n. 233.

[34] Cfr. optime synthetisatam historiam Ecclesiae Bulgaricae cl. S. Vailhé apud Vacant Mangenot, Dictionaire de théologie catholique; Paris 1905, II. pag. 1174—1236.

[35] Rhallis-Potli „Syntagma" tom. V., pag. 11—19.

[36] O. c. pag. 95—98.

[37] Gedeon „Patriarchikai diataxeis" Constantinopli 1888—90; I. pag. 24—26.

[38] Cfr. Rhallis „Syntagma" V. 167—176 et Gedeonis Diataxeis II. 74—78, I. 87—89.

[39] Ita propter can. 2. Trull.

[40] Fortasse diximus in parte I., sectione II., capite 3, art. I., n. II.—VI. nostrae theseos: Epistulae Theodori Studitae collatus est a synodo Achridana valor legalis, officialis; tamen certe hac de re nullatenus constat.

[41] „In suprema Petri" diei 6. Februarii 1848 num. IV.

[42] Negative exprimi solebant: salvis iis (moribus et ritibus) quae „periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati" aut quae „Unionem ipsam destruunt, excludunt" vel quae „fidei catholicae adversantur" et sic porro cfr. bullam" Allatae sunt" l. c. Pro positivis recepta est formula doctrinalis: „Subditi quattuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus ..." Cfr. eandem bullam „Allatae sunt" n. 44.

[43] Ph. Maroto „Institutiones iuris canonici" Romae (1921) I pag. 165, 158.

[44] Ita s. Congregatio de Prop. Fide die 8. XI. 1882 et 6. X. 1885. Collectanea cit. II. 1578, 1640.

[45] Cfr. Michiels „Normae generales iuris canonici" Lublin (1929) I. pag. 45. Item *monitore ecclesiastico* 1925, Romae, pag. 101—105.

[46] Rhalli-Potli „Syntagma" V. 52, 54.

[47] Ita cl. Zhisman pag. 195, 212; cl. Zankov § 39, 40. Alii e contra nomine „requisitorum" designant et impedimenta proprie dicta et requisita cl. Neofit o. c. 437; Alex Bělev studium allegatum.

[48] Litt. Encycl. *Rerum novarum* 15 Maii 1891. Cfr. *Acta Leonis Papae XIII.* Romae (1892) XI. pag. 104.

[49] Cfr. Aertnys Damen „Theologia moralis" Taurinorum Augustae (1932) ed. 12, tom. II. pag. 440.

[50] Ipse Pius IX in sua Constitutione *Romani Pontifices* qua erigitur in S. Congr. de Prop. Fide praedicta sectio pro negotiis ritus orientalis (Cfr. Collectanea S. C. de Prop. Fide n. 1223) minute enarrat historiam dicasteriorum Romanorum competentium pro Orientalibus.

[51] AAS IX (1917) 529.

[52] Collectanea S. C. de Prop. Eide n. 1223, pag. 669.

[53] Cfr. Codificazione can. Orientale *Fonti* fasc. X. 316, 640, 1034 et ipsa constitutio „Demandatam" et „Allatae sunt"

[54] Ibidem X, 639 I, 273, 275, 277.

[55] Ibidem XV, 270.

[56] Nam matrimonio coram sacerdote acatholico („orthodoxo") celebrato et parte catholica post aliquod temporis intervallum ad sacramenta in Ecclesia Catholica recipienda admitti postulante, praestitis cautionibus, remoto perversionis periculo, imponitur tantum congruens poenitentia quin matrimonium sanetur. Cfr. *Archivium Sophiense* pars registrata n. 82 (1932), 135 (1935), 158 (1935), 18 (1934). In parte dein non registrata habentur quinque alii eiusmodi casus (Praecisas datas omitto, ne forsan personas prodam!)

[57] Cfr. canonem 1037; 1971 § 1 n. 2 et § 2.

[58] Ita sancit ius suppletivum romanum „*semper in obscuris, quod minimum est sequimur*" (Reg. J. 9 D., 50, 17.)

[59] Ita secundum iuris prudentiam Congregationum Romanarum etiam illarum quarum competentia sese extendit ad Orientales. Cfr. Gasparri Tractatus can. de matrimonio" Parisiis (1904) I., n. 18—22.

[60] Can. 1127.

[61] Can. 1043. Patet indispensabilitatem hanc esse relativam tantum. Nam Sedes

Apostolica etiam in his casibus (excepto impedimento Episcopatus) in circumstantiis revera extraordinariis dispensationem non denegat. Cfr. Cappello *de Sacramentis* III Romae 1927, ed. 2 n. 224.

[62] Nam per „exclusivam" S. C. pro Ecclesia Orient. competentia Curiae Romanae Tribunalium nullo modo imminuta est.

[63] Cfr. notam 55 huius II partis.

[64] Ita nobis multi indigeni sive laici sive clerici retulerunt.

[65] Opera quae inspicere potui sunt:

1. J. Clericatus *„Decissiones de matrimonio"* Venetiis 1706 decisio 18 pag. 182—183
2. Raph. Aversa a Sanseverino" *„De ordinis et matrimonii sacramentis"* Bononiae 1642 qu. 8. sect 3. pag. 158.
3. J. Trullench *„Opus morale praxim sacramentorum complectens"* Barcinone 1701, III. lib. 7, caput 9, dub 1 pag. 478—479.
4. Henr. Villalobos *„Summa de la theologia moral y canonica"* Barcelona 1640 trat. 14 dif. 1 n. 2, pag. 343.
5. Fr. Leander *„Quaestiones morales theologicae in septem ecclesiae sacramenta"* Lugduni 1664, tract. 9. disp. 9 qu. 5 pag. 265.
6. Aeg. de Coninck *„De Sacramentis et censuris"* Lugduni 1634, disp. 30 dub. 1 concl. 3 pag. 671.
7. Gasp. Hurtado *„De Sacramentis et censuris"* Antverpia 1633, edit. 2 disp. 12 diff. 2 n. 5 pag. 510.
8. J. Praep. Atrebas *„Commentaria in III. partem s. Thomae"* Duaci 1629, qu. 7 dub. 1 pag. 992.
9. Ap. Holzmann *„Theologia moralis"* Venetiis 1743 tract. 2 num. 485 pag. 366.
10. P. Giovine *„De dispensationibus matrimonialibus"* Neapoli 1863, I. § 47 pag. 73—75.
11. Vinc. Ricci *„Compendium de sacramento matrimonii"* Messinae 1630 tom. II. lib. 7 disp. 1 concl. 5 pag. 253.
12. S. Giribaldi Jac. Boncompagno *„Septem ecclesiae sacramenta"* Bononiae 1706, tract. 10 dub. 2 pag. 187.
13. Fr. Schmabzgrueber *„Jus ecclesiasticum universum"* Venetiis 1738, tom. 4 pars I. tit. 1 sectio III § I 361—363, pag. 53.
14. Th. Sanchez *„De sancto matrimonii sacramento"* Venetiis 1754, tom. 2 lib. 7 disp. 1 n. 9 pag. 6.

Ne prolixus sim, omitto iam allegare alios: Fr. Suaresium, Salmaticenses etc.

[66] Th. Schmalzgrueber l. c.

[67] Aeg. de Coninck l. c.

[68] Giovine l. c.

[69] Giovinne l. c.

[70] Aversa a Sanseverino, Trullench, Villalobos. Leander, Hurtado et alii ll. cc.

[71] Tractatus canonicus de matrimonio, Parisiis 1904, edit. 3 n. 278. (Idem in edit. novissima n. 229.)

[72] Ita e. g. Holzmann l. c.

[73] Cod. C. Or. *Fonti* fascicolo X. 639 I. 275, 277.

[74] Ipse Emus. Card. Gasparri fatetur (l. c.): cuius reservationis nullum est quod cognoscamus documentum, sed videtur introducta necessitate cogente („consuetudine" dicunt auctores in nota 65 allegati!)

[75] Acta istorum conciliorum cum respectivis decretis adprobationis edidit ipsa S. C. de Prop. Fide exceptis Conciliis Rumenorum, quae invenies tamen in Mansi tom. 40 col. 663—880.

[76] Bullarium Benedicti XIV. tom. I n. 87 Prati 1845, par. 3 et tom. IV n. 47 Prati 1847, § 27.

[77] C. C. O. Fonti I 273, 277, 275.

[78] C. G. O. Fonti X 316, 640, 1034.

[79] Cf. praefationem ad Photii Nomocanonem editum apud Pitra „Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta" Romae 1868, II. pag. 446 necnon mentione dignam notam 17 apud Wernz „Ius Decretalium Prati 1912, ed. 2 pag. 473—474.

[80] Cf. partem I. sect. II. caput III. par. 1 n. 1 nostri studii

# RECENSIONES

NIKOLAUS VON ARSENIEW: *Das heilige Moskau.* Bilder aus dem religiösen und geistigen Leben des 19. Jahrhunderts. F. Schöningh, Paderborn 1940.

Profesor litteraturae russicae in Universitate Königsbergensi, per aliquod tempus etiam profesor in facultate theologica orthodoxa Warsawiensi, Nikolaus Arsenev nuper edidit novum librum de vita spirituali russica. Auctor scriptit iam plures articulos et opuscula de vita religiosa et liturgica russica. Ultimum opus est consecratum „sanctae Moscoviae". Difficile est brevi recensione exprimere tam copiosum contentum huius pulchro stylo et caldo „tono" scripti libri. Breviter possumus dicere, auctorem voluisse per hoc opus notum reddere omne, quod optimum, quod altissimum habuit Moscovia saeculo XIX; aperire ante oculos lectoris Moscoviam spiritualem, religiosam, de qua in occidente generatim parum sciunt. Lector saltem aliquem conceptum de libro sibi fingere potest si adducemus titulos singulorum capitum: Mosqua centrum russici animi nationalis saeculo XIX. Ecclesiae et sanctuaria. Profunditates vitae religiosae. Societas mosquensis. Ivan Kireevskij. Alexej Chomjakov. Ex vita spirituali II. medietatis saeculi praeteriti et initii saec. XX. Exempla iustorum in vita veteris Mosquae. — Sub pena clarissimi autoris vivescunt diversae eximiae personalitates vitae culturalis et religiosae russicae — cum suis ideis et activitate, ante oculos lectoris surgit ipsa Mosqua cum sua intima vita, cum suis familiis aristocraticis, habentibus sua circula, suas traditiones patriarchales. Auctor, ipse proveniens ex una nota familia aristocratica Mosquensi, cognoscit has traditio-

nes familiares, spiritum hospitalitatis et magnae intimitatis, caloris. Omnia haec amat cum amore recordatur et etiam apud lectorem sympatiam excitare studet. Vellemus dicere omnia cum nimia intimitate familiaritateque apud prof. Arsenev tractari. Immo quaedam vita idyllica apparet. His verbis exprimimus simul nostram primam adnotationem criticam ad opus cl. autoris. Abstrahendo ab hoc, quod liber multum dat lectovi, tamen necesse est illum summere ut *unum* ex libris de Mosqua — oportet illum compleri aliis libris, tractantibus de minus „sanctis" aspectibus Mosquae et vitae russicae saeculi praeteriti ne quis incidat in „idealisationem".

Ulterior nostra adnotatio refertur ad relationem auctoris ad Vl. Soloviov. Legendo librum modo instinctivo sentivi auctorem non amare notum philosophum russicum (pro eius elementa catholica). Apparet hoc iam ex tali simplici facto: dum Ivano Kirejevskij et Alexio Chomjakov consecravit specialia capita, Vladimiro Soloviov consecravit tantum aliquod paginas adhuc minus quam princ. Trubeckoj. Sed non numerus paginarum habet momentum, maioris momenti est modus quo prof. Arsenev tractat v. g. Alexium Chomjakov et Vladimirum Soloviov. Apud primum vidit tantum bonas qualitates, positivas partes (exclusa aliqua injustitia erga occidentem). Has bene et cum animo discipuli exponit. Apud Soloviov e contra valde attendit ad partes negativas, has sublineat, ideo — etiamsi sparsim habet verba de genio Soloviov — impressio apud lectorem est parum favens pro Soloviov. Secundum expositionem cl. Arsenev quis posset concludere Chomjakov esse et maximum philosophum, et excellentissimum theologum et hominem sanctum — ex alia parte et Vladimirum Soloviov esse „medietatem", auctorem mediae qualitatis qui coram Chomjakovum debet se profunde humiliari. Ut breviter dicamus: prof. Arsenev ex sua aversione erga Romam et catholicismum fecit injustitiam maximo philosopho russico Soloviov. In una critica Arsenevi contra Soloviov nos videremus potius malum testimonium pro ipso prof. Arsenev. In pagina 146 ille scribit modo sceptico de „cristiano" sociali utopismo et in genere de socialibus tendentiis Vladimiri Soloviov. Haec paginae autem moverunt nostram attentionem ad illud, quod cl. Arsenev multum et continuo loquitur de principibus, de eximis familiis, sed quasi nihil habet de populo. De hoc populo, pro quo habuit „interesse" Soloviov. Ideo tandem aliquando critica profesoris Arsenev stat contra ipsum auctorem: est potius testimonium eius incomprehensionis pro quaestione sociali, et pro necessitatibus populi quam impetus contra Soloviov. Non licet transire cum silentio etiam aliud indicium prof. Arsenev. In pag. 136 ille loquitur de servitio Chomjakovii populo et „Ecclesiae Dei" (der Kirche Gottes). Ecclesia Dei vivente adhuc Christo Domino in terra praesentabatur per ovile cum uno visibili pastore. Quando Christus ascendit coelum, Petro „commisit suum ovile" (verba S. Joannis Chrysostomi), constituit illum unicum supremum pastorem et tali modo pro semper dedit formam suae Ecclesiae: unius ovilis visibilis cum unico pastore visibili. Adhuc haec institutio Christi Salvatoris servatur in Ecclesia catholica. Chomjakov erga Ecclesiam catholicam odium

habuit, omnibus viribus luctabat contra primatum romanorum pontificum, contra monarchicam structuram Ecclesiae. Quomodo igitur potest dici, illum servisse „Ecclesiae Dei"? Eo ipso exprimitur, editionem similis libri auctoris orthodoxi anticatholici apud editores catholicos praesentare difficultates et, timenus, etiam sic dicta „compromissa" ex utraque parte.

In fine adhuc duae adnotationes minoris momenti. Videtur nobis certus abusus, si auctor continuo, quasi apud omnem philosophum (et alios) loquitur de mystica experientia, de mystica pietate. Verum est, apud scriptores russicos hoc verbum „mysticus" habere saepe sensum indeterminatum, secundum placitum quis eo utitur (suo tempore valde miratus sum inveniens apud criticum Geršenzon verba de mystica apud Čaadajev; et postea vidi Geršenzonum habere prae oculis simpliciter — fidem in Deum!); tamen similis continuus usus vocis mysticus evocat aversionem. In omni casu mallumus monere lectorem occidentalem, ne summat similia verba et expressiones apud Arsenev illo sensu quem habent in theologia catholica neque videat exceptionales effectus divinae gratiae ibi ubi agitur de normali — si ita fas est dicere — vita pii cristiani.

Ex pag. 216 adducimus exemplum inutilis contrapositionis, quae apud auctores orthodoxos in eorum expositionibus de Ecclesia saepius venit. Auctor exponendo doctrinam Feodorov de cristianismo dicit: „cristianismus non est doctrina, sed revelatio vitae aeternae." Quis posset videre in simili contrapositione tantum quaestionem styli. Sed cum et in aliis locis venit (in expositione doctrinae Chomjakov, Soloviov...), ducimus satius indicare similes contrapositiones non solum esse inutiles sed et falsas. „Cristianismus" est et revelatio vitae aeternae, sed est et doctrina; Ecclesia est et vita in amore et institutio. Agitur de duobus aspectibus et partibus unius eiusdemque realitatis quae nullomodo sese excludunt.

Concludendo repetimus, librum prof. Arsenev esse serium opus quod multum praebet pro cognitione spiritualis fysiognomiae Mosquae et Russiae. Etiamsi fecerimus plures adnotationes contra auctorem, hoc est tantum signum nostrae attentionis et serii aspectus eius libri. *J. Kellner.*

# In deposito Academiae Velehradensis adhuc supersunt:

## Acta Conventus Velehradensis:

### *Acta I. Conventus Velehradensis.*

*J. Urban,* De iis, quae theologi catholici praestare possint ac debeant.
*A. Palmieri,* De tendentiis catholicis in theologia Russica.
*Fr. Grivec,* De unionis cum Russia conatibus.
*M. Haluščyňskyj,* De nova illustratione epicleseos ex liturgia ecclesiae orientalis petita.
*A. Špaldák,* De Russorum debita relatione ad ecclesiam catholicam.
*F. Snopek,* Methodium orthodoxum fuisse.

### *Acta II. Conventus Velehradensis.*

*J. Vychodil,* Brevis memoria sacrae vetustatis Velehradii.
*J. Nevěřil,* De situ Velehradii.
*A. Palmieri,* De academiae ecclesiasticae Kioviensis doctrina B. Mariam V. praemunitam fuisse a pecato originali.
*M. Jugie,* De Immaculata Deiparae Conceptione a byzantinis scriptoribus post schisma consummatum edocta.
*A. Straub,* De principio essentiali unitatis ecclesiae Christi.
*J. Bocian,* Quomodo studia liturgica ad discidium ecclesiarum tollendum pertineant.
*A. Gratieux,* De elemento morali in theologico systemate Khomiakovii.
*F. Snopek,* De discipulorum s. Methodii ad Romam relatione.
*A. Bukowski,* Quid Russi orthodoxi doceant de poena temporali pro peccatis remissis ac de fine epitimiarum.
*B. Suciu,* De natura medicinali et vindicativa epitimiarum in Ecclesia graeca.
*S. Ritig,* De relationibus Solov'jevii ad Croatas.
*S. Salaville,* Quae fuerit Sancti Theodori Studitae doctrina de Beati Petri Apostoli deque Romani Pontificis primatu.
*A. Mal'cev,* De vestigiis epicleseos in Missa Romana.
*N. Franco,* De solidaritate Christiana contra solidaritatem sectarum modernarum per Unionem utriusque Ecclesiae propaganda.

### *Acta III. Conventus Velehradensis.*

*B. Goeken,* Possit-ne fieri, ut ecclesia orientalis occidentali uniatur?
*A. Špaldák,* Quae sint psychologicae conditiones concordiae eorum, qui inter se de doctrina contendunt, restituendae.
*N. Malinjak,* De Ecclesia Russa orthodoxa a Ruthenis adiuvanda et quid in hac re sit sperandum et desiderandum.
*M. Jugie,* De precibus pro ecclesiarum reconciliatione fundendis.
*J. Šimrak,* De impedimentis unionis graeco-orientalium cum sede Romana in regno Croatiae et Slavoniae.
*M. Ustičkov,* De Ecclesia bulgarica cum Ecclesia romana catholica reconcilianda.
*P. Hristov,* De Panteleimonis monachi Bulgari ad ecclesias inter se reconciliandas momento.

*J. Hadzsega,* De discrimine inter sententiam theologorum orthodoxorum et S. J. Chrysostomi de primatu S. Petri.

*Pl. de Meester,* Quid ex historia dogmatis Infallibilitatis Papae comparari possit pro unione dogmatica utriusque ecclesiae.

## *Acta IV. Conventus Velehradensis.*

*F. Grivec,* Doctrina hodierna Orientis separati de Ecclesiae constitutione.

*J. Hadžega,* Doctrina hodierna Orientis separati de Ecclesiae constitutione.

*G. Verchovskij,* Auctoritas patriarchatuum sub respectu hodierni status unitatis consideranda.

*S. Sakač,* Synodi Trullanae auctoritas.

*C. Kmeťko,* De Apostolatu SS. Cyrilli et Methodii qua efficacissimo medio ad unionem promovendam.

*S. Bulgakov,* Ad Congressum Velehradensem.

*M. d'Herbigny,* Quidnam in Oriente slavico ad unitatem Ecclesiarum instaurandam recentissime factum et proxime faciendum sit.

*A. Totu,* De conditione Ecclesiae catholicae et orthodoxae in Rumenia.

*A. Christitch,* De vita religiosa in Serbia.

*D. Giulov,* De mediis ad unionem.

*G. Verchovskij,* De sociali et religiosa conditione necnon de effectibus emigrationis Russicae ad unitatem Ecclesiarum instaurandam.

*A. Živkovič,* De conditionibus Ecclesiae catholicae in Jugoslavia.

*H. Przezdiecki,* De obstaculis unionis.

*J. Vajs,* De liturgia palaeoslavica ritus occidentalis.

*N. Klimenko,* De Ecclesiarum reconciliatione.

*F. Hrdý,* De Ecclesia catholica in Jugoslavia.

*C. Losskij,* De momento ecclesiae ucrainicae in unione.

*N. Russnák,* De mediis unionis (de juris eccles. orientalis codificatione).

*S. Salaville,* Quomodo liturgia sacra nos doceat veram unionis methodum.

*J. Slipyj,* De valore S. Thomae Aquinatis pro unione eiusque influxu in theologiam orientalem.

## *Acta V Conventus Velehradensis.*

*J. Vašica,* De momento ss. Cyrilli et Methodii pro unitate Ecclesiae restituenda.

*M. Gordillo,* Juridismus apud ss. Patres Orientis et Occidentis.

*P. Azis Hoh,* Primatus in doctrina Nestorianorum illustratus novis argumentis.

*Th. Spáčil,* Juridismus et indoles efficaciaque Sacramentorum iuxta doctrinam catholicam et orthodoxam.

*C. Lübeck,* De conceptu sacramentorum in theologia Orientis separati et sacramentorum Confirmationis, Poenitentiae et Extremae unctionis.

*S. Salaville,* Spiritus liturgiae orientalis et doctrina de epiclesi in theologia orientali.

*P. Azis Hoh,* De Epiclesi iuxta Syrochaldeos.

*F. Dvorník,* De s. Cyrillo et Methodio in luce historiae byzantinae.

# Academia Velehradensis

## Olomouc, Facultas theologica a s. C. et M.

Vydává Akademie Velehradská v Olomouci. — Odpovědný redaktor Dr. Josef Matocha. — Tisknou Lidové závody tiskařské a nakladatelské v Olomouci. — Používání novinových známek povoleno výnosem řed. pošt. a telegr. v Brně č. 17.488/III a 38.

# ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ANNUS XVI.
FASC. 4.

OLOMUCII 1940

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

# ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 K, pro externis 40 K.

Redactores: Prof. dr. *Jos. Vašica,* msgre *Frant. Jemelka,* prof. dr. *Jos. Matocha,* collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Ulice Maxe Josefa 2.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*



Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. *Grivec,* Ljubljana; dr. Jos. *Slipyj,* rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. *Salaville;* prof. dr. M. *Jugie;* dr. Georgius *Hofmann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. *Ammann,* S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus *Spáčil,* dr. Thomas *Kurent,* S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas *Živković,* prof. univ. Zagreb; dr. Rochus *Rogošić,* prof. theol. Makarska; dr. Ignatius *Świrski,* prof. univ. Wilno; dr. *Špůrek,* prof. theol. Obořiště; dr. Ant. *Salajka,* Praga.


Contenta in fasc.: 4.


| | Pag. |
|---|---|
| Dr. Joannes Chrys. *Jaroš,* C. ss. R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos | 257 |
| Dr. Franciscus *Cinek,* Orthodoxi dissidentes in Bohemia et Moravia | 287 |
| Dr. Antonius *Kleveta,* Eschatologické představy Babyloňanů | 304 |
| Recensiones: *Dalla Trappa* per l'unita della Chiesa. Suor Maria Gabriella (Ivan Marianov); *P. Martyniuk* OSBM., Nepodilne serce sviaščennyka v služby Boha i Cerkvi (Dr. E. T.); *Dr. Matocha,* Compendium philosophiae christianae (Dr. Podolák O. P.); *Dr. R. Col,* Biblická hermeneutika (Dr. Kleveta); *Dr. R. Col,* Biblická inspirace (Dr. Kleveta) | 316-319 |

# Acta Academiae Velehradensis

*Tomus XVI.* *A. D. 1940.* *Fasc. 4.*

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 872 /40. IMPRIMATUR
Olomucii, 16. XII. 1940. † LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.


## IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

*Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C.Ss.R.*

Nullum proinde dubium, quin concilium nationale Bulgarorum Unitorum per se impedimenta matrimonialia etiam dirimentia constituere potuerit. Attamen quia ex Praelatis Ecclesiae Bulgarorum Unitae inde ab anno 1861 praeconisatis usque ad nostros dies ne unus quidem promotus est, ut episcopus potestate ordinaria et propria ad normam iuris ecclesiastici Byzantino Slavonici praeditus, sed unusquisque nominatus est tantum vicarius aut administrator Apostolicus,[81] qui revera omnes tantum potestatis habent, quantum ipsis a Romano Pontifice, cuius vices gerunt, *positive* conceditur, et quia potestas nova impedimenta stabiliendi nunquam eis est concessa, apud Bulgaros Unitos ne concilium nationale quidem hucusque impedimenta matrimonialia constituere potuit. Primus episcopus Bulgarorum (J. Sokolski) vicarius apostolicus absque ulla speciali determinatione facultatum sui propriarum nominatus est.[82] Cum vero post aliquot menses defecisset, (utrum per apostasiam, an deceptus, hucusque ignoratur) Sancta Sedes praeoccupatione, ne similis dolorosus casus repeteretur, secundum Episcopum Raph. Popov nominavit tantummodo „administratorem apostolicum sub dependentia Vicarii Apostolici Patriarchalis Constantinopolitani".[83] Secunda huius restrictionis ratio, quae perdurare praesumitur usque ad nostros dies, erat, ne Praelatus in iuventute imo haud raro etiam

in statu clericali apud „orthodoxos" educatus et dein conversus praeiudicia, quae inconscie fortasse retinuisset, ad animarum damnum in praxim ecclesiasticam transferret.[84]

Quaestio igitur, qua forma aliquod impedimentum introduci possit, videlicet utrum lege, an consuetudine, pro Ecclesia Bulgarica hucusque non est practica. Quia nulla pro Orientalibus generalis consuetudinis nova impedimenta introducentis reprobatio lata est, certe utraque forma impdimenta matrimonialia ab auctoritate competente statui possunt. *Eadem quae de rogatione impedimentorum diximus necessario de eorundem subrogatione et obrogatione valent.*

*§ 2.* Quoad impedimentorum matrimonialium cessationem distinguendum est primo inter impedimenta temporalia et perpetua. Illa enim etiam lapsu temporis removeri possunt; haec tantummodo vel abrogatione (desuetudine legitima totali), vel derogatione (desuetudine legitima partiali), vel dispensatione.

Iam diximus supremam in Ecclesia Auctoritatem salvo iure divino impedimenta sive a se sive ab aliis stabilita abrogare aut eisdem derogare posse (vel respectivam consuetudinem totalem aut partialem confirmare), necnon in eisdem dispensare. Quid vero in hac re Praelati Bulgarorum inferiores valeant?

*Quoad abrogationem:* distinguendum est in primis inter impedimenta iuris communis et impedimenta iuris particularis. Supposita enim hierarchia Ecclesiae constitutione, dari nequit, ut impedimenta iuris communis, i. e. illa quae universali lege vel universali consuetudine ecclesiastica constituta sunt, sine consensu (saltem tacito) Romani Pontificis (vel concilii oecumenici) removeantur. Hac enim via „tota everteretur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris ac proinde actum esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta".[85]

Impedimenta iuris communis (i. e. vigentia in tota Ecclesia catholica absque rituum distinctione) sunt: disparitas cultus, diaconatus, presbyteratus, episcopatus, professio sollemnis, consanguinitas et affinitas in linea recta, in linea obliqua autem usque ad sextum gradum aequalem pro consanguinitate; usque ad quartum gradum item aequalem, pro affinitate, sublato principio: affinitas parit affinitatem.[86]

Pro impedimentis iuris particularis subdistinguendum est inter impedimenta dispensabilia et indispensabilia. Haec per legem ecclesiasticam abrogari nequeunt, quamvis desuetudo totalis illa impedimenta removens confirmari possit, quae sunt indispensabilia tantummodo propter scandali publici periculum, cauto tamen, ut episcopi Bulgarorum in concilio adunati potestate ordinaria et propria ad normam iuris ecclesiastici Byzantino-Slavici praediti essent.

In concreto autem Praelati Bulgarorum, etsi ordinati Episcopi, officio tamen fungentes vicariorum et administratorum apostolicorum, nisi facultatem hanc expresse receperint a Romano Pontifice, cuius vices gerunt, nihil hac in re possunt. *Eadem de impedimentorum matrimonialium derogatione dicenda sunt,* respective de confirmanda desuetudine partiali (non particulari!!).

*Quoad dispensationem:* distinguendum est inter impedimenta certa et dubia. Dubia enim impedimenta dispensatione non indigent, sed cessant vi principii: „In dubio iuris leges (mere ecclesiasticae) etiam irritantes et inhabilitantes non obligant" quod principium etiam in disciplina ecclesiastica Bulgarorum obtinuit.[87] Num Ordinarii Bulgarorum Unitorum lege favorabili canonis 15 C. I. C. Latinorum uti possint, iuxta quem „in dubio facti potest Ordinarius in legibus mere ecclesiasticis universalibus dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet", solide non constat.[88]

Pro impedimentis certis eadem distinctio facienda est, quam pro impedimentis abrogabilibus, nempe distinctio inter impedimenta iuris communis et impedimenta iuris particularis: in illis nonnisi ex speciali facultate pontificia ab omnibus Praelatis Romano Episcopo inferioribus dispensari potest; in his omnis Bulgarorum episcopus potestate ordinaria et *propria* ad normam iuris ecclesiastici Byzantino Slavi praeditus dispensare valet, non vero episcopus vicarius vel administrator apostolicus, cuius facultates dispensandi taxative determinantur.[89]

Quid vero sentiendum de facultatibus extraordinariis iure communi Latinis concessis in canonibus 1043—1045 cum adnexa obligatione can. 1046 C. I. C.? Hae facultates vix clero ritus orientalis vi canonis 1 competunt. Nullo modo enim referunt disciplinam

Ecclesiarum orientalium[90] neque eiusmodi esse videntur, ut orientales ipsa rei natura afficiant.[91] Nec constat, num saltem vi litterarum S. R. et U. Inquisitionis die 20 Februarii a. 1888 ad Ordinarios locorum missarum[92] et die 9 Ian. a. 1898 quoad subdelegandi potestatem authentice interpretatarum[93] clerus ritus orientalis facultatibus illis gaudeat. Affirmat quidem cl Cappello litteras hos etiam loci Ordinariis orientalibus transmissas esse, sed nullatenus assertionem suam probat.[94]

Multo minus praedictae facultates hierarchiae Bulgarorum Unitorum competunt vi principiorum generalium „Favores sunt ampliandi" aut „Animarum salus et publicum animarum bonum suprema lex in Ecclesia".[95]

Quoad conditiones dispensationes petendae, obtinendae et exequendae, si de dispensatione Pontificia agatur (uti in concreto hucusque semper apud Bulgaros), eaedem regulae obtinent, quae in disciplina matrimoniali Latinorum vigent. Sed etiamsi Episcopi Bulgari iure proprio hac potestate gauderent, quia normae minutae in iure eccl. Bulgarorum Byzantino Slavonico desunt, servatis de iure servandis ipsae ex iure suppletorio, i. e. ex iure Ecclesiae Latinae desumendae essent.

## CONCLUSIO

Principia de impedimentorum matrimonialium constitutione et cessatione reassumi possunt.

Regimen in matrimonia valide baptizatorum, in specie potestas impedimenta tam dirimentia quam impedientia statuendi salvo iure divino exclusive et irrevocabiliter Ecclesiae competit idque iure proprio ac divinitus ex ipsa matrimonii natura.

Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare, quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.

Supremae auctoritatis ecclesiasticae ius est non solum impedimenta matrimonialia dirimentia vel impedientia sive pro universa Ecclesia sive pro aliqua Ecclesia particulari constituendi, sed etiam impedimenta sive a se sive ab aliis stabilita abrogandi, obrogandi aut illis derogandi vel subrogandi necnon in eisdem dispensandi.

Praeter Romanum Pontificem aut Concilium oecumenicum etiam Episcopi Bulgarorum potestate ordinaria et propria ad normam iuris ecclesiastici Byzantino-Slavi praediti (non vero Vicarii aut Administratores Apostolici, etsi charactere episcopali insigniti) et in Concilio nationali coadunati: nova impedimenta matrimonialia etiam dirimentia costituere possent.

Impedimenta matrimonii sive per legem scriptam sive per consuetudinem legitimam constituuntur.

Quia impedimenta matrimonialia proprie dicta nihil aliud sunt nisi leges aut consuetudines ecclesiasticae, cessant omnibus modis, quibus cessat lex aut consuetudo ecclesiastica.

Impedimenta matrimonialia iuris communis Praelati Romano Pontifice inferiores, etiamsi in Concilio generali adunentur, abrogare, obrogare, aut ipsis derogare aut respectivam desuetudinem confirmare aut in iisdem dispensare nequeunt, nisi specialem Pontificiam delegationem obtinuerint.

Impedimenta autem matrimonialia iuris particularis abrogare aut iisdem derogare aut respectivam desuetudinem confirmare possent Episcopi Bulgarorum iurisdictione ordinaria et propria praediti et in Concilio nationali congregati, non vero Vicarii aut Administratores Apostolici, speciali mandato secluso, modo ne de impedimentis indispensalibus agatur.

In iisdem impedimentis etiam singuli Episcopi dispensare valent iurisdictione ordinaria et propria ad normam iuris eccl. Bulgarorum Byzantino-Slavi, non vero Vicarii aut Administratores Apostolici, etsi charactere episcopali insigniti, Pontificia delegatione seclusa.

Impedimenta iuris mere ecclesiastici dubie existentia in praxi non obligant.

Abstractione a speciali concessione facta, nullo solido argumento extensio canonum 15, 1043—1044 C. I. C. in ius matrimoniale nostrae Ecclesiae comprobatur.

Conditiones autem dispensationis petendae, concedendae et exequendae sunt eaedem, servatis de iure servandis, atque in Ecclesia Latina.

## CAPUT IV.

### ANALYSIS SINGOLORUM IMPEDIMENTORUM NATRIMONIALIUM

In nostro capite separatim de impedimentis certis et de impedimentis dubiis agendum est, omnibus iis omissis, quae plene cum iure matrimoniali Latinorum concordant, quippe quae uberrime ab auctoribus probatis explicata sint.

*§ 1. Impedimenta certe existentia.*

*Impedimentum aetatis:* In evolutione historica huius impedimenti considerata secundum monumenta iuris scripti distinguendum est inter aetatem ad sponsalia requisitam et aetatem ad matrimonium necessariam. Post brevem initialem vacillationem inter viginti annos usque ad duodecimum pro muliere Ecclesia Bulgarica sicut et Ecclesia Constantinopolitana in hac re leges Byzantinas civiles recepit, secundum quas matrimonium validum vir ante decimum quartum aetatis annum completum et mulier ante decimum secundum item superatum inire non poterat; qui termini absolute determinati erant, .i e. nullam praesumptionem contrariam (e. g. „malitia supplet aetatem") admittebant et ad amussim secundum regulas iuris Byzantini civilis proprias erant computandi.[96] Pro aetate ad sponsalia ecclesiastica legitime paciscenda initio nulla praescriptio existebat in collectionibus iuris ecclesiastici Bulgarorum.[97] In praxi vero Ecclesiae Achridanae probabilius mox post promulgationem Novellae imperatoris Alexii I Comneni anno 1084, certe vero in prima medietate saeculi XIII sub archiepiscopatu Demetrii Chomateni et eodem saeculo etiam in Nomocanone Patriarchatus Tirnovitani sponsalia ecclesiastica sub hoc respectu exaequata sunt matrimonio.[98] Num hierarchia Bulgarica medio aevo eodem modo ac hierarchia Byzantino-Graeca (praesertim archiepiscopi Achridae) in praxi has regulas exacte observandas exegerit, non constat. Id unice certum est praxim ecclesiasticam ultimorum saeculorum ante Unionem insufficientem aetatem impedimentum dirimens actionis privatae considerasse, quod consequenter, nisi alterutra pars exceptionem promovisset, tractu temporis cessavisset et matrimonium absque ullo publicae auctoritatis interventu sanatum esset.[99] Principium enim iuris canonici Latini „Quod ab initio

nullum est, tractu temporis sanari nequit" in praxi ecclesiastica Bulgariae pro impedimentis matrimonialibus iuris privati dispensabilibus late sumptis non vigebat.[100] Nihil obstat, quominus non solum hoc principium, sed etiam aliae normae, quae nostrum impedimentum respiciant, in iure matrimoniali Bulgarorum Unitorum conserventur, eo magis quia abusui „iuris" popularis, ut vir puerulus mulierem superadultam uxorem duceret, Ecclesia officialiter nunquam acconsenserit[101] nec populus huiusmodi „coniuges" ad coronationem ausus sit praesentare, sed postquam et vir sufficientem adeptus sit aetatem, coronatio celebrari solita sit.[102] Quamnam praxim clerus in Bulgaria relate ad aetatem ad sponsalia ecclesiastica requisitam observavisset, nemo nobis retulit. Quia tamen in sponsalibus ecclesiaticis celebrandis metropolitae (episcopi) nullatenus interveniebant („bulla" enim nonnisi ad coronationem peragendam requirebatur) et quia clerus inferior, uti plurimum Bulgaricus, absque ullo criterio ad sponsalia benedicenda sese praestabat, nulla firma regula praxis ecclesiasticae proprie dictae dari potest.[103]

Normae proinde de impedimento aetatis in nostra Ecclesia vigentes reassumi possunt:

Vir ante decimum quartum aetatis annum completum et mulier ante duodecimum item completum matrimonium validum inire non possunt.

Matrimonium ob aetatis requisitae defectum nullum tantummodo coniuges per actionem impugnare valent. Quodsi hoc non fecerint, matrimonium tractu temporis absque ullo publicae auctoritatis interventu sanatur.

Nulla praescriptio canonica aut relate ad aetatem ad sponsalia ecclesiastica necessariam, quae ceteroquin eodem die cum matrimonio celebrari solent, aut relate ad terminum ad quem aut relate ad differentiam inter aetatem utriusque sponsi viget.

*Impedimenta impotentiae, ligaminis, mixtae religionis, professionis religiosae simplicis et sollemnis,* identico modo atque in Ecclesia Latina vigent, si solum ius matrimoniale respiciatur (non effectus poenales). Relate ad impedimentum mixtae religionis suprema S. Congregatio R. U. Inquisitionis die 12. Decembris a. 1888 instructionem de matrimoniis mixtis ad Patriarchas

Archiepiscopos et Episcopos rituum Orientalium transmisit, quae utique etiam Bulgaros Unitos obligat et cuius tenor hodie in canonibus 1060—1064 C. I. C. Latinorum continetur;[104] eodem sensu alia numerosa acta Curiae Romanae sese exprimunt.[105] Notandum tantum sponsalia secundum laudatam instructionem R. U. Inquisitionis sine dispensatione ab impedimento mixtae religionis contracta omni vi canonica carere.[106] Etiam instructio eiusdem Supremae Congregationis de modo, quo obitus alterutrius coniugis probandus est, omnes Orientales obligat.[107] Item canones C. I. C., qui applicationem privilegii Paulini explicant (1120/1127) et dissolutionem vinculi rati et non consummati concedunt (can. 1119), in universa Ecclesia catholica absque rituum distinctione obtinent.

Ut impedimentum professionis religiosae sollemnis obliget, necesse est, ut vota in sinu Ecclesiae catholicae emittantur. Nam si quis schismaticus voverit vel ingrediendi monasterium schismaticum vel illud effective ingressus vota emiserit, deinde votum illud frangens, matrimonium iniens et ad catholicam fidem conversus: *hoc ex capite* dispensatione non indiget, quia sine peccato voto illi stare nequit. Si castitatem tantum in primis vovit, eius votum etiam post conversionem tenere videtur, modo veram voluntatem vovendi habuerit, ad votum adimplendum vi ipsius iuris divini conditionati obligatur et huius matrimonium illicitum tantum et dispensatione legitimandum esset;[108] patet in Ecclesia nostra votum suscipiendi ordinem diaconatus aut presbyteratus nullum ex sese matrimonii impedimentum involvi et omnia vota privata: virginitatis, castitatis perfectae aut non nubendi tantum efficaciae habere, quantum eis ius divinum tribuerit, i. e. ipsa matrimonii impedimenta impedientia esse, ex iusta causa dispensabilia. In praesenti religiosi, qui vota publica emittunt et ad membra Ecclesiae Bulgaricae Unitae pertinent sunt: moniales Carmelitanae, sorores e Congregatione eparchiali SS. Eucaristiae, Resurrectionistae et Assumptionistae.[109]

Quoad *impedimenta ordinis et disparitatis cultus* disciplina Ecclesiae Bulgaricae ab illa Ecclesiae Latinae tantummodo relate ad subiectum passivum horum impedimentorum differt, i. e. subdiaconi legitimum matrimonium contrahere valent et impedi-

mentum disparitatis cultus omnes valide baptizatos obligat, seu plene cum iure Ecclesiae Latinae antiquo vigente usque ad novissimum Codicem concordat. In dubio de baptismo alterutrius partis eadem principia reflexa valent, quae S. C. S. Officii efformavit, quia principia haec non sunt nisi iuris divini declaratio.[110] Cum disparitas cultus sit impedimentum iuris communis, consequenter eiusdem in casu peculiari relaxatio Romano Pontifici (i. e. S. C. S. Officii) reservetur, eaedem etiam regulae atque in Ecclesia Latina pro huius impedimenti cessatione obtinent.[111] Impedimentum disparitatis cultus ad illa pauca pertinet, quae vi legis scriptae obtinuerunt. Lex tamen scripta seu Concilii oecumenici Chalcedonensis canon XIV nullatenus matrimonii nullitatem declarat; ait enim: „... Neque copulari debet nuptura haeretico, iudaeo vel pagano, nisi forte promittat ad orthodoxam fidem se personam copulandam transferre. Si quis autem hanc definitionem sanctae synodi transgressus fuerit, correptioni canonicae subiacebit." Nihilominus in praxi ecclesiastica Bulgariae vi canonis 72 Trullani matrimonium orthodoxi, i. e. valide baptizati cum non baptizato aut invalide seu apparenter baptizato semper ipso facto nullum considerabatur.[112]

Dubium de vi irritante impedimenti ordinis relate ad disciplinam matrimonialem aliquarum ecclesiarum non Byzantinarum merito moveri potest.[113] In praxi vero ecclesiastica Byzantinorum, Bulgaris non exceptis, matrimonium a diacono vel — quod absit —a sacerdote attentatum inde ab initio „adulterina et aliena congressio" considerabatur ita, ut liberi ex tali coniunctione procreati ut spurii et sacrilegi nullam unquam hereditatem consequerentur.[114] Authentice utique nihil hucusque est declaratum.

*Impedimenta cognationis* certe existentia dividuntur trifarie in impedimenta: consanguinitatis, affinitatis et cognationis spiritualis ex baptismo et adoptione in filium in sacrosanctis ecclesiis. Regulas gradus minute ac systhematice computandi in parte prima historica sect. II cap. III art. I o, describentes ius matrimoniale metropoleos Archridanae sub archiepiscopatu Demetrii Chomateni, explicavimus. Restat igitur, ut uniuscuiusque impedimenti notionem, ambitum et naturam necnon praxim dispensandi determinemus.

*Consanguinitas:* Quoad notionem, abstractione facta a diverso computationis modo, nulla utique differentia a iure Ecclesiae Latinae datur, i. e. consanguinitas uti propinquitas personarum concipitur, quae ab eodem propinquo stipite per generationem descendunt.

Item heic duae normae C. I. Can. Latinorum obtinent:

a) „In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos, tum naturales" (can. 1076 par. 1), quae norma etiam disciplinam Ecclesiae Bulgaricae refert.

b) „Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium, num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis" (can. 1076 par. 3), haec enim propositio est iuris divini interpretatio authentica.[115]

Qua de causa tota differentia in ambitu impedimenti consanguinitatis in linea collaterali stat: Dum enim in C. I. C. impedimentum usque ad sextum gradum aequalem (tertium secundum computationem canonicam) ,extenditur, in iure matrimoniali Ecclesiae Bulgaricae, usque ad septimum gradum inclusive viget, i. e. usque ad quartum tangentem primum, secundum et tertium; quintum tangentem primum et secundum; imo usque ad sextum gradum (theoretice loquendo) tangentem primum. Haec extensio rigorose, usque ad novum Codicem Iuris canonici observabatur; nam etiam in Ecclesia Latina tunc usque ad octavum gradum aequalem vigebat.[116] Post C. I. C. promulgatum Administrator Apostolicus Mgr. Petkov respondit impedimentum in septimo gradu (quarto tangentem tertium) non vigere.[117] Quae responsio tamen nec ius nec praxim posteriorem mutaverat: *non ius,* quia tum abrogatio impedimenti matrimonialis cuiuslibet ab Administratore Apostolico absque speciali mandato peracta irrita est, ut in capite praecedente vidimus, tum unica responsio in casu particulari abrogationi non aequivalet; *sed nec praxis* mutata est, quia usque ad a. 1925 dispensationes hac in re petuntur et conceduntur.[118] Ex altera parte rigorosa sententia cl. Cappello reiicienda videtur, qui ex litteris missis a Papa Innocentio IV ad Episcopum Tusculanum, legatum in regno Cypri, invaliditatem nuptiarum in octavo gradu aequali contractarum

demonstrare conatur.[119] Ex contextu enim clarum est dispositionem hanc nonnisi Graecos commorantes in insula Cypro ligare et fortasse ne ibi quidem sufficienter promulgatam esse.[120] Ceteroquin in conflictu normae disciplinae ecclesiasticae orientalis cum lege Pontificia, si utraque est mere ecclesiastica et haec (Potificia) insuper dubia, norma iuris ecclesiastici orientalis praevalet, nam omnis correctio iuris est odiosa.

Notandum pagos et regiones Bulgariae, ubi impedimentum consanguinitatis ad normam iuris ecclesiastici non observaretur, sed in indefinitum pro omnibus membris eiusdem gentis vigeret aut ubi e contra etiam consobrinis matrimonium permitteretur, unionem non recepisse.[121]

Certum est etiam vim nostri impedimenti irritantem in vigore remanere. In archivis non habetur quidem nisi unicum exemplum convalidationis matrimonii irriti propter tertium gradum consanguinitatis inobservatum,[122] ex hoc tamen nullatenus deducere licet matrimonia a quarto usque ad septimum gradum illicita tantum considerari, dum in praxi ecclesiastica usque ad Unionem semper irrita habeantur.

Praxis dispensandi pro impedimento consanguinitatis nullos limites praeter illos iuris divini naturalis sive certi sive dubii novit.[123] Administratoribus Apostolicis Bulgarorum facultates delegatae sat amplae semper concedebantur.[124]

*Affinitas:* definiri potest propinquitas personarum inter virum et consanguineos mulieris et vicissim necnon inter consanguineos utriusque coniugis ad invicem ex matrimonio legitimo orta. Propterea principium viget: affinitas parit affinitatem. Affinitatem diximus matrimonio legitimo fundari. Per vocem „matrimonium legitimum" ius nostrae Ecclesiae non intendit matrimonium inter non baptizatos valide celebratum,[125] sed matrimonium quod nullam iuris normam coniugium ipsum prohibentem offendit. Nihilominus inferri nequit impedimentum affinitatis ex matrimonio illicito, etsi valido, non oriri. Nam in disciplina matrimoniali Bulgarorum ante Unionem coniuga illegitima, quae aliquam iuris normam coniugium ipsum prohibentem laeserant, simul irrita erant iuxta illud Romanorum „ea quae iure fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis prorsus habenda

sunt" Quodsi in matrimonii coronatione praescriptio aliqua neglecta erat, quae matrimonium ipsum non impediebat: uti erant, tempus luctus, tempus clausum, locus indebitus, defectus alicuius documenti et sic porro, matrimonuim adeo celebratum validum erat neque in se illegitimum consequenter fundamentum impedimento affinitatis ponebat.[126] Dein distinctio inter matrimonium ratum tantum et ratum et consummatum disciplinae matrimoniali Bulgarorum usque ad Unionem ignota erat: idcirco impedimentum affinitatis modo post Unionem etiam ex matrimonio rato tantum oritur.

Quoad extensionem nostri impedimenti affinitas in linea recta matrimonium in quolibet gradu dirimit. In linea vero collaterali affinitas coniugium usque ad quartum gradum aequalem absque ulla exceptione dirimit.[127] Pro quinto et sexto gradu normae certae reconstrui non possunt: nam praxis ecclesiastica ante Unionem partim propter inattentionem aut ignorantiam, partim propter arbitrium aut corruptionem hierarchiae superioris valde vacillabat, nec iurisprudentia matrimonialis Ecclesiae Bulgaricae Unitae pro hisce remotioribus gradibus, sufficientem casuisticam praebet, ut omne dubium tollat. Certe matrimonium duorum fratrum (aut duarum sororum) cum duabus (duobus consobrinis (2+4) irritum esset[128], porro matrimonium cum sobrino (vel sobrina) coniugis defuncti (3+3)[129] necnon matrimonium cum filia (filiove) consobrini coniugis demortui.[130] De ceteris peremptorie non constat.



Quamvis nostrum impedimentum sit iuris mere ecclesiastici, nihilominus non semper dispensatio conceditur. Praeter impedimentum affinitates in linea tecta, consummato matrimonio, nunquam hucusque matrimonium inter duos fratres (aut fatrrem et sororem) ex una familia et duas sorores (sororem et fratrum) ex altera familia permissum est.[131]

*Cognatio spiritualis* aut ex baptismo aut ex adoptione in filium forma liturgice peracta oritur et matrimonium inter patrinum, resp. adoptantem eiusque descendentes ex una parte et baptiza-

tam, resp. adoptatam eiusque parentes ipsorumque descendentes ex parte altera dirimit.

In tota historica evolutione utriusque speciei eiusdem impedimenti extensio, respective restrictio graduum prohibitorum pari passu semper procedebat. Sub dominatione Ottomana impedimentum cognationis spiritualis etiam in praxi ecclesiastica usque ad septimum gradum inclusive extendebatur.[132] Sed mox post liberationem, imo ante ipsam impedimentum restringi coeptum est ad quintum, imo usque ad tertium gradum, i. e. pro patrino vel patrina (eiusque uxore vel marito) impedimentum relate ad baptizatum (1 gr.) comprehendit, ipsius parentes (2 gr.), ipsius fratrem vel sororem (3 gr.), ipsius filios (2 gr.), ipsius nepotes (3 gr.); pro filio (filiave) patrini impedimentum habetur cum baptizata (2 gr.) eiusque parentibus aut filiis (3 gr.); pro nepote (nepte) patrini impedimentum tantummodo cum baptizata (baptizato) (3 gr.) existeret; pro baptizato impedimentum matrimonio cum patrina (1 gr.) ipsius filia (2 gr.) aut nepte (3 gr.) obstat; pro patre (aut matre) baptizati impedimentum coniugium cum patrina filii proprii (2 gr) necnon cum filia (filiove) patrini (3 gr.) irritat; filius baptizati matrimonium validum cum patrino (patrina) parentum suorum (2 gr.) vel cum filiis eiusdem (3 gr.) contrahere nequit; denique nepos et frater baptizati invalidum matrimonium cum patrina attentarent (3 gr.). Item impedimentum inter duos baptizatos extraneos inter se, at e fonte baptismali ab eodem patrino levatos oritur.[133] Uti patet inter baptizantem et baptizatum nulla unquam cognatio et consequenter nullum unquam impedimentum oritur.

Haec omnia propterea tam sollicite enumeravimus, quia licet in archivis Ecclesiae Bulgaricae Unitae non inveniatur nisi unica convalidatio matrimonii irriti propter inobservatum secundum gradum cognationis spiritualis ex baptismo,[134] nihilominus propter evolutionem historicam ambitus huius impedimenti supponendum est extensionem nostri impedimenti saltem usque ad tertium gradum inclusive in vigore remansisse. Idem in rigore iuris de ambitu impedimenti cognationis spiritualis ex adoptione in sacrosanctis Ecclesiis dicendum esset.

Conditiones impedimenti cognationis spiritualis ex baptismo contrahendi sunt:

1. Patrinus munere suo valide fungi debet. Patrino ex ipsa rei natura valide munere suo fungi nequit, si vel intentionem huius muneris gerendi non habeat (aut habere non possit) vel si sit acatholicus; ex positiva dispositione praeterea (ad validitatem) requiritur, ut personaliter munus suum obeat: procurator non admittitur, quodsi intercedat, ipse est, qui cognationem et impedimentum contrahit.[135]

2. Baptismus validus requiritur, licet conditionate aut privatim collatus. Novissimum rituale (trěbnik) Bulgarorum praecipit, ut baptismo valide in periculo mortis a non-sacerdote collato caeremoniae praetermissae quamprimum suppleantur, *adhibitio patrino,*[136] qui tamen nisi etiam in primo baptismo interfuerit, nullam spiritualem cognationem contrahit, quia neminem suscipit. Hoc enim semper retinendum est: *momentum iuridicum in quo patrinus cognationem et ex ipsa consequens impedimentum contrahit esse susceptionem prolis ex fonte baptismali.* Dein praescriptio, ut patrinus in baptismo privato adhibeatur, in nostra Ecclesia non existit.

De conditionibus ad cognationem spiritualem ex adoptione ecclesiastica gignendam non est, cur loquanmur, cum caeremonia liturgica adoptionis in filium ex libris ritualibus hodie iam expuncta sit.[137]

*§ 2. Impedimenta dubia.*

Ex impedimentis dubiis *defectus consensus parentum* et fratrificatio tam improbabilia sunt, ut revera non amplius existere videantur. Nam etiam in matrimoniis pacifice ineundis Ecclesia Bulgarica nullum exigit testimonium consensus a parentibus matrimonium filiorum praestandi vel praestiti, quia sicut nobis actualis secretarius Curiae metropolitanae Sophiensis Ill.mus D. Cl. Paskalev retulit: secundum legem civilem etiam filia matrimonio legitimo contracto ipso iure a potestate parentum emancipatur, propterea nulla ratio prudentiae urget, ut consensus parentum requiratur. Ceteroquin vidimus: hierarchiam Graecam sub dominatione Ottomana totum hoc negotium interventus consilii familiaris in „zadruga“ aut parentum in familia simplici populo reliquisse et sponsam non tantum fugitivam, sed etiam raptam coronasse, dummodo de consensu ipsius libere praestito constitisset. Dein in archivis Ecclesiae Bulgaricae Unitae unus tantum casus repe-

ritur, quo coronatio filiae „fugitivae" denegata est, ob aliam tamen rationem: utraque enim pars cum fuisset orthodoxa, periculum aderat, ne tantum ratione matrimonii celebrandi fidem catholicam amplecterentur et coronatione obtenta statim de novo schismaticos reverterentur.[138]

*Fratrificationis impedimentum* propterea dubium est, quia in libris ritualibus ad adprobationem pontificiam propositis caeremoniae et orationes in adoptione in fratrem adhibendae non continentur.[139] Qua de causa fundamentum deest, ex quo impedimentum oriri possit: Nam quamvis *fortasse* aliqui ex sacerdotibus ad Ecclesiam catholicam ex „orthodoxia" reversi fraternitatem sanguinis inituros modo supra descripto benedicere continuavissent,[140] quia tamen benedictio illa stricte liturgica non erat, simplex autem caeremonia religiosa nullum unquam impedimentum gignebat, nisi populare, uti vidimus in parte historica, consequenter matrimonium inter eiusmodi confratres (data sexuum diversitate) ipsorumve descendentes initum vix unquam invalidum dici potuit. Opinio autem impedimenti existentis nihil refert, sicut ex altera parte validum est coniugium contractum cum simplici errore circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem.[141] Etiam Bulgari „orthodoxi" inde a constitutione Exarchatus fratrificationem qua matrimonii impedimentum reiecerunt.[142]

Theoretice loquendo *impedimentum quasi-affinitatis ex sponsalibus ecclesiasticis* eo usque sese extendere debebat, quousque impedimentum affinitatis simplicis (dvoerodie) ex matrimonio sese extendit.[143] Ob inconstatem tamen praxim saeculorum Unionem praecedentium hoc impedimentum sicut impedimentum ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis dubium evasit. Certe *ligamen ex sponsalibus ecclesiasticis,* si impedimentum certum constitueret, nunquam vi ipsius iuris divini naturalis nisi impediens esse poterat. In iurisprudentia matrimoniali nostrae Ecclesiae tantummodo una vice dispensatio ab impedimento publicae honestatis propter sponsalia cum sorore sponsae contracta et dein ex mutuo consensu soluta petita est,[144] sed est textu originali clarum est non de sponsalibus ecclesiasticis (obručenie), sed de sponsalibus iuris popularis actum esse (godež), ex quibus neque

secundum consuetudines nationales neque secundum praxim ecclesiasticam ullum unquam impedimentum oriretur. Tota quaestio a sacerdote advena in ritu Ecclesiae Latinae educato probabiliter dota est. Analysis minuta horum impedimentorum, quasi-affinitatis scilicet et ligaminis eq sponsalibus ecclesiasticis, omni valore practico careret, quia celebratio sponsalium ecclesiasticorum separatim a matrimonio nunquam permittitur.

Impedimentum adulterii nunquam in nostra Ecclesia ad normam iuris canonici Latini vigebat, i. e. ad ipsum constituendum adulterium qualificatum non requirebatur, sed adulterium simplex sufficiebat; ex altera parte vero necesse erat, ut hoc crimen notorium fieret notorietate iuris seu ut ad forum contentiosum saltem per accusationem legitimam deferretur. Ita si leges impedimenti ex collectionibus usitatis haurirentur.[145] Praxis autem ecclesiastica ante Unionem sese gerebat vel sese gerere cogebatur, velut si hoc impedimentum non existeret.[146] Dein in iurisprudentia Ecclesiae Bulgaricae Unitae ne unum quidem exemplum habetur.[146] Nullum dubium tamen, quin tribunalia eparchialia nostrae Ecclesiae potuerint et possint propter crimen adulterii iudicialiter comprobatum ferre sententiam condemnantem reum ad coelibatum necnon administratores apostolici (et a fortiori Episcopi residentiales ad normam iuris Byzantino-Slavonici Bulgarorum praeconisati) potuerint et possint propter idem adulterii delictum, quotiescumque sit notorium notorietate iuris, reum prohibere a matrimonio contrahendo. Utraque auctoritas insuper clausulam irritantem addere valet, nam in hoc casu nullum ius Summo Pontifici reservatum usurparet, sed explicaret dubiam iuris normam iuxta adagium: *Consuetudo* (secundum ius) *optima iuris interpres.*

Quodsi hoc nunquam fecit, dicendum est impedimentum nostrum esse saltem in via desuetudinis. Idem valet de impedimento *affinitatis ex trigeneia* seu affinitas, quae inter tres familias (primam et tertiam) intercedit; quod impedimentum in praxi ecclesiastica ante Unionem saltem in primo (si non in secundo et tertio) gradu coniugium certe dirimebat. In disciplina matrimoniali Bulgarorum „orthodoxorum" nonnisi primus gradus affinitatis ex tribus generibus matrimonium irritat.[148]

## *CONCLUSIO.*

Singulorum impedimentorum matrimonialium notio, natura iuridica et ambitus, prout sequitur definiri potest:

Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi et amplectendi statum religiosum. Quae vota tantum vi iuris divini positivi, conditionati obtinent.

Impedimentum mixtae religionis eodem modo viget, atque in canonibus 1060/1064 C.I.C. Lat. definitur. Nisi in ipso dispensatum fuerint, sponsalia ecclesiastica irritat.

Nisi iusta causa excuset, ligamen ex sponsalibus ecclesiasticis proveniens dubie matrimonium cum aliis personis impedit.

Quamvis maxime expediat, ut coniugia parentibus consentientibus contrahantur, nihilominus defectus assensus eorum nunquam illud irritare potest.

Vir ante decimum quartum aetatis annum completum, mulier ante duodecimum item completum matrimonium validum inire non possunt. Nihilominus matrimonium ob aetatis defectum irritum, nisi alterutra pars tempore utili actionem nullitatis promoveat, tractu temporis absque ullo publicae auctoritatis interventu sanatur.

Impedimentum impotentiae ad normam iuris divini naturalis viget, prout in canone 1068 C. I. C. et in iurisprudentia S. C. S. Officii authentice declaratur.

Idem dicendum de impedimento ligaminis, de quo in canone 1069 et 1118—1127 C. I. C.

Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata. Baptismus dubius relate ad matrimonium de iure tantum baptismus validus praesumitur. Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060/1064 praescripta sunt, applicari quoque matrimoniis debent, quibus impedimentum disparitatis cultus obstat.

Invalide matrimonium diaconi, presbyteri, Episcopi attentarent.

Item invalide matrimonium utriusque sexus attentant religiosi, qui vota solemnia in sinu Ecclesiae catholicae professi sunt aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostoltcae praescripto vis addita est nuptias irritandi.

Adulterium ad forum contentiosum saltem per accusationem deductum matrimonium irritat, si aut iudicialis sententia ad coelibatum condemnans aut vetium Episcopi (catholici tamen!) vel administratoris Apostolici, clausula irritante addita, latum sit; secus (in praxi saltem) adulterii impedimentum non tenet.

In linea recta consanguinitatis matrimonium inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos, tum naturales irritum est Nunquam matrimonium permitti potest, si quam dubium subsit, utrum partes consanguineae sint in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae collateralis. In linea collaterali coniugium usque ad septimum gradum inclusive (intelligitur computationis civilis) irritum est.

Affinitas in linea recta matrimonium in quolibet gradu dirimit; in linea collaterali usque ad quartum gradum aequalem (computationis civilis), retento principio: affinitas parit affinitatem. A quarto gradu inaequali usque ad sextum gradum ea tantum confugia certe irrita dici possunt, quae uti talia etiam in praxi ecclesiastica post Unionem considerata sunt.

Affinitas ex tribus generibus propter quasi-centenariam desuetudinem dubie matrimonium usque ad tertium gradum inclusive irritat.

Impedimentum quasi-affinitatis ex sponsalibus ecclesiasticis eousque extenditur, quousque affinitas simplex dicta „dvoerodie" patet, sed propter vacillantem praxim ecclesiasticam ante Unionem dubie matrimonium irritat.

Cognatio spiritualis aut ex baptismo aut ex adoptione in filium, formal liturgica peracta, oritur et dirimit matrimonium inter patrinum resp. adoptantem eiusque descendentes ex una parte et baptizatam, resp. adoptatam eiusque parentes, ipsorum descendentes ex parte altera usque ad tertium gradum inclusive.

Fraternitas sanguinis (pobratimstvo, posestrinstvo), ut impedimentum ex ipsa oriretur, concludi deberet per caeremoniam liturgicam sensu stricto acceptam inter personas, quae ex consuetudine patriculari, i. e. locali simul ac gentilicia, certe ac legitime canonisata impedimento hoc ligantur. Quae conditiones practice vix unquam verificantur.

## APPENDIX

### I. DE CORONATIONE NUPTURIENTIUM SEU DE „IMPEDIMENTO" CLANDESTINITATIS

In quaestione de existentia impedimenti clandestinitatis pro fidelibus ritus Byzantini in Curia Romana pluries acriter disputata,[149] haec extra omne dubium poni possunt:

1. Orientales omnes vi canonis 1 et 1099 § 1 n. 3 sub sanctione nullitatis ad formam Codicis Iuris Canonici servandam tenentur, quotiescumque matrimonium cum Latinis ad formam adstrictis ineunt.

2. Etiamsi dubia fortasse aliquibus videatur existentia impedimenti clandestinitatis pro Bulgars ritus Byzantino Slavonici, consuetudine plus quam centenaria post Unionem adprobata non obstante, certi tamen sunt limites huius impedimenti. Nempe: matrimonium semper validum est, quotiescumque a sacerdote valide ordinato benedicitur vel coronatur. Neque „bulla" metropolitae (quae apud Unitos in usu non est) neque parochi proprii adsistentia, respective ipsius licentia aut delegatio ad validitatem vel liceitatem requiritur.[150] Etiam Curiae Romanae et Ecclesiae Bulgaricae iurisprudentia eiusmodi matrimonia clandestina (non coram proprio parocho celebrata) valida considerat.[151]

3. Certum est etiam hierarchiam Bulgariae sive Graecam sive Bulgaricam semper inde a saec. IX. observantiam coronationis requisivisse; nullam tamen unquam legem de hac re tulisse.[152]

Ergo norma de forma substantiali coronationis ad validitatem nuptiarum requisitae tantummodo *per consuetudinem legitimam* obtinere potuit. Consuetudo autem legitima praeter legem iuxta normas generales nostrae Ecclesiae ea dicitur:

1. Quae vetus est, i. e. vel ab immemoriali vel saltem centenaria existit.

2. Nullatenus cum iure divino sive naturali sive positivo pugnat.

3. Tacite saltem a legislatore competente adprobatur.[153]

Intelligitur utique requiri praeterea ad consuetudinem legitimam introducendam ea omnia, quae haec norma iuris non scripta in suo conceptu intrinseco contineat, i. e. consuetudo debet referri:

1. ad communitatem legis recipiendae capacem;

2. quae uti talis per tempus a iure positivo requisitum actus ponebat: a) publicos; b) relative frequentes; c) liberos (nec vi, nec metu, nec errore, nec ignorantia vitiatos); d) continuos (non interruptos),

3. cum intentione sese obligandi.

Quodsi impedimentum clandestinitatis per eiusmodi consuetudinem introductum sit, vix aliquod dubium doctrinale revera fundatum contra praedicti impedimenti existentiam moveri potest.

De observantia formae matrimonii substantialis a saeculis schisma praecedentibus usque ad saeculum decimum quintum perpauca scimus. Responsum II. Nicolai I. Papae prodit: Graecos Bulgaris inde ab initio necessitatem coronationis ad nuptiarum validitatem inculcasse. Plura exempla coronationis nobilium Bulgarorum in Ecclesia medio aevo durante necnon frequentia matrimonia eorundem cum nobilibus imperii Byzantini contracta clare indicant a nobilibus Bulgaricae nationis usum observatum esse, ut matrimonia ipsorum coram presbyteris vel episcopis celebrarentur; diffusio vero sectae Bogomilorum aliarumque haereseon Bogomilismo affinium inter populum agricolam contrariam potius dant praesumptionem. Etiam responsa Demetrii Chomateni, codex Stephani regis Dušan (pro Macedonia) et epistula ultimi Patriarchae Tirnovitani Euthymii ad metropolitam Hungaro-Valachicum Anthimum aliaque documenta nullatenus universalem et constantem consuetudinem nupturientes a sacerdotibus supponunt.[154]

Nihilominus de existentia nostri impedimenti non posse dubitari videtur. Etenim:

1. nullum dubium, quin ecclesia nostra legis recipiendae capax sit societas.

2. nullum etiam dubium, quin praxis ecclesiastica totius Bulgariae ante Unionem inde saltem a medietate saeculi XVIII. coronationem sponsorum in Ecclesia ut regulam generalem introduxerit. De hoc testimonium perhibent omnes collectiones iuris popularis compositae ex interrogationibus et responsis aetate maiorum, quorum memoria immediata usque ad a. 1800 imo et 1790, mediata dein usque ad annos 1700/1750 perveniebat. Idem ceteroquin numerosa itineraria attestantur;[155]

3. certum est etiam agi in casibus de actibus: a) *publicis* nam matrimonia clanculum celebrata neque canones neque praxis ecclesiastica neque consuetudines Bulgariae nationales noverunt;[156] b) *relative frequentibus:* nam etiam in casu raptus, fugae et intrusionis coronatio celebrata est;[157] c) *liberis:* i. e. nullo voluntarii liberi vitio (metu, violentia [passione] errore, ignorantia) infectis: Nam populus Bulgaricus usque ad novissima decennia coronationem elementum essentiale sacramenti matrimonii non considerabat,[158] propter quod impedimentum clandestinitatis ex errore aut ignorantia non observabat neque usque ad Status Bulgarici constitutionem unquam a functionariis publicis ad Ecclesiam pro coronatione recipienda adeundam cogebatur. Turcae enim in negotia uiris privati sese emmiscere non solebant.[159] Coronatio, uti diximus in capite IV partis I sect. II, uti plurimum domi peragebatur, proinde neque metu coram metropolitis Phanarioticis saltem in pagis, praesertim remotioribus, populus adigebatur, ut sacerdotem ad coronas sponsis imponendas advocaret.[160]

4. Fatendum quidem est observantiam coronationis tempore *Kirdžalium* (1792—1804) interruptam esse at non voluntarie, sed propter sacerdotum defectum et non ubique, sed in quibusdam regionibus tantum;[161] idcirco eiusmodi interruptio consuetudini contrariae nullatenus favet.

5. Fatendum etiam populum nunquam intentionem habuisse sese obligandi ad aliquam formam matrimonii substantialem observandam. Hanc tamen intentionem clerus universus habuit, qui licet iurisdictionis fori externi (potestatis legislativae) fortasse expers, nihilominus tempore Unionis una cum populo Summum Pontificem rogavit, ut et praxim ecclesiasticam hucusque vigentem confirmaret et conservaret. Propterea dicendum: saltem momento Unionis adprobationem (licet tacitam) legislatoris competentis accessisse. Tacitam autem adprobationem ad evehendam observantiam ecclesiasticam in sphaeram iuris positivi plene sufficere omnes concedunt.

6. Vix obiici potest intentionem cleri obligationem impedimenti clandestinitatis inducendi per errorem vitiatam esse de quo in capite III. praeliminari locuti sumus, secundum quem forma coronationis ad validitatem propterea requiritur, quia essentiale ele-

mentum ipsius constituere praesumitur. Nam hic error, uti cl. Jugie solide probavit,[162] nonnisi a saec. XIX. communis evasit, dum e contra intentio cleri impedimentum clandestinitatis inducendi inde ab initiis nostrae Ecclesiae clare manifestatur!

Nulla proinde solida ratio existere videtur, propter quam validitas matrimonii absque ullo sacerdotis interventu initi sustineri posset. Quia vero obligatio coronationis recipiendae ex iuris norma positiva seu praeceptiva profluit, quae semper, at non pro semper obligat, quaeri potest in quibusnam circumstantiis obligatio cesset. Quaelibet dispositio hac in re deest: consequenter ad ius suppletorium recurrendum est, quod est ius Ecclesiae Latinae et congrua congruis referendo applicandus est canon 1098 C. I. C. Latinorum.

## II. DE VALORE MATRIMONII DUORUM BULGARORUM RITUS ORIENTALIS ANTE CONVERSIONEM AD ECCLESIAM CATHOLICAM CONTRACTI

Haud exceptionales sunt casus, in quibus coniuges, postquam matrimonium coram sacerdote Bulgarico nondum unito inierunt, in sinum verae Christi Ecclesiae revertuntur. Factum conversionis persaepe quaestionem de valore matrimonii tempore schismatis contracti implicat.

Patet quaestionem tantum de impedimentis iuris mere ecclesiastici late sumptis versari posse.

In ecclesia Latina in hoc casu principium can. 87 applicatur, qui canon ex ipsa rei natura etiam Orientales afficit: Ergo Bulgari etiam non Uniti, nisi expresse vel aequivalenter eximantur, postquam valide baptizati sunt, saltem illis legibus matrimonialibus mere ecclesiasticis tenentur, quae Ecclesiae catholicae ritus tam latini, quam Byzantini communes sunt tempore, quo matrimonium eorundem celebratum est.[163]

Ita ante novum Codicem Iuris Canonici promulgatum communia impedimenta dirimentia erant: aetatis (licet ex parte tantum), disparitatis cultus, ordinis diaconatus, presbyteratus, episcopatus, consanguinitatis in linea collaterali usque ad quartum

gradum tangentem tertium, professionis sollmnis, quae tamen, si in monasterio schismatico emissa fuerit matrimonium irritare nequit, nisi ad summum ut votum privatum castitatis perfectae obligari potest, porro impedimenta: affinitatis, ex matrimonio valido etiam rato tantum provenientis in linea recta in quolibet gradu, in linea collaterali saltem usque ad quartum gradum aequalem (computationis orientalis) et impedimentum cognationis spiriualis ex baptismo inter levantem et levatum (vel levatam) necnon inter patrinum (patrinamve) et baptizati (baptizatae) parentem.[164]

Post codicem Iuris Canonici communia remanserunt impedimenta: cognationis spiritualis ex baptismo inter patrinum et levatam, affinitatis et consanguinitatis, prout in C.I.C. Latinorum definiuntur, impedimentum ordinis diaconatus, presbyteratus, episcopatus et ex parte impedimentum aetatis.[165]

Attamen praeter has normas communes multae in utraque Ecclesia normae particulares habentur. Quodnam est ius quod matrimonio duorum acatholicorum Bulgarorum ritus orientalis applicari debet? Utrum ius Ecclesiae Latinae, an disciplina matrimonialis Ecclesiae Bulgaricae Unitae, an dispositiones matrimoniales Bulgarorum „orthodoxorum" ad normam iuris divini correctae? Prima possibilitas ab ipso C.I.C. Latinorum in can. 98 excluditur, qui canon pro omnibus baptizatis sive unitis sive schismaticis obtinet.[166]

Tertia possibilitas cum intricatissima et quondam acriter disputeta quaestione cohaeret de valore iuridico consuetudinum aut canonum tempore schismatis introductorum. Alii cum Doctore Angelico censent: „Potestas iurisdictionis in schismaticis et haereticis non manet; unde non possunt nec absolvere nec excommunicare nec indulgentias facere aut aliquid huiusmodi: quod si fecerint, nihil est actum."[167]

Alii e contra cum Suaresio, Arcudio, Albitio et cum Thoma a Iesu qui optimum scripserat opusculum „De unione schismaticorum cum Ecclesia catholica procuranda" subtilius distinguentes docent: „Si quis schismaticus sit *tolleratus et communi errore,* populi habitus pro legitimo, non videtur dubium, quin omnes actus iurisdictionis alias requirentes sint validi. Si vero presbyter vel episcopus sit *manifestus* schismaticus: tunc aliqui dicunt non

valere gesta per ipsum, illa, inquam, quae requirunt iurisdictionem. Aliis vero placet valere omnia in casu quo schismaticus *non sit nominatim excommunicatus* vel manifestus clerici percussor".[168]

Documenta, quae inserviebant tanquam fundamentum harum discussionum, sunt: constitutio concilii Constantiensis *Ad evitanda* (decretalis extravagans), constitutio concilii Lateranensis V. sessionis 11, § „Statuimus insuper" et bulla Pauli IV. *Cum ex apostolatus* anni 1559 Kalendis Martii.[169]

Tamen ni fallimur, quaestio de valore iuridico consuetudinum et canonum tempore schismatis introductorum seu quaestio de iurisdictione hierarcharum dissidentium, ut bene solvatur, in duas quaestiones separatas est dividenda: Primo enim quaerendum est, utrum hiearchae dissidentes potestate iurisdictionis (legislativae) donentur; secundo tantum, utrum ipsa qua excomunnicati priventur.

Est enim veritas inconcussa tantummodo episcopatum esse iuris divini, sed singulos episcopos eorumque iurisdictionem, sedes et territorium esse iuris mere humani et idcirco singulos episcopos canonica missione indigere, quae missio canonica proprio et nativo iure est penes Romanum Pontificem ita, ut nullus episcopus sit legitimos, nisi sit a Rom. Pontifice vel immediate vel mediate in episcopatus officium assumptus aut per confirmationem ad communionem cum Sede Apostolica admissus.[170] Quodsi Episcopi comprovinciales (in Oriente) vel capitula ecclesiarum cathedralium (in Occidente) vel principes saeculares aliique laici vel clerici partes quasdam in nominandis episcopis habuerint, id ex tacita vel expressa concessione Romani Pontificis repetendum est. A fortiori collatio potestatis superepiscopalis nonnisi a Rom. Pontifice emanare potest.

Attamen pro hierarchia dissidente *tacita concessio iuris exercitii designandi personam episcopi* (et conferendi potestatem superepiscopalem) *concessio, inquam, iuris Rom. Pontificis nativi et proprii* nunquam supponi potest. Nam si hierarchae dissidentes iurisdictione ordinaria fori tam externi quam interni a Summo Pontifice donarentur, ipse Summus Pontifex agnosceret tacite „ecclesiam orthodoxam" qua societatem legitimam et consequenter negaret unam ex qualitatibus verae Christi Ecclesiae essentialibus, *unitatem.*

Nihilominus propter publicum animarum bonum Ecclesia praeventive supplet iurisdictionem tam fori externi quam fori interni in errore communi et in dubio positivo et probabili.[171]

En unica via, unicus titulus, quibus hierarchae dissidentes iurisdictionem adquirere videntur!!!

Sed contra applicationem legis „Barbarius" in favorem cleri schismatici iuste obiiciebatur ante Codicem: „Requiritur ad validitatem eorum, quae fiunt a Praelato putativo, ut error communis sit facti, non autem iuris ... at hoc casu ... schismatici non ignorant factum, id est non ignorant se esse praecisos ab unitate Ecclesiae Romanae: id enim est notorium nec ab ipsis negatur; sed ignorant ius, quia false credunt eos (= Praelatos „orthodoxos") esse catholicos, habere titulum et posse et rite et recte sacramenta administrare, leges ferre, excommunicare et alia huiusmodi. Atqui repugnat, ut Ecclesia velit fovere hunc errorem haereticorum et eidem errori innixa illis tribuere iurisdictionem..."[172]

Quae obiecto etiam post Codicem Iuris Canonici in vigore remanere videtur.[173]

Utrum dubium positivum et probabile invocari possit ut titulus, propter quem hierarchae dissidentes iurisdictione suppleta gauderent (cum theologi et canonistae magni nominis, qui sententiam affirmativam tenerent non defuerint,[174] necne: decidere non valemus; nostro tamen modesto iudicio sententia illa affirmans: hierarchas dissidentes iurisdictione ordinaria etiam fori externi gaudere potestate, probabilis dici nequit: argumentis enim negativis nititur, gratis iurisdictionem esse concessam supponit et tantum conatur probare excommunicationem aliasque poenas ecclesiasticas illam (plerumque saltem) non auferre.[175]

Sunt igitur actus legislativi hierarchiae dissidentis saltem dubii, et cum de dubio iuris agatur, leges illae pro neoconversis, matrimonio ante conversionem contracto, certe non urgent; nam matrimonium etiam in iure Ecslesiarum orientalium favore iuris gaudet.

Concludendo igitur dicendum: valorem matrimonii duorum Bulgarorum ritus orientalis ante conversionem ad Ecclesiam catholicam contracti secundum leges consuetudinesve in Ecclesia catholica Bulgarica Unita vigentes tempore, quo matrimonium celebratum est, diudicandum esse.

[81] En primo elenchus episcoporum (aut sacerdotum) administratorum ecclesiae Bulgaricae Unitae:

Jos. Sokolskij a. 1861, Archiep.
Petrus Arabadžiskij a. 1862, Sac.
Fr. Malcynski a. 1863—65, Sac.
Raphael Popov a. 1865—76, Ep.
Nilus Izvorov a. 1876—83, Ep.

Anno 1883 Ecclesia nostra divisa est in duas provincias i. e. unam Macedoniae, alteram Thraciae. Exc.mus Nilus Izvorov remansit Constantinopoli ut repraesentaret Bulgaros Unitos in Turchia superstites ante „Portam Ottomanam". Post ipsius mortem 1895, successor ipsius nominatus est Michael Mirov 1895—1923 Ep.

| Macedonia | Thracia |
|---|---|
| L. Mladenov, 1883 – 95, Ep. | Mich. Pitkov, 1883--1920, Ep. |
| Epiph. Scianov, 1895—1918, Ep. | |

Exinde de novo duae provinciae unitae sunt.
Chr. Kondov, 1920—1924, Sac.
Kozarov 1924 – 1926, Sac.
Cyr. Kurtev, 1926— Ep.

[82] Litterae nominatoriae pro J. Sokolskij, P. Arabadžiskij Fr. Mulczynski, Raph. Popov habentur apud Mansi tom. 45, col. 93, 95, 99, 109, 161, 165; pro Nilo Izvorov in „Ius pontificium de prop. Fide" a cl. Simeoni et de Martinis, Romae 1894, VI., pars I. n. 560 pag. 317—318. Pro ceteris omnibus respectiva documenta iacent adhuc in archiviis Constantinopoli et Sophiae. Nominationi Exc.mi D. L. Mladenov, M. Petkov addita est praecisa enumeratio facultatum et quidem form. II. exceptis numeris 18, 20, 22. Cf. Collectanea constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis pro missionibus exteris", Parisiis 1880, n. 31—33, pag. 18—24.

[83] Totum „verbale" i. e. relationes ad Sanctam Sedem ante nominationem missas Cf. apud Mansi 45, col. 35—47.

[84] Ibidem col. 46.

[85] Apud Giovine o. c. pag. 76. Sed iam longe antea proclamat idem principium Papa Bonifacius VIII in Epistola ad Patriarcham Armenorum Gregorium „Quod solus Papa Romanus potest in universalibus legibus dispensare"; propter quod nullam fuisse declarat dispensationem factam ab Armeno Patriarcha Stephano (Gregorii praedecessore) in impedimentis matrimonii .. ait Divus Thomas in III. qu. 67 art. 4 ad 3: In lege humana non potest dispensare nisi ille a quo lex auctoritatem habet vel is cui ipse commiserit. Cf. apud Ang. M. Verricelli „Quaestiones morales" seu tractatus de apostolicis missionibus, Venetiis 1656, tit. III. qu. 87, n. pag. 19—20.

[86] Ut persuasum habeamus enumerata impedimenta esse iuris communis necesse est ut consulamus studia cl. Esmein „Le mariage en droit canonique" Paris 1929—35 et J. Dauviller Ch. De Clerq „Le mariage en droit canonique Oriental" Paris 1936.

[87] Cf. notam 58.

[88] Quidam opinantur posse ad orientales extendi omnes leges favorabiles Codicis Iuris Canonici. At argumentis solidis nemo hucusque sententiam illam demonstraverat. Cf. Michiels o. c. pag. 46—47; Monitore Ecclesiastico l. c. Van Hove pag. 7.

[89] Cf. notam 82.

[90] Nam apud Orientales sacerdotes nunquam eiusmodi facultatibus gaudent. Cf. Zankov „Die Verwaltung der bulg. Kirche" Halle 1920, pag. 134.

[91] Nullam enim continent interpretationem iuris divini; nec sunt eiusmodi, ut frustrentur, nisi et Orientales ligarentur.

[92] ASS. XX. (1887) 543.

[93] ASS. XXII. (1889—90) 640.

[94] Tractatus de sacramentis vol. III. Romae 1927, ed. 2 pag. 967.

[95] Primum principium nequit applicari quia deest dubium positivum; nec secundum secus omnes facultates etiam exceptas in canone 1043 sibi unusquisque sacerdos arripere posset.

[96] Basilicalia XXVIII 1, 7; Prochir. IV, 3; Peira XLIV c. 34; Novella Alexii I. Comm. apud Zachariae Ius Graeco Romanum III., 381.

[97] Cf. partem I., sectionem II., cap. II., art. II., § 2 nostri studii.

[98] Cf. partem I., sect. II., cap. III., art. II., § 3 nostrae theseos.

[99] Baldžiev o. c. SNU fasc. 4 pag. 181—184.

[100] Ibidem pag. 186—193; patet non semper principium illud applicari posse in iure Bulgarorum Unitorum.

[101] Marinov „Жива Старина" IV., pag. 141—142. E. contra B. N. Boev (o. c. pag. 18 in nota) refert: „Въ Котлѣ даже помнять свадьбу 13-лѣтнаго мальчика. Его женили по какимъ-то соображеніямъ. Когъа нужно было уже идти къ вѣнцу, его нашли играющимъ на улицѣ съ ребятами. Чтобы не было препятствий къ вѣнчанию сказали что ему 14 лѣтъ" et addidit: „метрическихъ книгъ въ церквахъ до отдѣленія Болгарской церкви отъ Греческой не было".

[102] l. c.

[103] Cl. Boev cum quadam ironia ait: „Надо одать справедливость нашему духовенству. До послѣднаго времени (i. e. usque ad a. 1860 circiter) оно вѣнчало всегда и краденых и приставшихъ и съ согласия и безъ согласия, какъ самой невѣсты такъ и родителей" o. c. pag. 10 sq.

[104] ASS XXII, 1889—90, 636.

[105] Cf. e. g. CCO Fonti II, 337—351. Eodem sensu feruntur instructiones Curiae metropolitanae Unitorum.

[106] l. c. n. 9.

[107] Gasparri C.I.C. Fontes vol. IV. n. 1128 et 1135.

[108] Cf. J. Borgomanero „Quaestiones practicae theologiae moralis ad usum missionariorum praesertim orientalium regionum", Romae 1910, casus VIV., pag. 85.

[109] Sorores „Eucharistinae" nonnisi a die 13. Septembris a. 1935 vota publica emittere valent. Arch. Sophiae reg. n. 127.

[110] Respectiva documenta cfr. ad calcem § 2 can. 1070.

[111] Regulas synthetice explicat e. g. Chelodi" „Ius matrimoniale" Tridenti 1921 ed. 3, n. 81.

[112] Textus ipse canonis est clarissimus. Cf. meliorem editionem apud Pitra c. c. II. pag. 59.

[113] Cf. nostrum studium „Impedimentum Ordinis sacri in iure Ecclesiarum Orientalium Unitarum" in „Ephemeridibus theologicis cleri catholici in Čechoslovachia a. 77 102, anno 1936, pag. 238—256.

[114] 45 Cod. I. 3; Nov. 143 cap. 14; receptae in collectiones Byzantino-Slavonicas item ac. can. 3 Trull.

[115] Nota differentiam cum can. 1068 § 2; ratio est, quia illic agitur de impedimento absoluto, heic 1076 § 3 de relativo.

[116] Cf. Wernz o. c. tom. IV. pars II. 412.

[117] Archivum Sophiense in registr. (6. XII. 1923).

[118] Ibidem 6. I. 1925.

[119] Ibidem „Il diritto matrimoniale delle Chiese orientali" in ephemeridibus „Civiltà Cattolica" 1930, n. 291.

[120] Cf. apud Vericelli l. c.

[121] Actualiter Uniti vivunt: Sophiae 1500, Plovdiv 500, Stara Zagora, Kazanlik, Jambol, Sliven, Burgas, Varna, Šumen, Svilengrad, Malko Tirnovo (Pagos vicinos indicare omitto!)

[122] Arch. Soph. Reg. 109, (1933).

[123] Arch. Soph. Registr. n. 33 (1923), 77 (1929), 31 (1930), 86, 87 (1932). Arch. CP. Reg. n. 27 (1877). Praeterea multae aliae recentiores non registratae habentur dispensationes.

[124] Cf. allegatam iam in nota 82 formulam II.

[125] Cf. can. 1015, § 3.

[126] Cf. Zhisman pag. 292—294.

[127] Archiv. Soph. Reg. 236 (1936), 14, 105; (1933) 25 (1934) 239 (1936).

[128] Ibidem non reg.

[129] Ibidem non reg.

[130] Ibidem non reg.

[131] Cf. notam 127.

[132] Cf. documenta allegata in nota 705 partis I.

[133] De hoc ultimo apud Baldžiev o. c. SNU V. 190.

[134] Archivium Constantinop. Inreg. (14. VI. 1864).

[135] Cf. Baldžiev o. c. SNU V 180—190 n. 4.

[136] Ita „Trěbnik" novissimae editionis Sophiae (1929) pag. 87 nota.

[137] Cf. editionem anni 1910 editam Constantinopoli.

[138] Arch. Soph. (datam praecisam consulto omittimus.)

[139] Inde ab initio Bulgari Euchologio Rutenorum Unitorum utebantur ed. Przemysl 1886, ubi nihil de fraternitate sanguinis.

[140] „Forsan" praesertim in Macedonia. Cf S. St. Bobčev „Sbornik" pag. 75-85.

[141] Cf can. 1084

[142] Ita iam ceteroquin antiquatum manuale officiale Genadiev „Bračnik" Plovdiv 1887, § 56.

[143] Cf. Zhisman o. c. pag. 361—366.

[144] Arch. Soph. inreg.

[145] Cf. partem I., sect. II., cap. IV., art. 1, § 2 nostrae theseos.

[146] Cf. partem I, sect. II., caput IV., art. 2 notam 723.

[147] E contra legimus in archivo Constantinop.: „Votre Eminence sait que dans l'Eglise Orientale se prononce la dissolution du mariage même quoad vinculum quand l'un des époux est convaincu d'adultère. Or il arrive souvent que l'un des époux se faisant catholique, le conjoint resté schismatique demande la dissolution de son mariage qui est toujours prononcé par l'autorité écclésiastique et convole à des nouvelles noces. Que faut il faire? Peut on considerer le mariage comme réélement dissous et permetre aussi à la partie catholique de nouveaux liens que la dissolution ait été prononcée soit avant soit après sa conversion le prémier conjoint s'est dejà marié de nouveau légitimement est validement suivant le canon en vigueur de l'Eglise Orientale." Ita interrogaverat Msgr. Raphael Popov Episcopus administrator Ecclesiae Bulgaricae Unitae S. Congregationem de Prop. Fide die 10. V. 1870.

[148] K. Tančev, Sofia 1932, II. 965.

[149] Cf. praesertim privata quattuor studia cl. Aem. Herman, F. Cappello, Suarez, R. mi Hippolito ad sententiam Rotalem nondum editam 690/32 a. 1933—34.

[150] Cf. partem I., sect. II., cap. IV., art. 2 nostri studii.

[151] S. C. Orient. 204—33 die 17. III. 1933 et inregistrati casus in Arch. Soph.

[152] Cf. partem I., sect. II., cap. II., § 2; caput III., art. I., § 1., notam 383; art. 2., § 3., notam 486; caput IV., art. 2., n. 16 praesentis dissertationis.

[153] Cf. partem I., sect. I., caput I., § 4 huius operis.

[154] Cf. eadem documenta in notis partis I. 383, 434, 439, 487; 494, 495.

[155] Cf. notas partis I.: 620, 728.

[156] Cf. partem I., sect. II.; caput IV., art. 1 et art. 2.

[157] Cf. notam partis I. 728.

[158] Cf. partem I., sect. II., caput IV., art. 2 princ.

[159] Cf. partem I., sect. II., caput IV., art. 3., § 1.

[160] Cf. partis I. notam 748.

[161] Cf. part.s I. notam 730.

[162] Cf. partis I. notam 153.

[163] In toto codice distinguenda sunt principia catholica ab illis mere latinis. Si quae lex identico modo in Ecclesia tam latina quam Byzantina catholica viget, licet apud latinos per legem pontificiam et apud Orientales per consuetudinem introducta fuerit et licet sit norma iuris mere positiva, absque dubio pro omnibus baptizatis utriusque ritus valet nisi expresse eximantur. Est enim Ecclesia societas perfecta et necessaria.

[164] Cf. e. g. Wernz o. c., Zhismann o. c., Dauviller-De Clerq o. c., Milash o. c., etiam partem I., sect. II. nostri studii.

[165] Cf. C.I.C. cum operibus iuris ecclesiastici matrimonialis Orientalium citatis in nota 164.

[166] Cf. fontes ad calcem huius canonis allegatos necnon can 6., n 2.

[167] II. q. 39 art. 3. Inter fautores huius opinionis profundissime cl. Fagnani quaestionem hanc examinaverat in suo Commentario in V. Librum decretalium Venetiis 1729, pag. 100–116. Cf. ibidem auctores ab ipso allegatos.

[168] Ita Thomas a Iesu o. c. editum in Migne „Theologiae cursus completus" Parisiis 1841, tom. V., col. 496. Cf. etiam Fr. Albitius l. c. Vericelli l. c., Suarez „De Fide" disp. 21 sect. V., n. 11, 15; Azorius „Institutiones theol. moralis" I., lib. VIII., caput XX., q. 12.

[169] Apud Fagnani l. c.

[170] Cf. Wernz o. c. II. 2., n. 736.

[171] Post C.I. Can.can. 209. Ante ipsum erat principium tantum doctrinale et in iurisprudentia consuetudinarium. Cf. apud d'Annibale „Summula Theologiae moralis" Romae 1908, ed. 5., n. 79, 80 auctores allatos.

[172] Fagnani o. c. 115, n. 135.

[173] Nam etiam Codex supponit errorem communem facti.

[174] Cf. notam 168 huius partis.

[175] Nituntur enim (uti videtur) principio 'quasi-possessionis: Certum est Praelatos orientales ante schisma exercuisse ius Rom. Pontifici proprium: ius scil. designandi cum effectibus iuridicis personam Episcopi, idque ex tacita S. Pontificis concessione; ergo donec clare tacitam illiam concessionem revocatam esse probetur, standum est pro valore actuum iurisdictionalium hierarchiae dissidentis. Quae ratiocinatio tamen confutari potest per aliam: Hodierni schismatici saltem inde a Concilio Vaticano simul sunt haeretici: Quodsi Papa haereticus ipso iure divino suprema potestate in Ecclesia privatur, ut omnes communiter docent, a fortiori etiam Patriarchae, Metropolitae et Episcopi orientales dissidentes ipso iure divino omni iurisdictione ecclesiastica privari videntur, nisi propter publicum animarum bonum expresa exceptio fiat.

# ORTHODOXI DISSIDENTES IN BOHEMIA ET MORAVIA

*Dr. Franciscus Cinek.*

Continuatio.

## IV.

Bello gentium finito a. 1918 inter Bohemos orthodoxos, qui in societate „Pravoslavná Beseda" iungebantur, mutatis condicionibus consilium audaciae plenum revixit, de quo iamdudum orthodoxiae aemulatores somniabant, ut nempe sui iuris ecclesia orthodoxa autocephala constitueretur. Numerus orthodoxorum maxime auctum iri sperabant, cum omnia tum catholicis infensissima essent et contra Pontificiam Sedem Romanam immanes impetus incitarentur, utpote quam seditiosae et furiosae voces hostem capitalem nationis Bohemicae et vexatricem inimicissimam appellarent. Etsi spes eorum non ita impletae essent, ut exspectabant, operam tamen multam consumebant, non quidem in rebus suis propagandis, ast in sociis per leges temperandis. Cum societatis „Pravoslavná Beseda" statuta novis rerum adiunctis apta non essent, a. 1919 nova societas est constituta, cui nomen „Bohemoslovacae communitatis orthodoxae" est impositum et cui propositum est, ut omnia, quae ad autocephalam Bohemorum orthodoxam ecclesiam constituendam necessaria essent, pararet. Huius societatis statuta a laico orthodoxiae inter Bohemos aemulatore dr. Miloš Červinka (olim iuris perito causidico[1]) elaborata sunt, quo duce omnes Bohemorum orthodoxorum res agebantur et qui ab omnibus uno animo

[1] Orthodoxiae nomen dedit Pragae a. 1911. Ab a. 1912 primus vice-praeses societatis „Pravoslavná Beseda" erat usque ad a. 1914, quo societas „Pravoslavná Beseda" bello gentium saeviente res agendas intermisit. Eius cura factum est, ut Dacoromani sacerdotes castrenses Pragae cum Bohemis orthodoxis commercium haberent; bello gentium finito dispersos orthodoxos Bohemos quaerebat et in orthodoxorum rebus agendis primas partes habebat.

optantibus praeses „Bohemoslovacae communitatis orthodoxae" est electus. Novae societatis statuta longiore mora interposita a magistratu provinciae res civiles! procurante Pragae die 17. m. Februarii 1920 sunt approbata. Societas „Bohemoslovaca communitas orthodoxa" imprimis sibi curandum proposuit, ut ad animarum curam Pragae exercendam sacerdotes orthodoxi reperirentur. Qua de causa a. 1920 e Volhynia sacerdos orthodoxus origine Bohemus Alexius Vaněk[2] et pater Luka Olchový, e Galicia profugus, qui tum e Russia Subcarpathica erat expulsus, vocati sunt. Studium, ut aedes sacra s. Nicolai orthodoxis redderetur, aliqua ex parte tantummodo successum habuit: templum s. d. ecclesiae Bohemoslovacae, quae tum nascebatur et quae simul in ecclesia catholica impugnanda princeps erat, traditum est et orthodoxis concessum, ut ex parte aede uterentur.

[2] Alexius (baptizatus Verianus Jaroslav) Vaněk natus est in oppido Bodenbach (Podmokly) in Bohemia a. 1877. Cum annis 1890—1894 studiorum in gymnasio causa Pragae commoraretur, canticis in templo s. Nicolai pellectus choro cantorum, qui ad orthodoxorum officia sacra canebant, est adiunctus. Cum protoiereo Apraxin commercium habuit, qui ei orthodoxiam proposuit. Imprimis liturgia veteroslavica adductus a. 1897 — in viarum ferrearum administratione tum munere fungebatur — orthodoxiae nomen dedit et psalmista in aede sacra s. Nicolai factus est. A 1904 in Russiam iter fecit et seminarium in Volhynia ingressus est, ubi usque ad a. 1907 studiis vacavit. Exinde toto anno 1908 poslušník (i. e. novicius) erat ad archiereeam domum episcopi Antonii (postea metropolitae). Eodem anno uxorem duxit et Žitomirii sacerdos ordinatus est. Hinc orthodoxae paroeciae in pago Gulč in Volhynia administrator spiritualis est constitutus. Orthodoxiae inter gentiles suos in Volhynia colonos corroborandae multam dabat operam. Opus arduum est aggressus cum Volhynia diversissimis sectis scatebat et orthodoxia inter Bohemos in Russia inquilinos difficillime radices agebat. Sacrae liturgiae libros et ss. Patrum opera diligentissime in linguam Bohemicam vertebat. Officio cum fide devotus in Volhynia inter gentiles suos etiam tempore belli gentium remansit. Mense Novembri a. 1920 a Pragensibus orthodoxis Pragam est vocatus. Maximo cum gaudio in patriam revertit spe delectatus laboris inter suos suscipiendi. Ast mox spes eum fefellit. Utpote sacerdos fidei profundissimae et traditionali orthodoxiae pie deditus gravissime ferebat, quod orthodoxiae falsae conceptiones inter Bohemos orthodoxos liberalismo titubantes grassabantur; quapropter a Bohemis orthodoxis declinavit et curae animarum inter Russos profugos in Moravia degentes curam atque operam dabat.

Eodem tempore opus est susceptum **religiosae communitatis** constituendae, et quidem ex lege die 20. m. Maii 1874 lata. Dr. Červinka statutum religiosae communitatis Pragensis, cuius ambitus ad totum territorium Bohemiae, Moraviae, Silesiae extendendus erat, elaboravit et d. 31. m. Julii 1921 ministerio scholas et eruditionem publicam procuranti probandum proposuit. In statuto, in quo non accurate praescriptorum iuris canonici orthodoxi ratio habebatur, fixum erat religiosae communitatis caput episcopum futurum (fuit igitur in votis Bohemorum orthodoxorum, ut orthodoxis ecclesiis autocephalis tamquam communitas, cui episcopus praeesset, aggregaretur). Ad hoc munus designatus est Bohemus archimandrita orthodoxus in Volhynia **Sawatij**, qui voluntati Bohemorum orthodoxorum morem gessit et die 30. m. Octobris a. 1921 in patriam revertit, ut nascenti Bohemicae ecclesiae orthodoxae praeesset.[3] Pariter ac pater Alexius Vaněk pie ac cum fide traditionali orthodoxiae Russicae deditus erat neque opinabatur, quam acerbe spes eum mox frustraretur et quae post aliquot annos inter gentiles neoorthodoxos ei perpetienda essent.

[3] Archimandrites Sawatij (civili Bohemico nomine Antonius Henricus Vrabec), filius Venceslai Vrabec, horologiorum artificis, et uxoris eius Hedwigis Raddová, die 3 m. Februarii a. 1880 Pragae-Žižkovii natus est. Ambo parentes iam ante bellum gentium orthodoxiae nomen dederunt. A. J. Vrabec studiis in schola reali Pragae-Karoliniae vacavit, a. 1900 in Russiam abiit et in quartum annum seminarii spiritualis Ufae est receptus. A. 1902 monachi tonsuram accepit nomen sumens Sawatij et simul hierodiaconus est ordinatus. A. 1903 in Academia spirituali Kijevii est inscriptus. A. 1907 hieromonachus (sacerdos regularis) est ordinatus et eodem anno studia in Academia spirituali absolvit gradu auctus theologiae candidati; exinde Bohemicus contionatormissionarius in eparchia Volhyniae est constitutus. A. 1909 in rectoris spiritualis Athenaei vicarium Klevaniae (Klevaň) in Volhynia est evectus, a. 1911 rector illius Athenaei est nominatus et titulo igumeni auctus, a. 1914 dignitate archimandritae ornatus, a. 1919 superior monasterii Mělcii (Mělci) in Volhynia est factus, a. 1920 episcopi Újezdii Kovelensis eparchiae Volhyniensis vicarius (administrator) est institutus et eodem anno exeunte rector seminarii spiritualis Cholmii est creatus. Cum sacerdos orthodoxus origine Bohemus esset, quattuordecim annos inter Bohemos in Russia operam consumebat, praesertim inter gentiles suos in Volhynia inquilinos, ubi auctoritate et gratia multum valebat.

Mora octo mensium interposita statutis religiosae communitatis orthodoxae, quamvis haud pauca iuris ecclesiastici orthodoxi vitia obstitissent, publica approbatio a consilio moderatorum rei publicae die 16. m. Martii a. 1922 et a ministerio scholas et eruditionem publicam procurante die 31. m. Martii 1922 concessa est. Dein ad statutorum societatis normam contio societatis „Bohemoslovacae communitatis orthodoxae", quae odhuc fuit, in die 15. m. Julii a. 1922 Pragam est convocata: tum Bohemorum orthodoxorum communitas religiosa est constituta. Communitatis pastor spiritualis archimandrites Sawatij, communitatis praeses dr. M. Červinka electi sunt. In contione ista in exsequendis illis, de quibus lege cautum erat, quidam lapsus (fortasse ex properando explicandi) sunt commissi. In statutis **Bohemicae religiosae communitatis orthodoxae,** publice approbatis, stabilitum et fixum erat, ut ad administratorem spiritualem et episcopum eligendosum peculiaris **Generalis seu maior contio Bohemicae religiosae communitatis orthodoxae** convocaretur, non vero ut haec electio in consessu ipsius societatis „Bohemoslovacae communitatis orthodoxae", quae adhuc fuit, fieret, consessu dico, ad normam statutorum ipsius illius societatis congregato Ipsa illa societas „Bohemoslovaca communitas orthodoxa", cum ea, quae ei in statutis proposita fuissent (§ 4), consecuta esset, in consessu ad societatis statutorum normam convocato die 15. m. Iulii a. 1922 rebus agendis finem imponere debuit. Quia tamen omnia praepropere in consessu societatis „Bohemoslovacae communitatis orthodoxae" ad statutorum societatis normam convocato acta sunt nec electiones perfectae sunt modo, quo statuta publica auctoritate approbata praescripserant, „Bohemica communitas orthodoxa" constituta et eius administrator spiritualis electus est **modo vitioso.** Quamvis hoc vitium obstitisset (quod ex usu iurisprudentiae orthodoxorum, accuratissime formam in publica approbatione acquirenda observantis, gravius erat), electio administratoris spiritualis constitutae Bohemicae religiosae communitatis orthodoxae a ministerio scholas et eruditionem publicam procurante die 30. m. Augusti a. 1922 est approbata, quo facto vitium modi electionis indirecte est sanatum.

Eodem die, quo archimandritae Sawatij electio publica auctoritate est approbata, a Bohemica religiosa communitate orthodoxa peculiaribus litteris cum oecumenico patriarchae Constantinopolitano tum patriarchae Serborum est relatum communitatem orthodoxorum Bohemorum esse constitutam et primum eius episcopum in territorio Bohemiae, Moraviae, Silesiae electum. Relatio hisce verbis concludebatur: „Suave officium existimamus, ut ad Sanctitatem Vestram de hac re referatur et sanctae orationes et benedictio archipastoralis suppliciter petatur."[4] Ad haecce relata nihil est responsum.

Eadem referebantur eodem die ad metropolitam Kijeviensem Antonium, praesidem Synodi episcoporum Russicae orthodoxae ecclesiae in exilio (cum sede Carloviciae Sirmiensis). Metropolita Antonius archimandritae Sawatij gratulabatur, ast dolere se dicebat, quod, ut tum erat temporum ratio - ipsa Russica orthodoxa ecclesia in summo discrimine versante et profugis Russis aliorum hospitalitate alendis peregre exulantibus ipse archimandritam Sawatij episcopum ordinare non posset, sed affirmabat, quantum in se esset, curaturum, ut primo episcopo orthodoxae communitatis Bohemicae manus imponerentur.

Eadem relata sunt ad Russicum archiepiscopum Eulogium Berolini, qui respondit nuntium a se acceptum esse, se electo gratulari et sperare fore, ut Russi orthodoxi profugae in Bohemia, Moravia, Silesia in orthodoxorum Bohemorum ecclesia praesidium reperirent.

Bohemi orthodoxi aegerrime ferebant, quod nec Russorum nec Serborum sororia ecclesia orthodoxa animum propensum ostendebant, ut archimandrites ad chirotoniam assequendam iuvaretur. Quamvis exulantis hierarchiae Russicae excusationes acciperentur, tamen sentiebatur archimandritam Sawatij ab episcopis Russis - licet angustiis temporum et rerum oppressis - ordinari potuisse, si modo re vera voluissent.[5] Vehementissimum

[4] Vulgatum apud Grigorič, 1. c. (ed. I.) pg. 53.

[5] Archimandrites Sawatij ipse optabat, ut sibi chirotonia a metropolita Russico Antonio, qui olim eius magister erat, et a duobus episcopis Serbis conferretur, ita ut utrique Slavorum ecclesiae orthodoxae in chirotonia primi Bohemorum episcopi orthodoxi pars esset.

vero dolorem adferebat, quod Serborum ecclesia rem tam parvi aestimabat. Nequiquam responsum ab ista ecclesia exspectabatur. Usque ad extremum annum 1922 nihil prorsus est responsum.

Serborum ecclesia orthodoxa, perpaucos Bohemos orthodoxos posthabens, attento animo et summa diligentia alii recenti ecclesiastico coetui in Bohemia, Moravia, Silesia studebat, scilicet ecclesiae Bohemoslovacae, quae multo plures asseclas congregaverat et quae spem Serbis adferebat fore, ut orthodoxia in natione Bohemorum propagaretur et amplissima Bohemorum ecclesia orthodoxa efficeretur.

## QUAE SERBORUM ECCLESIA AGRESSA SIT, UT PER ECCLESIAM BOHEMO-SLOVACAM ORTHODOXIA IN NATIONE BOHEMORUM PROPAGARETUR

Coetus ecclesiasticus, ecclesia Bohemoslovaca, quae dicebatur, in ecclesia Catholica impugnanda principales partes habuit; moliebatur, ut vulgus acervatim a Roma deficeret, et plurimos eorum, qui ecclesiam Catholicam deseruerunt, socios sibi aggregavit. Eam conditam esse die 8. m. Ianuarii 1920 Pragae proclamatum est. Nata est e seditiosa conspiratione aliquot sacerdotum, qui a fide defecerunt ea prorsus ratione atque Deutschcatholicismus in Germania a. 1845 ducibus Ronge et Czerski. Exemplar fuit seditiosarum sectarum, quae civilibus rebus vehementer perturbatis et animorum confusione oborta enasci solent. Utpote partus animi concitati et contumacis nullis praeparationibus praemissis, ex tempore proclamata est: nulla statuta communitatis ecclesiasticae in promptu erant, nulla fidei principia stabilita sunt. Solam conscientiae libertatem extollebant, christianitatem in novam formam, recenti aetati consentaneam redigendam et ad propriam nationis Bohemicae mentem concipiendam promittebant. Cum principium fidei formale et constitutivum reiectum esset et conscientiae libertas quam latissime sumpta summum principium pronuntiatum, omnia ex singulorum ratione et ingenio aestimanda relinquebantur et via est patefacta, quae animos in rude chaos ducebat. Vix mentes diversissimis placitis effervescere et maxime variae opiniones fermentari coe-

perant, cum pedetentim in duas factiones, alteram eorum, qui vehementius rebus novis studebant, alteram mitigatorum asseclae novae ecclesiae discedunt. Qui ad extremum ire non dubitabant, de christianitate in novam formam redigenda somniabant, quantum ad fidem, mores, disciplinam attineret, et novae reformationi studebant, „ad mentem recentioris humanitatis et cultus“ instituendae. Ea, quae Hussitae olim aggressi sunt, longius persequi et novam universi orbis terrarum reformationem, quae recenti aetati consentanea esset, parare voluerunt. Qui vero mitigati erant, metuebant, ne orthodoxorum res in perturbationes, infidelitatem, negationes abirent, quod totius causae inevitabilem interitum secum ferret; petebant, ut „fidei doctrina veterochristiana“ retineretur et satis esse censebant, si disciplinae et moderationis ecclesiasticae rationes novo modo constituerentur, et praesertim ut desideriis, quae nationis res promovendas curarent, mos gereretur. Quamquam etiam hice mitigati maximam partem liberalis protestantismi placitis obnoxii erant, et quid cum ista „fidei doctrina veterochristiana“ vellent, obscurius erat. Ast ut in nascenti coetu chaos et temeritas animos rapiebant nec ulla opinio sana et ratio considerata quicquam valebant, paulatim elucescebat sapere illos moderatos vehementius ac vehementius affirmantes oportere, ut saltem in praesentia novus coetus aliqua solida ecclesiastica institutione fulciretur aut tali institutioni in doctrina proponenda adiungeretur, nisi tota causa naufragio exponenda esset. Nominatim Serborum ecclesiam orthodoxam ostendebant, cum qua commercium haberi posset. Commonstrabant, quanto usui esset, si ecclesia Bohemoslovaca a Serborum ecclesia orthodoxa ordinationem episcoporum impetraret. Qua ordinatione ecclesiae Bohemoslovaca maxime opus erat, ut res suas contra ecclesiam catholicam in plebe promoveret, quae novis rebus non studebat et quae a nova nationali ecclesia in extremum res detrudente abhorrebat. Quo factum est, ut demum etiam ii, qui in ecclesia Bohemoslovaca extremae factioni adhaerebant, consilium commercii cuiusdam cum Serborum orthodoxia ineundi probarent, dummodo principium libertatis conscientiae salvum maneret et Serborum ecclesia episcopos ecclesiae Bohemoslovacae ordinare prona esset. Quod

tamen illi extremae factionis fautores non cord, sed rerum adiunctis pressi concedebant.

Commercium igitur cum orthodoxa Serbia quaeri coeptum est. Medio anno 1920 cum Iugoslaviae ministro cultum procurante Marinkovič, qui tum curationis causa in Bohemia commorabatur, agebant. Die 3. m. Septembris a. 1920 ab ecclesia Bohemoslovaca ecclesiae Serbicae libellus est porrectus, in quo commercium petebatur, et affirmabatur fidei doctrinam, quae a Serborum ecclesia orthodoxa doceretur et quae per septem oecumenica ecclesiae concilia esset definita ab ecclesia Bohemoslovaca accipi „salva tamen libertate conscientiae et libera in religionis rebus evolutione" („en se réservant la liberté de la conscience et de l'évolution religieuse") - quo addito re negabantur, quae verbis promittebantur. Insuper praeter Bohemorum episcoporum ordinationem quaedam levamina in liturgia, moderandi ratione, disciplina desiderabantur, ut „menti democraticae" mos gereretur. Disertis verbis petebatur, ut a Serborum ecclesia in rem publicam Bohemoslovacam unus ex episcopis mitteretur (nominatim episcopus Nišiensis Dositej), qui ecclesiae Bohemoslovacae ordinarius esset, donec proprii illius ecclesiae episcopi eligerentur et ordinarentur, et ut quindecim Bohemi theologiae studiosi in Serborum theologicum Athenaeum reciperentur, donec ecclesiae Bohemoslovacae proprium theologicum Athenaeum praesto esset. Notari iuvat, quod ad libelli calcem petebatur, scilicet ut propter opinionem, quae permultis Bohemoslovacis voce „orthodoxi" commemoraret Russicae ecclesiae res et rationes, quae ante bellum gentium essent et quae Bohemis essent pertimescendae, ecclesiae Bohemoslovacae nomen concederetur vel Bohemoslovacae ecclesiae verecredentis (církev pravdověrná) vel Bohemoslovacae ecclesiae Cyrillomethodianae vel simpliciter ecclesiae Bohemoslovacae.

Libellus ab universali congressu die 9. m. Ianuarii a. 1921 est approbatus, etsi congressus occasione monstratum est nihil ex extremis liberalismi principiis ab ecclesia Bohemoslovaca sublatum esse et omnium animos et opiniones in protestantium subiectivismo penitus haerere. In iis, quae ante libellum probandum de „animis ad orthodoxiam convertendis" dicebantur (praesertim

in iis, quae a B. Zahradník-Brodský referebantur), miserandum in modum proditum est, quam tenuem curam atque operam in orthodoxiae natura cognoscenda ii contulissent, qui orthodoxiam defendendam putarent, et generatim quanta cum levitate res cum Serborum ecclesia agendae susciperentur et quam parvi res fidei aestimarentur. Ut etiam iis, qui nihil nisi proprium commodum respicerent, mos gereretur, inculcabatur fratres Serbos pronos esse, ut novae fratrum Bohemorum ecclesiae non solum benevolentiae et gratiae, sed etiam materialis sublevationis auxilium praeberetur.

In iis, quae a Serborum archier. Sabor respondebantur et quae mense Martio a. 1921 relata sunt, de conscientiae libertate et de libera in religionis rebus evolutione silentium tenebatur, cum Serbi conicerent omnes orthodoxiae doctrinas ab ecclesia B. s. accipi et Bohemos illos re vera orthodoxos fieri velle. In rebus ad liturgiam pertinentibus exigebatur, ut in sacras caerimonias insererentur aut in illis diligenter servarentur omnia, quae ad validam sacramentorum collationem necessaria essent. Permittebatur, ut officia sacra lingua Bohemica celebrarentur, dummodo libri liturgici competenti auctoritate ecclesiastica approbarentur. Ceterum postulatis mos generatim gerebatur. Ast secundae nuptiae sacerdotum viduorum non permittebantur (donec res legitima auctoritate pro omnibus autocephalis ecclesiis orthodoxis decerneretur). Item insistebatur, ut episcopi caelibes remanerent.

Quibus responsis acceptis in electo consilio ecclesiae B. s. concitatio quaedam animorum et discidium existitit ea potissimum de causa, quod in responsis de conscientiae libertate silebatur et quod sacerdotibus secundae nuptiae non permittebantur. Qui mitigati erant, cum Serbicae ecclesiae postulata ex instituto recipienda esse censerent, e consessu discesserunt commonstrantes, quantum a ceteris dissentirent. Qui ad extrema res premebant, remanserunt et episcopo Dositej libellum porrigendum decreverunt. In iis, quae libello illo continebantur, orthodoxiae dogmata agnoscenda silentio premebantur et in Serbicae ecclesiae postulatis accipiendis quaedam excipiebantur (Serborum ecclesiam nullo modo se in eligendis primis episcopis interposituram, sacerdotum ecclesiae Bohemoslovacae, qui ab ecclesia catholica de-

fecissent et uxorem duxissent, ordinationem et matrimonium iusta et rata habituram). Imprimis petebatur, ut in oecumenico concilio intra anni spatium convocando(!) de secundis sacerdotum nuptiis decerneretur, praeterea ut electi episcopi intra duos menses, i. e. ad diem 10. m. Iunii a. 1921 consecrarentur, denique ut ecclesia simpliciter „ecclesia Bohemoslovaca" nuncuparetur

Confestim tamen in periodico „Český zápas", quod auctoritate ecclesiae B. s. edebatur, praeses Consilii Centralis dr. Carolus Farský, qui ecclesiae principalis dux erat) declarabat ac inculcabat ecclesiam B. s. recusare, quominus iuvenilem suam aetatem orthodoxiae obnoxiam faceret, neque ordinationem ab ecclesia orthodoxa alla alia condicione accipere velle nisi animo ut inter amicos, fratres, christianos benevolo, ita ut nulla officia imponerentur, nulla susciperentur. Si tali condicione ordinatio ab ecclesia Servorum impetrari nequiret, aliunde eam petendam esse. Ceterum in ecclesia B. s. non deesse, qui insisterent, ut systema episcopalismi reiceretur et systema presbyterianismi probaretur.

Iis, quae a Farský scribebantur, res optime illustrabantur. Interea episcopus Dositej venit, ast ad res ecclesiae B. s. administrandas nulla auctoritate est admissus - secus ac in primo libello promittebatur. Consilium Centrale nunquam eum invitabat, ut suis consessibus interesset et sine ulla eius in rebus agedis societate negotia obibat. Episcopus Dositej tamen assiduam operam navabat, ut discidia tollerentur. Communitates religiosas ecclesiae B. s., si invitabatur, adibat et s. confirmationem conferebat. Curabat, ut eorum, qui minus mitigati erant, animi ubique placarentur et monstrabat orthodoxiae timorem nulla ratione fulciri. Praesertim de conscientiae libertate et de libera in rebus religionis evolutione audacissime disserebat, quo nimiae libertatis favore gravissimum periculum in se recepit rationis reddendae eorum, quae inde secuta sunt.[6] Eius auctoritate factum esse videbatur, ut, praesertim in Moravia, animi ad orthodoxiam proniores essent. Attamen

[6] B. Zahradník-Brodský iam in generali conventu ecclesiae B. s. diebus 8.—9. m. Ianuarii a. 1921 habito expresse affirmavit episcopum Dositej, quocum de libertate conscientiae disseruisset, manibus disiectis dixisse: „Nos idem habemus, enimvero nos etiam libertatem habere volumus, libertatem vestram agnoscimus." Haec verba nescio quo modo mentem episcopi Dositej

etiam in Moravia (maxime in consessu Moravorum legatorum novae ecclesiae Olomucii die 21. m. Aprilis a. 1921 habito) episcopus Dositej in conscientiae libertate explicanda et proponenda vehementissime conivere et rem sensu quam latissimo accipere debuit, imprimis contra Matthiam Pavlík, qui in conscientiae libertatem insistebat affirmans fieri non posse, ut Bohemi evolutionem, ad quam per reformationem pervenissent, reicerent, simulque postulabat, ut ecclesiae in religionis rebus efficiendis et formandis libertas relinqueretur.

Eodem tempore episcopus Dositej in iis, quae per periodica et acta diurna divulgabat, exponebat ab ecclesia Serbica non exigi, ut ii, qui ecclesiae B. s. nomen dedissent, coetum suum religiosum desererent et ecclesiam orthodoxam amplecterentur (quod in iis, quae ab archier. Sabor respondebantur, indicabatur). Praeterea nullo modo postulari, ut ecclesia B. s. formas, quae ecclesiae orthodoxae propriae essent, reciperet, neque quicquam obstare, quo minus Bohemi „modo proprio ingenio et propriae historiae evolutioni consentaneo“ propria via incederent. Id agi tantummodo, ut doctrinae Christi fundameta, per septem concilia oecumenica stabilita, communiter reciperentur. Si fides per septem concilia oecumenica definita agnosceretur, nihil ulterius requiri, ut ecclesiae B. s. diaconi et sacerdotes a se confestim ordinarentur. Quod episcopus Dositej etiam re perficere coepit.

Quae cum ita essent, factum est, ut in consessu totius Consilii Centralis die 7. m. Maii a. 1921 habito haec sunt decreta:

Ecclesia B. s. ex mente suorum statutorum et ratione decreti concilii ecclesiastici diebus 8 et 9. m. Ianuarii a. 1921 habiti fundamentis doctrinae per septem concilia oecumenica propositae et symboli Nicaeo-Constantinopolitani innititur et nomen retinet „ecclesia Bohemoslovaca“, in iis vero, quae cum auctoritatibus ecclesiarum orthodoxarum agenda erunt, „B. s. ecclesia orthodoxa“. Cum ita simul doctrinae fundamentum, quod cum apostolicis ecclesiis orientalibus commune sit, recipiatur, rogamus, ut episco-

illustrant, cui videlicet quaerendum erat, quid duces et capita ecclesiae B. s. cum illa sua conscientiae libertate sibi vellent. Estne credendum episcopum Dositej aperte locutum esse nec ullas restrictiones mentales adhibuisse neque ambigue egisse?

pi a communitatibus religiosis ecclesiae B. s. electi quam primum ordinentur, ut vitae religiosae providere possint."

Hoc decretum in concilio ecclesiae B. s. die 29. m. Augusti a. 1921 Pragae habito episcopo Dositej praesente est acceptum et approbatum. Simul vero arcitulus 1. Statutorum in novam formam est redactus et comprobatus. Articulus iste his ipsis verbis est expressus: „Ecclesia Bohemoslovaca constat christianis, qui doctrinam Jesu Christi per septem prima ecclesiastica concilia oecumenica propositam et per symbolum Nicaeo-Constantinopolitanum expressam profitentur et qui *Hussitarum traditiones observant, et quidem haec omnia modo ad condiciones cultus atque humanitatis, quae nunc sunt, consentaneo." (!)* - Etsi hisce additis indicebatur doctrinam Christi per septem concilia propositam ex „condicionibus cultus atque humanitatis, quae nunc sunt", aestimatum iri, ab episcopo Dositej nihil est obiectum. In concilio Matthias Pavlík, qui praecipuus dux novae ecclesiae in Moravia erat et recentissime ad mitigatos transiit, expresse orthodoxiae res et rationes promovendas declaravit.

Serborum ecclesia orthodoxa, cum ex decreto concilii de die 29. m. Augusti a. 1921 iudicavisset ecclesiam B. s. re vera in doctrinis amplectendis orthodoxam esse, episcopos ordinandos esse decrevit. Mense Septembri a. 1921 unum e tribus electis episcopatus candidatis, Matthiam Pavlík, qui uno animo est electus (cum contra dr. K. Farský et R. Pařík eligendos quaedam obicerentur) Carloviciam Firmiensem vocavit. Matthias Pavlík et ecclesiae Bohemoslovacae legati maximo cum apparatu et pompa sunt recepti.[7] Examine canonico peracto candidatus electus est approbatus et Pavlík die 21. m. Septembris in monasterio Fruška

[7] Ordinatio primi orthodoxi episcopi Bohemi res summi momenti declarabatur: Bohemos ad fidem patrum redire affirmabatur. - Quantum Serbi a vero aberraverint, ex iis apparet, quae in periodicis et actis diurnis nuntiabantur: in „Politika" (Beograd) scribebatur 1,800.000 Bohemos catholicos ad orthodoxiam transire (quod ex auctoritate etiam Fanar nuntiatum est). In „Balkan" numerus ad 2,000.000 augebatur. Etiam apud Britannos in periodico „Christian East" ecclesiis uniendis dicato haec somniorum commenta atque ineptiae animo non diffidente accipiebantur. Ex censu auctoritate publica facto ecclesia Bohemoslovaca a. 1921 socios 525.333 habebat.

Gora vota regularia emisit nomenque discipuli s. Methodii, Gorazd, elegit.

In Kruše dol, Grgetak, Chopov mox gradatim igumen et archimandrita est benedictus et die 25. m. Septembris a. 1921 a patriarcha Dimitrij maxima cum ostentatione episcopus est ordinatus. Perfecta ordinatione res magnifice celebrabatur et ingenti cum animorum inflammatione extollebatur, quantum esset rei momentum in historia totius ecclesiae orthodoxae. Ecclesia Serbica tamen non suspicabatur, qualem repulsam mox esset acceptura.

Episcopo Gorazd-Pavlík ordinato brevi in ecclesia B. s. animi vehementissime contra orthodoxiam versi sunt, quo monstratum est rem non sine ambiguitatibus actam esse eiusque auctores de negotio levissime esse commentatos.

In periodico „Český zápas", quod erat tribunal praecipuum ecclesiae B. s., plurima divulgabantur, in quibus stupendum in modum animus ab orthodoxia aversus prodebatur.[8] Orthodoxiae dogmata et universa „christianitas traditionalis" reiciebatur et praecipua ecclesiae Bohemoslovacae tessera, scil. libertas conscientiae et libera in rebus religionis evolutio, fortissime extollebatur. Id, quod episcopus Gorazd ordinatus esset, e mera amicali propensione factum esse exponebant, ita ut ecclesia B. s. nullis invicem officiorum vinculis obligaretur. Anno 1922 ineunte in periodico Moravensi „Za pravdou" episcopus Gorazd, afflictus quidem animo, publice declarabat ea, quae contra orthodoxiam scripta essent, hominum levium et inconstantium esse. Inauditum atque indignum esse, quod omnia, quae orthodoxiam spectarent, illuderentur ac reicerentur (fidei dogmata, caerimoniae), cum decretum esset, ut symbolum Nicaeo-Constantinopolitanum et septem conciliorum oecumenicorum definitiones reciperentur. An tantummodo simulatum esset fidei doctrinam orthodoxam recipi, ut ordinatio episcoporum impetraretur? Qua re in ecclesiam B. s. flagitium proditionis et animi levis conferri posse. Fortasse plurimos non

[8] Patebat ecclesiam Serbicam, cum voluntatem minus propensam ostendisset, ut dr. K. Farský ordinaretur, ansam dedisse, ut animi in orthodoxiam incitarentur. Archier. Sabor Serborum obstupefactus dubitabat, essetne dr. Farský ordinandus necne, quia adversarii (duce B. Zahradník-Brodský) in Farský acerbissime invehebant incredulum eum clamitantes.

esse commentatos, quaenam consequerentur, cum fidei doctrina orthodoxa reciperetur: tum vero omnia animo levi peracta esse. Si ecclesia B. s. mallet, ut in doctrinis proponendis res ad extrema premerentur, ipsum ab ecclesia discessurum.

Quibus episcopi Gorazd verbis disceptationes et altercationes sunt provocatae, quibus monstrabatur actum esse de orthodoxia in ecclesia B. s. Patebat omnia in hocce coetu religioso rationalismo et subiectivismo religioso infecta esse. Quae ad animos placandos - ceteroqui nequiquam - sunt temptata, tantummodo probabant etiam inter paucos illos, qui ad episcopum Gorazd essent conglobati, plurimos rationalistas adesse, qui a fidei doctrina orthodoxa alienissimi essent. Cum etiam consessus omnium consiliorum dioecesanorum, cui propositum esset, ut res componeret, reponeretur, episcopus Gorazd, qui tristem rerum exitum suspicabatur, litteris, quae in consessu illo disceptare volebat, proposuit et in Americam abiit. Post eius discessum consessus consiliorum dioecesanorum Pardubiciam est convocatus die 70. m. Iulii a. 1922, ubi decretum est: Consilia dioecesana omnium dioecesium ecclesiae B. s. iis stant, quae in conciliis diebus 8.-9. m. Ianuarii et 29. m. Augusti a. 1921 sunt stabilita eaque hisce verbis exprimenda censent: Quaenam causa et ratio ecclesiae B. s. cum ecclesiis orthodoxis intercederet, articulo 1. constitutionis ecclesiae B. s. expressum est, dummodo expresse caveretur, 1. ne ecclesia B. s. impediretur, quo minus summae suae notioni fidelis remaneret, notioni scilicet universalis(!) ecclesiae in natione Bohemorum efformandae, quae christiana, nationis propria et huic aetati consentanea esset et cuius natura et expressio res fidei, morum, disciplinae amplecteretur; 2. ut ecclesiae B. s. liceret simul cum ecclesiis orthodoxis et ceteris ecclesiis christianis decreta septem conciliorum oecumenicorum et Credo Nicaeo-Constantinopolitanum *fundamentum et principium efficere, unde religiosa evolutio proficisceretur,* ut ita ecclesia B. s. suam religiosam reformationem impleret instituta sequens evangeliorum, universalis traditionis christianae et cultus atque humanitatis huius temporis.

Quae cum ita expressa essent, patebat omnia dioecesana consilia rationes amplexa esse eorum, qui res ad extrema detrudebant. Ecclesia B. s. ostendit, quae esset vera sua facies. Fidei orthodo-

xae dogmata, quae accipi videbantur, *merum principium sunt declarata, unde religiosa evolutio proficisceretur.* Quo monstratum est symbolum Nicaeo-Constantinopolitanum et decreta septem conciliorum oecumenicorum non absque limitationibus nec sincere esse agnita, sed tantummodo eliqua ex parte, cum quadam reservatione mentali.[9]

Dum ita novo modo exprimuntur, quae accepta esse videbantur, ad articulum 1. Statutorum ecclesiae B. s. provocabatur, qui in concilio d. 29. m. Augusti a. 1921 (praesente et nihil obiciente episcopo Dositej) est approbatus et in quo summa norma statuebatur res religionis accipiendas esse „modo ad condiciones cultus atque humanitatis, quae nunc sunt, consentaneo". Ad hanc nescio quam normam referri debere omnia, quae ad fidem christianam pertinerent: quae de Deo, de Christi persona, de redemptione, de gratia, de vita aeterna, de sacra Scriptura etc. credenda essent. Novam eamque huius aetatis religionem demum ad hanc normam effectum iri.

Ergo effrenatus subiectivismus; omnia in hominum opinione ponuntur et res ad extremum detruduntur. Animi sinceri fuit tacere de agnoscenda doctrina Christi et de recipiendis decretis septem conciliorum oecumenicorum, iisque omnibus accipiendis „modo ad condiciones cultus atque humanitatis, quae nunc sunt, consentaneo" et aperte profiteri tantummodo hoc vel illud e christianitate accipi et proinde auctoritatem Christi et septem conciliorum oecumenicorum non sine condicionibus agnosci, auctoritatem vero „cultus atque humanitatis, quae nunc sunt" sine ullis condicionibus extolli et recipi.

Omnem positivam doctrinam christianam in ecclesia Bohemoslovaca corruere mox manifestissime probatum est. Uno mense post consessum dioecesanorum consiliorum famosus ille catechismus ecclesiae B. s. (auctoribus dr. K. Farský et F. Kalous), primus liber, quo religionis doctrinae auctoritate ecclesiae illius tradebantur, editus est. Liber ille documento fuit ecclesiam, quae orthodoxiam „amplexa esset", in doctrinis proponendis extremi pro-

[9] Ad episcopum Dositej consilia dioecesana decretum suum tantummodo tribus mensibus postea, die 18. m. Octobris 1922 referebant.

testantismi vestigia premere, in effrenatum subiectivismum abire et ex christiana doctrina solam terminologiam retinere.

Iam illa, quibus Dei notio definiebatur, a christiano theismo longissime aberrabant. Affirmabatur Deum esse „vivam legem mundi" neque ullo modo indicabatur, sitne credendum in Deum personalem necne. Christus primus in prophetarum numero ponebatur, qui essent Moyses, Socrates, Mahommet, Zarathustra, Buddha, Confucius, Hus, Comenius et alii. Christus non esset Deus: agnoscebatur maximus propheta, sed doctrina eius auctoritate absoluta non esset praedita neque obligationes imponeret, immo ne relativa quidem perfectio summa esset ei tribuenda (perhibebatur generi humano opus esse novis prophetis, cum superiores prophetae omnem veritatem Dei non revelassent, quaestio 45). Quae Christus ad genus humanum redimendum peregit, momentum habere meri exemplaris contendebantur. Soteriologia omnis negabatur pariter ac doctrina de supernaturali gratia. Christi miracula per suggestionem, hypnosim et similibus modis exponebantur. Spiritus sancti notio tradebatur verbis: „Divina animi inflammatio in homine". Sacramentorum supernaturalis natura nulla agnoscebatur. Nullum iudicium post mortem esset exspectandum, nullum infernum pertimescendum (gehenna esse dicebatur „humana vita sine lege divina", quaestio 51). Nulla e mortuis resurrectio, nulla vita post mortem esset credenda. Tita „aeterna" affirmabatur esse vita in hoc mundo „cum veritate divina unita".

Catechismus omnium mentes perculit. Etiam a protestantibus Bohemis reiciebatur, utpote qui inconsiderate scriptus esset et res ad extrema premeret. A solis incredulis „Liberae cogitationis" sociis gestientibus salutabatur.

Catechismus ille acerbissime animum episcopi Dositej perculit, cuius missionem in ecclesia Bohemoslovaca inopinanter subvertit. Episcopus Dositej commoto animo intercedebat litteras mittens, in quibus decreta concilii (datam fidem) violata esse dicebat et declarabat ea, quae catechismo continerentur, „ab omnium christianarum professionum doctrinis longissime distare". Periodicum, quod auctoritate ecclesiae B. s. edebatur, episcopi Dositej litteras non divulgavit et praeses Centralis consilii dr. K. Farský in periodico „Český zápas" apertis litteris respondebat affirmans

episcopo Dositej nullum ius esse, ut se rebus ecclesiae B. s. interponeret; dr. K. Farský provocans ad conscientiae libertatem catechismum defendebat. Simul episcopo Dositej apertissime indicabat, ut suae missioni in ecclesia Bohemoslovaca finem imponeret et Bohemiam et Moraviam relinqueret.

Animo gravissime afflictus, episcopus Dositej in Serbiam revertit. Quae episcopus Dositej egerat, ab archier. Sabor die 30. m. Novembris a. 1922 sunt approbata. A Synodo ecclesiae Serbicae, cui res erant propositae, die 13. m. Februarii a. 1923 decretum est ab ecclesia Serbica nec autorem catechismi dr. K. Farský neque alterum candidatum R. Pařík, quo praeside secundum dioecesanum consilium in Bohemia catechismum edendum approbavit, episcopos ordinari posse. In rescripto de die 26. m. Februarii a. 1923, quo Synodus rebus cum ecclesia B. s. agendis finem imposuit, expresse dicebatur: „Cum exploratum esset ea, quae a Centrali consilio ecclesiae B. s. Pragae die 7. m. Maii a. 1921 decreta essent et quae etiam a conventu legatorum totius ecclesiae Bohemomoravicae Pragae die 29. m. Augusti a. 1921 habito accepta essent quorumque fundamento sororia communio inter ecclesiam B. s. et Serbicam ecclesiam orthodoxam inniti deberet, per ea, quae catechismo ecclesiae B. s. continerentur, *absolute negari*, oportere visum est, ut nuntiaretur non esse pro rei condicionibus aptum, ut res agendae et explanandae longius continuarentur. Si fratrum more quaedam aguntur et acta sine quibuscumque singularibus consiliis etiam signantur et postea ab alterutro eorum, qui de re agebant, *fides data violatur,* tum etiam ea patent, quae ex tali agendi ratione sequuntur."

Tam tristis fuit exitus eorum, quae suscepta sunt, ut per ecclesiam B. s. orthodoxia in Bohemia, Moravia, Silesia plantaretur.[10]

[10] Documenta vide in dissertatione mea „K náboženské otázce 1918—1925", Olomucii 1926, p. 40—195.

# ESCHATOLOGICKÉ PŘEDSTAVY BABYLOŇANŮ

*Dr. Ant. Kleveta.*

(Pokračování.)

## III.

## ŘÍŠE MRTVÝCH

### 1. POPIS ZEMĚ „BEZ NÁVRATU"

Duše zemřelého zv. eṭemmu žije podle názorů Babyloňanů v říši mrtvých. Představy o ní jsou výplody obrazotvornosti. Lze v nich postřehnouti četné prvky psychologické vedle mythologicko-náboženských a magických, jak lze očekávati u světového názoru Babyloňanů.[1]

Pro posmrtnou říši mají klínopisné památky vícero názvů jak sumerských, tak akkadských:[2]

1. Obvyklý název arallû, též arâlû, ze sum. arali je neznámé etymologie.[3] Alfred Jeremias[4] a Johannes Jeremias[5] se domnívají, že označuje původně u starých obyvatel Mesopotamie mythickou „horu zemí" sum. charsaggalkurkurra, akkadsky šad matâti,[6] sídlo to bohů, jakýsi druh Olympu v představách Sumerů

[1] Srov. I. část naší studie, Acta Acad. Vel., 1938, str. 202 a n.

[2] Nejnověji věnuje jim pozornost Tallqvist K. ve studii „Sumerisch-akkadische Namen der Totenwelt" v Studia Orientalia V, 4, Helsinki 1934. Z dřívějších studií všímá si nejčastějších názvů jakož i jejich znamének klínopisných Alfred Jeremias, „Die babylonisch-assyrischen Vorstellungen vom Leben nach dem Tode", Leipzig 1887, str. 61 a n., Delitzsch Fried., „Das Land ohne Heimkehr", Stuttgart, 1911, str. 36 a n. Doklady názvů posmrtné říše v naší studii jsou brány hlavně z nedávno uveřejněných sbírek textů Ebeling, TLVB, a Witzel, Tammuz-Liturgien, Roma 1935. Zkratka TL.

